3.

3

DE

LINGVAE LATINAE

IN

GERMANIA

PER

XVII SAECVLA AMPLIVS

FATIS

AB IPSO TEMPORE QVO

ROMANORV

ARMA ET COMMER

NONNVLLVM EIVS VSVM

INTVLERVNT,

AD NOSTRAM VSQVE AETATEM,

COMMENTARII,

AVCTORE

IACOBO BVRCKHARD,

SVLZBACO-PALATINO.

Et pius est patriæ facta referre labor.

HANOVERAE,

APVD NICOL. FOERSTER,

cIↃ IↃCC XIII.

a 16

VIRO
ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
HENRICO CHRISTOPHORO HATTORFF,
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
BRVNSVIC. ET LVNEB.
ELECTORIS
AVLAE ATQVE SENATVS
ECCLESIASTICI
CONSILIARIO GRAVISSIMO

IACOBVS BVRCKHARD.




Vum magni cuiusdam & auctoritate pollentis viri Patrocinium, cui meos de Linguæ Latinæ in Germania Fatis Commentarios v-

ſitato inter eruditos more offerrem, circumſpicere cœpiſſem, haud obſcura ſtatim TVA in me beneuolentia tale ſuggerere mihi videbatur. TE certe eius, cuius ſtudia quinquennium amplius inſigni fauore complexus ſis, opuſculum a Patrocinio TVO haud excluſurum eſſe, ſperabam: præſertim quum grauisſimas omnino Illuſtri Nomini TVO illud dedicandi cauſſas habere mihi viderer. Primum enim ipſum opuſculum ſubciſiuis horis domi TVAE maximam partem eſt elaboratum; in quo conficiendo inſtructisſima atque nitidisſima Bibliotheca TVA, quæ dies noctesque mihi adhuc patuit, vſui fuit ſingulari. Deinde intelligentem TE Latinitatis exiſtimatorem, ac ſummum Romani ſermonis Patronum, cognoui; cuius cultum præ-

præter Sæculi noſtri morem dile-ctisſimis Filiis TVIS commendare numquam intermittis: & quo ſedulo ipſos a me voluiſti adhuc inſtitutos. Iuſtis atque magnis hisce causſis plurima alia collata in me beneficia accedunt: quorum re ipſa memorem me cognoſcere, quam pluribus verbis ea a me prædicari, TE malle, cognitum ſatis habeo atque perſpectum. Commemoratæ hactenus cauſſæ, cur Commentarios meos Tibi potisſimum dedicandos putauerim, VIR EXCELLENTISSIME, tam graues mihi videntur, vt vel ſingulæ hæſitantem me ad conandum adducere valuiſſent. Quare in minus exiguam ſpem venio, fore, vt iſtos tamquam publicum ſummæ in TE obſeruantiæ meæ teſtimonium, gratique & beneficio-

rum haud immemoris animi indicium, benigne accipiens, conatum meum æqui bonique conſulas. Optime cum prænobili Familia vale, res TVAS Eccleſiæ atque Reipublicæ commodo ex ſententia porro gere; & beneuolentiam TVAM, qua alienigenam me adhuc fouiſti, conſerua. Scribebam Hanoueræ, in ædibus TVIS, a. d. XVI Kalendas Martias CIↃ IↃ CC XIII.



PRAEFATIO
AD
LECTOREM.

NIhil tam ſtabile, tamque firmum eſſe in rerum vniuerſitate, quod non crebris mutationibus ſit obnoxium, ab optima illa vitæ noſtræ magiſtra, ac vetuſtatis nuntia, Hiſtoria, dilucide maxime edocemur. cui quotidianus vſus accedit; qui humanarum rerum naturam ita comparatam eſſe, confirmat, vt, ſi quid ad ſummum cunctanter ſatis adſcenderit faſtigium, citato plerumque gradu ad imum iterum reuoluatur. *Sermonem Latinum* vna cum Romanorum Eloquentia ex tot grauisſimis teſtibus, quibus illud comprobari poteſt, ſolum in præſentia adducam: vtpote qui eadem vſus eſt fortuna, qua Imperium, cuius fidelisſimus per bene multa ſæcula ſocius fuit, vſum eſſe nouimus. Enimuero *oratorum*

laus ita ducta ab humili venit ad summum, vt Ciceroni *iam senescere, breuique in nihilum ventura* videretur (a); siquidem naturam in omnibus rebus ferre id, perspectum satis habebat. Accidit certe, vt, *quum subito alia cadere cœpissent in ciuitate, ipsa etiam eloquentia obmutesceret* (b); *& infusa in vrbem peregrinitate, nullum quoque veteris leporis appareret vestigium* (c). Quod si *Ciceronis ætate* id iam contigit; circa quam, M. An. Senecæ (d), *quicquid Romana facundia habuit vmquam, quod insolenti Græciæ aut opponere, aut præferre potuit, effloruisse*, visum est: quid, quæso, temporibus, ætatem istam insequentibus, euenisse, arbitremur? *Rem* nimirum *in deterius quotidie datam deinceps esse*, ipsi Romani profiteri necesse habuerunt (e): quum non ita multo post *Augusti* tempora eloquentiam se perdidisse deprehenderant. quandoquidem *vmbrati-*

(a) Tusculan. Quæstion. lib. II, c. 2.
(b) Cic. in Bruto, cap. 5.
(c) id. Epist. ad familiar. lib. IX, ep. 15.
(d) Controuers. lib. I, procem.
(e) ibid.

bratici doctores leuibus atque inanibus sonis ludibria quædam excitando effecerant, vt orationis corpus eneruaretur atque caderet (f). Eo denique, quis putaret, res circa *Valentiniani* ac *Valentis* tempora in Vrbe deducta est, *vt detestantes, velut venena, doctrinas, Iuuenalem & Marium Maximum curatiore studio legerint; nulla volumina præter hæc in profundo otio contrectantes* (g).

Quibus fatis *Latinus sermo* sit iactatus; quemadmodum *peregrina verba* ex omnibus prope gentibus, vt homines, vt instituta etiam multa, in Latium, siue Romam venerint (h): & qua ratione *septemtrionales populi* victricia vbique arma circumferentes vniuersum fere Italiæ cultum ita demum sustulerint, vt

 ipsa

(f) Petron. Arbitr. Satyr. init.

(g) Ammian. Marcell. lib. XXVIII, c. 4. pag. 576, ed. Lugd. Bat. an. 1693, 4. Quemadmodum *integerrima eloquentiæ forma* sensim obsoleuerit, *Franc. Vauassor* luculenter admodum demonstrauit in oratione, quam *pro vetere genere dicendi contra nouum* habuit, quæ inter orationes miscellas tertia est, operum coniunctim nuper Amstelodami editor. pag. 201, seqq.

(h) Quintiliani Institut. orat. lib. I, c. 5.

ipſa deuicta demum ab iis atque ſubacta Roma in *barbariem* delaberetur, pluribus verbis perſequi nihil attinet. Actum omnino agerem, ſi facere id inſtituerem, poſtquam clarisſimi viri dudum id præſtitere: *M. Ant. Sabellicum* (i) puto, *Carolum du Freſne* (k), *Melch. Inchofer* (l), *Olaum* (ll), atque *Andream* (m), *Borrichios*, *Chriſtoph. Cellarium* (n), *Dan. Georg. Morhofium* (o), *Io. Alb. Fabricium* (p), alios, quorum numero etiam, *Dau. Peiferus*, *Gaſp. Scioppius*, *Gerh. Io. Vosſius*: qui ſinguli de *Latinæ linguæ fatis* ac *diuerſis ætatibus* vniuerſe, & quidem fuſe ſatis atque eruditisſime commentati ſunt. Illo ſcilicet tempore, quo *Gothi* in primis & *Langobardi* crudele,

(i) in Dialogo de Latinæ linguæ reparatione, Neap. Nemet. an. 1617, 8.
(k) in Præfatione Gloſſarii Lat.
(l) Hiſtoria Sacræ Latinitatis, Monach. an. 1638, 8.
(ll) Cogitationibus de variis linguæ Latinæ ætatibus, Hafn. an. 1675, 4.
(m) Vindiciis Latinitatis purioris, Hafn. 1706, 8.
(n) Diſſertatione de Fatis linguæ Latinæ Hal. 1701, 4. & in Prolegom. Curarum poſterior. de Barbariſmis.
(o) Polyhiſtoris Litterarii lib. IV, cap. 11, ſeqq.
(p) Bibliotheca Latina, Hamb. an. 1708, 8.

dele atque exitiosum maxime bellum Italiæ intulerunt, imperii sede occupata; *imperiosam* quoque *linguam* conticuisse tandem vbique, & obmutuisse fere penitus, constat; barbaris ad sui idiomatis modulum ac mensuram eam detorquentibus. quæ quum tot populis metum prius incussisset, cur *terribilem* ipsam appellarint, caussas habuisse mihi videntur non adeo iniustas.

Nouem circiter post populorum istorum in Italiam aduentum præterierant *sæcula*, quum paucis oppido Latini, eiusque puri ac elegantis, sermonis studium, & ex ruinis, quibus opprimebatur, reparandi cura fuerat. Nam licet plerique *Gothorum Reges Romanæ linguæ fautores* fuisse dicantur (q); quippe qui sine huius cultu imperii, quod occupauerant, maiestatem difficulter se retenturos censuerant: *Langobardos* tamen omnem eiusdem linguæ cultum, quantusquantus Gothis dominantibus Italiæ relictus videri poterat, sustulisse paullo post, quis ignorat? sub quibus videlicet *aliam lin-*

guam

(q) Melch. Inchofer Histor. S. Latinitatis lib. II, c. 6.

guam accepit *Italia*, quæ vocabulis quidem Latina videbatur, ſed barbarorum deprauatione & noua flexione, admiſtis etiam nouis, peregrinam formam induerat; poſteaquam a Gothis corrumpi iam cœperat atque dilacerari (r). Licet vero etiam vrbs Roma, Langobardis his a Carolo M. debellatis, ex diuturno ſqualore ſeſe refecerit quodammodo: priſtinus tamen Latinæ linguæ nitor reſtitui ei prius non potuit, quam *ineunte ſæculo XV*, vel, ſi mauis, *medio XIV.* Etenim tanto vbique per aliquot continua ſæcula flagrauerant antea homines in ſcholis *diſceptandi ardore*, vt omni verborum munditia & ſtructuræ cura abiecta, *ſubtilitatibus* ſtuderent *Metaphyſicis*, *captioſisſimo*que *interrogationum genere* vnice delectarentur.

Oppetiiſſent ſine dubio tum liberales artes, extremum ſpiritum dudum ducentes, ſiue, vt verius dicam, denſisſimis tenebris pridem obrutæ, perpetuo fortaſſe ſepultæ iacuiſſent, niſi illorum *tempo-*

(r) vid. Cellarii diſſertat. de Origine linguæ Italicæ ex barbarorum incurſionibus natæ, Hal. 1694.

temporum exſtitiſſet *felicitas*, quibus a præſtantisſimis Italiæ viris nihil prius ducebatur, quam vt libros ſitu ac pul-uere ſqualentes, & a tineis, blattis, mu-ribusque arroſos ac conſumptos fere, vndique protraherent, & ſumma cura atque ſtudio emendarent; quo popula-ribus talia eſſent monimenta, quæ ad-mirarentur, & quæ, venuſtate ac pulcri-tudine eorum capti, imitari ſtuderent. Sic *Franc. Poggius Fab. Quintiliani Inſti-tutionibus*, *Ciceronis*, aliorumque bono-rum auctorum libris; alii aliis veterum ſcriptis ex *monaſteriorum ergaſtulo* libe-ratis, effecerunt, vt Itali, captiunculis iſtis, quibus ſibi adhuc tantopere placue-rant, reiectis, veterum monimenta diur-na nocturnaque verſarent manu; atque ornato & imitatione iſtorum compoſi-to dicendi genere ad ſingularem adſpi-rarent laudem. Qualis *Franc. Petrar-chæ* iam debetur, vtpote qui compluribus annis ante Poggium, & *omnium primus* Iul. Cæſaris Scaligeri iudicio (s), *ex lutu-*

lenta

(s) Poetic. lib. VI, cap. 4. p. 297, edit. an. 1561, ap. An-ton. Vincentium, fol.

lenta barbarie os cœlo attollere ausus est; *reflorescentis eloquentiæ princeps* ideo ab Erasmo appellatus (ſ): ita, vt Leonh. Aretinus non ſine Petrarchæ huius deprecatione *Ioanni Grammatico* laudem hanc impertitus videatur Gerh. Io. Vosſio (sſ): quando ipſum *primum in Italia eloquentiæ ſtudium, vna cum imperii maieſtate prorſus fere deperditum, reparaſſe*, adfirmauit. Sunt etiam, qui *Gaſparianum omnium primum oculos ad veteris eloquentiæ vmbram retorſiſſe*, perhibent (t); ea fiducia fretum, quod in *tres M. Tullii ad Quintum Fratrem epiſtolarum libros* primus inciderit. Alii *Danthem Aldigerium*, Petrarchæ præceptorem, *ſermonem Latinum ex Orci tenebris eduxiſſe*, ſtatuerunt (tt). Quisquis eſt ille, cui laus hæc debetur; *Italiæ eruditos* exemplo ac imitatione inter ſe exci-

(ſ) Ciceronian. p. m. 557. ed. Baſil. an. 1528, ex offic. Froben. 8.

(sſ) de Hiſtoricis Latinis lib. III, c. 1. p. 524, edit. Lugd. Bat. an. 1651, 4. conf. eumd. Vosſium de Poetis Latinis cap. 7.

(t) M. Ant. Sabellici Dialog. de Latinæ linguæ Reparat. p. 12.

(tt) ibid. p. 59.

excitatos animum ad Latinam linguam magis magisque excolendam appuliſſe ea tempeſtate, certum eſt: inter quos celebre cum primis nactus eſt nomen *Laurentius Valla*, *rigidisſimus*, vt ab eruditis appellatur (u), *Latini ſermonis cuſtos*: inter quem & laudatum antea Poggium ſtudiorum non æmulationem ſolum, ſed acriorem obtrectationem interceſſiſſe, nouimus. *Guarinus Veronenſis* etiam, quum in *Ciceronis de Oratore libros* incidiſſet, eorum lectione & diuulgatione, ceu face, doctorum animis ſubiecta, *eloquentiæ ſtudia præcipue accendiſſe*; eaque induſtria ſua, non tantum in Italiam, patriam Latinæ linguæ, reuocaſſe, ſed in vniuerſas Europæ

(u) Caſelius in prolegom. in Thucydidis interpret. p. 26. *Vallam acrem Latinæ linguæ cultorem* vocat; pro qua tam fortiter & tanta animi contentione pugnauerit, vt multorum odia, & inuidiam in ſeſe concitarit: *neque attinet*, inquit, *dicere*, *quantum ipſe vel in omni genere doctrinæ, vel in arte dicendi atque ſcribendi, ſibi profecerit. certe enim publicæ vtilitati mihi profeciſſe videtur plurimum, qui a barbarie ſermonis deterritis adoleſcentibus eosdem allexit ad illius puritatem exemplo & præceptis ſuis.* Plura de Valla iudicia vid. in Thom. Pope Blount. Cenſur. Auctor. p. 462.

pæ prouincias diſſeminauiſſe, dicitur (v).

Et ſic immanis barbaries, quæ bonas litteras per tot ſæcula vinctas conſtrictasque tenuerat, laudatorum virorum, & illorum, qui ſuppetias iis ſubinde iuerunt, magno animo propulſata demum, & *Latinus ſermo a ſeruitute feliciter eſt vindicatus:* cui *litteræ*, *vna fidelis rerum cuſtodia*, firmitatis quicquam dederant; quod ſine iſtis in re inſtabili maxime ſperandum non fuerat (x). Opem, quam *Græcorum eruditisſimi*, quibus Turcarum rabiem fugientibus Italia tutisſimus portus fuit atque perfugium, Italis in eodem ſermone vindicando tulerunt eo tempore, permagni etiam faciendam eſſe, nemo non exiſtimat. qui *in Latine ſcribendi facultate omnes Latinos prouocare potuiſſe* quibusdam videntur (y). Ipſi Itali *incredibilem Lati-*

tino-

(v) Criſ. Melanchthon. p. 123.

(x) Lipſius Cent. III ad Belgas ep. 44, p. 55, edit. Plantin.

(y) Herm. Conring. de Scriptorib. XVI poſt Chr. nat. ſæculor. Comment. Sect. XV, c. 2. *Florentiæ* in primis vrbi multum idcirco deberi, quod perhuma-

tinorum verborum proprietatem in eorum ſcriptis admirati, dubitarunt adeo, vtrum hanc Italis deberent, an hi ipſis Græcis acceptam eam referre neceſſe

niter liberaliterque exceperit optimos exſules, Melanchthon cenſuit, qui in oratione in laudem Nouæ Scholæ Norib. habita T. I Declamat. p. 440. ſcripſit: *Maximum beneficium paullo ante hæc tempora in vniuerſum Europam vrbs Florentia contulit, quum primum Græcarum litterarum profeſſores patria pulſos iusſit ad ſe diuerti, & non modo hoſpitio iuuit, ſed etiam reddidit illis ſua ſtudia, poſtquam amplisſimis ſtipendiis ad docendum inuitauit, in reliqua Italia profeſſores artium e Græcia profugos, nemo adſpiciebat, & vna cum Græcia linguam, & litteras Græcas amiſiſſemus propemodum, ni Florentia doctisſimos homines calamitate leuaſſet, quod absque Florentinis fuiſſet, futurum fuit, vt prorſus obſoleſceret Latina lingua, ſic vitiata barbarie, conſpurcataque; & Græcæ linguæ ne quidem vlla iam veſtigia exſtarent, & occidiſſent vna monimenta religionis noſtræ, nec iam ſacrorum librorum titulos, amiſſa Græca lingua, quisquam intelligeret. Nam Romæ miſere eſuriebant exſules illi, quum pontificiæ opes, præcipue collocari deberent, vel in calamitoſos, vel in eos, qui tractatione litterarum religioni operam nauarent.* Poſtquam enarrauit, quam paruum operæ ſuæ pretium *Theod. Gaza* ab ipſo Pontifice tulerit; addit: *Sed poſtquam Florentinorum beneficio boneſtæ artes reuiuiſcere cœpere, magna vtilitas inde ad omnes gentes deriuata eſt, multorum vbique excitata ſunt ingenia, ad optimarum rerum ſtudium. Nam & Latinos homines Græcorum æmulatio ad patriam*

haberent (z). *Eman. Chryſoloram*, *Georg. Trapezuntium*, *Theod. Gazam*, reliquos, me intelligere, facile quemque coniecturum, arbitror: Hunc Iul. Cæſar Scaliger ita loquentem introduxit (a):

Barbariem qui expugnaui, me barbarus hoſtis
Expulit. at pulſus, ſic quoque victor abii.
Auexi patriam ex patria ſub pectore ſancto:
Quæ miſeranda cani præda futura fuit.
Inuexi Romam in Latium. Cognoſcite Romam,
Quæ belli nullo turbine capta, viget.

Quanta de reliquo induſtria mentisque intentione rem, deſperatam fere antea, aggresſi tum ſint, vel inde patet, quod rem eo perduxerint, vt non Itali ſolum,

linguam inſtaurandam, quæ pene funditus collapſa erat, exſtimulauit. - - - Non dubium eſt igitur, quin præclare Florentia de omnibus gentibus merita ſit, quæ litteras velut e naufragio in portum recepit, conſeruauitque.

(z) Sabellicus c. I. p. 24.

(a) inter Heroes ſuos, pag. 311, Poemat. edit. Commelin. an. 1621.

ſolùm, ſed *ſingulæ* etiam *cultioris Europæ gentes*, Italorum ſtudio concitatæ, adeo *exquiſitam* in monimentis ſuis oſtenderint non ita multo poſt *Latinitatem*, vt, ipſam *Romam antiquam elegantius ſcribere potuiſſe*, negauerint nonnulli (b): quibus gentes iſtæ viros adeo oſtentaſſe viſæ ſunt, qui *cum ipſis Romanis certare valuerint*, *Romam* autem *declinantem multis paraſangis anteceſſerint*. Maxime enim tum *Romana lingua*, vt eruditisſimus Thom. Bartholinus loquitur (c) *inter eruditos adorata eſt*, *qua animi ſui ſenſa*, *vt omnibus innoteſcerent*, *exprimerent*, *quum ſingulas nationum linguas addiſcere*, *nec vacaret ſcriptoribus*, *nec lectoribus ſufficeret*. Quod quidem ab ipſa etiam barbarie factum eſt, ſed quam feliciter, inter omnes conſtat. Pure, perſpicue, eleganterque vt Latina lingua exprimerent animi ſui ſenſa certatim, tantoque ſtudio ſæculo XV elaborare vbique gentium cœperunt homines, vt fuerint, qui intempe-

(b) vid. Morhof. de Patauinitate Liuian. lib. cap. 15.
(c) differtat. de Libris legendis, p. m. 56.

riarum coarguerint eos (d), velut tales, *a quibus maiorum haberi cœperit verborum, quam rerum cura: plerique* enim, istorum sententia, *magis comptam adfe-ctabant tum phrasin, teretem periodum, clausularum rhythmos, troporumque stellulas, quam rerum pondus, rationum neruos, inuentionis acumen, aut iudicii limam.* Caussis, quæ effecerint, vt tale quid isto sæculo tentarint eruditi, *odium & contemptum erga scholasticos* adnumerarunt censores isti: quos diuerso admodum dicendi genere vsos adhuc esse, ipsi inficiari non possunt. siquidem *noua* ac *horrida* plane *verba cudisse* scholasticos, de orationis ornatu atque elegantia parum sollicitos, palam est. perinde ac si nihil magis curæ habuissent, quam vt *circuitionem* studio euitarent, sensusque & conceptus suos *acute* exprimerent. Neque vero temere damnandum putabant iidem isti censores, si qui philosophiæ obscura & aspera, verborum splendore illustrarent, expoli-

(d) Franc. Baco de Verulamio de Augmentis Scientiarum lib. I, p. m. 26.

polirentque: quum huius rei magna in Xenophonte, Cicerone, Seneca, Plutarcho, ipſoque Platone exſtent exempla, neque minor ſit vtilitas. *Saeculi* iſtius *felicitatem* Caſelius his verbis neruoſe admodum deſcripſit (e): *Ab annis circiter centum & quinquaginta e Graecia in Italiam illatis denuo Graecis litteris, reſpexere orbis Chriſtiani prouincias praecipuas pleraſque Muſae, ſic vt litterae paſſim colerentur, non ſolum pauci ſermone quodam Latino de rebus abditis muſſarent, ſiue differerent. Illorum, qui pauci tamen & obſcuri erant, ſapientiam non reprehenderim, de qua plurimum etiam participare deſiderem: aio, ex illo ſaeculo lucem ortam humanitatis pluribus populis, & fulſiſſe latius bono generis mortalium.*

Ad ipſam *Italiam*, vbi opus primum aggreſſi ſunt, quod attinet, ingens & mirandus plane hominum *pure maxime emendateque ſcribentium* XV & XVI ſaeculo ibi fuit prouentus: quorum nomi-

(e) epiſt. ad Io. Reccium, reip. Goslarienſ. Conſulem, an. 1605 ſcr. B. 1, 2.

na ſcriptis ita illuſtrata ſunt, vt mentione eorum ſuperſedere poſſe mihi videar. Facere tamen non poſſum, quin paucos præter laudatos antea nominem. Primus horum ſit *Nic. Perottus;* qui *Sypontinus* epiſcopus factus, grammaticis quidem adnumerari ſe, ægre tuliſſe fertur: mortuum tamen facile id conceſſurum, puto: præſertim ſi *Io. Picum*, præclara eruditione, ac minime vulgari orationis genere conſpicuum Principem lateri ipſius adiunxero; & quos hic ob inſignes ingenii dotes & eximium Latini ſermonis cultum ſingulari proſecutus eſt beneuolentia, *Hermol. Barbarum*, & *Angel. Politianum.* Mirifico eiusdem ſermonis ſtudio clarisſimi porro exſtitere in Italia, *Leonh. Aretinus*, *Io. Ant. Campanus*, *Franc. Philelphus*, *Io. Iou. Pontanus*, *M. Ant. Sabellicus*, *Pet. Bembus*, *Iac. Sadoletus*, *Lazar. Bonamicus*, *M. Ant. Flaminius*, *Aon. Palearius*, *Marc. Ant. Maioragius*, *Sebaſt. Corradus*, *Io. Caſa*, *Romul. Amaſæus*, *Paul. Manutius*, *Vbert. Folieta*, *Quint. Marius Corradus*, *Petr. Victorius*, *Carol. Sigonius*, *Ant. Riccobonus*,

nus, *Io. Petr. Maffeius*, *Horat. Turſellinus*, *M. Ant. Bonciarius*, *Io. Mich. Brutus*, & complures alii (f). Vt de excellentisſimis *Poetis* nihil dicam, quos Italia inde a Petrarchæ temporibus infinitos fere protulit, & quibus, vt Poeſin ad priſtinum ſplendorem deducerent, maximæ curæ fuit. & vt de eruditisſimis *Feminis* ſileam, pure eleganterque dicendi maxime ſtudioſis; inter quas primas facile tenuit *Olympia Fuluia Morata*: inſigne Germaniæ noſtræ, poſtquam natale ſolum ob religionem vertere coacta fuerat, ornamentum: vbi Græcas Latinasque litteras publice docuit, in magnam eos, qui ipſam audiebant, traducens admirationem (*). Aetate, minime vero

 eru-

(f) conf. Eraſmi Ciceronian. p. 357, ſeqq.

(*) vid. Opera eius auctiora Baſileæ edita an. 1580, & Cœlii Secundi Curionis, aliorumque eruditorum de ſingulari eius doctrina teſtimonia, Operibus adiecta. item Elogia ex Thuani Hiſtoria excerpta, ab Ant. Teiſſerio Gallice conuerſa notisque illuſtrata: vbi præter M. Adamum plures nominantur, qui doctisſimæ Feminæ laudes ſunt perſecuti: Thuanus poſtquam multa de ipſa prædicauit, ſcribit: *Miſcellanea eius opera feminæ omni laude dignisſimæ mores & raram eruditionem exprimunt, & quid a tam excellenti ingenio exſpectari potuiſſet, niſi præ-*

eruditione, ac nominis celebritate antecesſit *Caſſandra Fidelis*, doctisſima licet femina(**). Circa XV ſæculi finem illi, qui *Ciceronianorum* nomine appellatos ſe voluerunt, in Italia prodierunt: in quos, velut in homines, qui veræ Ciceronianæ imitationis vim parum cognitam haberent, Eraſmum in Ciceroniano ſuo acerrime inuectum, multorum, Scaligeri in primis atque Steph. Doleti, calamos in ſe concitaſſe, nouimus.

Equidem alterum iſtud hominum genus, quo magis pernicioſum, eo minus ferendum fuisſe, arbitror: quibus exeunte ſæculo XVI in Italia magnum Latinum ſermonem inſectandi ſtudium fuit, quum *Latine ſcribi nec debere, nec omnino recte poſſe*, contenderent; popularem ſermonem Latino præferentes. Oppoſuerunt ſe quidem his viri non-

maturè adeo in viuis eſſe deſiiſſet, clare oſtendunt. De virtutibus, fatis atque morte eius pluribus etiam verbis egit M. Cruſius Annal. Sueu. P. III, lib. IX, c. I.

(**) Elogium eius conſcripſit Iac. Philippus Tomaſinus. biennio abhinc cum Eruditisſimorum quorumdam virorum & *Helenæ Cornariæ* Vitis Vratislauiæ recuſum.

nonnulli perquam eruditi, acriter ſatis pro Latina lingua propugnantes : ex quibus tres inſtar omnium nominandos cenſeo, *Romulum Amaſæum* (ff) *Vbert. Folietam* (g) & *Quintum Marium Corradum* (h), viros diſertisſimos. Sed tamen quemadmodum Ciceronis ætate eloquentiam, vix ad ſummum ductam, cecidisſe mox iterum, vidimus; ſic Latinus etiam ſermo altero ſtatim ſæculo poſt, quam honos eius in Italia tanto conatu, tantaque eruditorum æmulatione reſtitui cœptus fuerat, ſpretus ibi iterum eſt, atque reiectus: ita, vt de *Petro Victorio* adfirmet Thuanus (i), eum longa ſua ætate id conſecutum eſſe, *vt litteras in Italia renaſcentes viderit, & pene iterum exſtinctas.* Nam *ſinceræ* iſtius & con-

(ff) ſcripſit Scholas II de *Latinæ linguæ vſu retinendo:* quas inuenies inter eius orationes pag. 101, ſeqq. edit. Bononienſ an. 1580, 4.

(g) emiſit de *Linguæ Latinæ Vſu & Præſtantia* libros III, qui cum Operibus eius ſubciſiuis prodierunt, Romæ an. 1579, ſeparatim antea ibi excuſæ.

(h) in Epiſtolis, quibus *contra falſas opiniones indoctorum hominum Latini ſermonis cauſſam tuetur*, XIII de lingua Latina libris adiectis, Bonon. an. 1575, 4.

(i) lib. LXXXII hiſtor. in fin.

constantis eloquentiæ munita arx, qua ingenuum Romani candoris pudorem aduersus externos inexpugnabilem conseruari atque defendi posse ac deberi, statuerant Itali (k), iam tum erat expugnata; postquam in ista statione ad perenne decus non intente satis vigilauerant, nec, Bembo atque Sadoleto signiferis, generose satis arcem istam defenderant. Quare

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri;
Casus inest illic: hic erit artis opus.

Latinæ autem linguæ fastidium tantopere cepisse tum Italos (l), vt *patriam auitamque possesionem* eripi sibi, vltro passi sint (ll), & P. Manutii iam ætate, in quo vno quasi eloquentiæ cupiditas constitisse tum visa fuerat, *Hetrusce gloriari*, quam *Latine aut Græce sapere* ma-

(k) Paul. Iouius, Elog. doctor. viror. p. m. 279.

(l) Io. Caselius exeunte sæculo XVI scribere non dubitauit: *Italos iam pridem fastidium cepit Græci sermonis & satietas Latini.*

(ll) vid. elegantissimam Petri Io. Perpiniani ad Romanam iuuentutem de *auita dicendi laude recuperanda* orationem, quæ ordine est XI, p. m. 297.

maluerint (m); pluribus teſtimoniis me comprobare, opus non eſt. Tantum addam, Italos exemplo ſuo effeciſſe, vt non minus quis de ipſorum ingeniis mirari queat, quam Velleius Paterculus de Græcorum & Romanorum quondam miratus eſt ingeniis (n): *Quod videlicet eminentisſima cuiusque profesſionis ingenia in eamdem formam, & in idem tam artati temporis congruens ſpatium congregari videantur, vt vna, neque multorum annorum ſpatio diuiſa, ætas artem intra paucisſimos annos inuenire, neque imitandam relinquere conſueuerit: omni quidem, quod in eximia artis cuiusdam ſcientia clarum exſtitit, anguſtiis temporum adeo artato, vt nemo memoria dignus alter ab altero videri nequiuerint.*

Italorum exemplo *pleraſque Europæ gentes* ad Latinæ linguæ ſtudium concitatas eſſe, ſupra adfirmaui. Nec irrita fuit æmulatio hæc: nam etſi fuerunt inter Italos inuidi maxime homines, qui Ro-

(m) Io. Sturmius de Exercitationib. rhetor. lib. B. 2, b.
(n) lib. I Hiſtor. cap. 16.

Romane, id eſt, pure eleganterque ſcribendi facultatem nemini, niſi popularibus ſuis, conceſſam eſſe, perhibere haud erubuerunt: & etſi Longolius ideo apud Italos commorari maluit, quam apud ciues ſuos Galloſue, quod cœli in Italia clementia ad excitanda fouendaque ſtudioſorum hominum ingenia plurimum conferre arbitratus eſt (o): Singulæ tamen Europæ gentes viros omnino habuerunt, qui cum Italis, immo cum ipſis veteribus, in certamen mitti potuiſſent. *Natura* enim tam iniuſta nouerca gentibus his non exſtitit. quæ licet ſe non æque benignam & clementem omnibus hominibus populisque ſemper præbeat: ipſæ tamen gentes almæ potius matris beneficia temere ſæpius repudiaſſe, ſiue ingratæ interdum neglexiſſe, videntur. Iudicii certe nihil in plerisque mortalium non eſt. ſunt ſcintillæ ad virtutem, ſed excitandæ induſtria humana, vt eius quodammodo efficiamur compotes (p).

Luſi-

(o) vid. vita Longolii Epiſtolis eius præf. quam etiam in Adami vitis philoſophor. inuenies p. 45, ſeqq.

(p) Caſelius in Laudat. Io. Alberti D. Megapol. B. 1, 2.

Lusitania, vt ab extremis Europæ finibus ordiar, *Emmanuelem Aluarum* aluit, cui & ob cultius dicendi genus, & artis veterum exemplis firmatas regulas primas inter grammaticos deberi, Casp. Scioppius censuit (q). *Hieron. Osorium* porro progenuit, virum oratione limatum maxime atque eruditum. *Hispania*, postquam non minus ad pristinam ingeniorum gloriam mature satis efflorescere cœperat, præter *Ludou. Viuem*, multosque doctos & eloquentissimos viros alios (r), quos protulit, celeberrimum suum *Franc. Sanctium* merito ostentat: vtpote qui, eiusdem Scioppii iudicio (s), *Minerua* ista sua *communis litteratorum omnium pater & doctor* appellari meruit. Eadem Hispania Italiæ *Petr. Io. Perpinianum* dedit, cuius eloquentiam disertissimi

(q) de veteris ac nouæ grammaticæ Latinæ origine differt. grammat. philosoph. præm.

(r) conf. Erasmi Ciceronian. p. 381, seqq. vbi ex Lusitanis *Hermicum* quemdam laudat, in epigrammatibus felicem, in oratione soluta promptum ac facilem, ad argutandum dexterrimæ dicacitatis. in primis vero conferas velim Ant. Antonii Bibliothecam Hispanam, opus eximium.

(s) Consultat. de Studior. rat. p. 62.

ſimi ætatis ſuæ viri admirati ſunt. *Gallia Petr. Bunellum* produxit (ſ), cui *Paulus Manutius* maximum acceptum retulit beneficium, quod ipſum cum quibusdam miſere errantem in recte ſcribendi viam induxerit (sſ). *Steph. Doletum* quoque, infelicem, at eruditisſimum, & de Latina lingua optime meritum virum dedit Gallia: cui *Ludou. Strebæum*, ſtilo plurimum præſtantem, debemus præterea: & quæ Romanam cathedram excellenti *Marc. Ant. Mureti*, finibus ſuis eiecti, eloquentia illuſtrari, paſſa eſt. *Adr. Turnebum*, *Is. Caſaubonum*, atque *Cl. Salmaſium*, ſummos poſt vtrumque *Scaligerum* criticos, quorum induſtriæ acerrimique ingenii viribus Latini æque, ac Græci ſcriptores multum debent, tuliſſe

(ſ) vid. Henr. Stephani præfat. Bunelli epiſtolis præm.

(sſ) Bunelli ætate ſuperiores atque æquales complures, Latinæ linguæ inter Gallos ſtudioſos, Eraſmus in Ciceroniano ſuo nominat p. 368, ſeqq inter quos *Iodocus Badius*, *Guil. Budæus*, *Io. Pinus*, *Nic. Beraldus*, *Fr. Deloinus*: in hoc prodigii ſimile videri potuiſſe, exiſtimat Eraſmus, quod quum ſæculo non admodum felici totam pene ætatem Accurſiis, Bartholis, ac Baldis contriuiſſet, in politioribus litteris & ſenex & feliciter repubuerat.

tuliſſe Galliam, nemini latet. cui *Rob. Stephanus*, eiusque filius *Henricus*, ortum etiam debent, quos immenſis ſuis laboribus Latinæ & Græcæ linguæ tantum lucis attuliſſe, cenſent eruditi, quantum vix in ſummis illarum ruinis atque caſibus eo tempore ſperare quisquam aut optare auſus ſit (t). Proximo ſæculo ad exitum vergente Gallia Latine doctisſimis ſuis ſummique ingenii ac doctrinæ viris adnumerauit *Franc. Vauasſorem*, & *Renatum Rapinum*, ambos ex Societate Ieſu.

Quod ſi *Bouburſio*, *Perralto*, & reliquis iuſtis iſtis, ſi Diis placet, ingeniorum æſtimatoribus fidem haberem, in Galliæ finibus mihi eſſet ſubſiſtendum: Latinæ enim linguæ cultum me fruſtra in vlteriori Europa inueſtigaturum, prædicere mihi videntur, quando reliquos *Europæ incolas omnis humanitatis ingeniique expertes magna laborare ſtupiditate*, adfirmant (tt). At *Anglia*, quæ *Thomam Linacrum*

(t) Io. Sturmius in præfat. Lexico Trilingui præm.

(tt) vid. ampliſſ. I. Fr. Crameri Vindiciæ Nominis Germanici.

crum(u), *Thomam Morum*, *Rogerum Aschamum*, pluresque Latinissimos viros alios producere potest, Erasmi ætate *Italiam* habuit, & *quiddam Italia præstantius* (v): quandoquidem tempore, quo elegantiores litteræ in Italia prope iacebant, *tantam & tam politam atque excultam doctrinam* ibi reperit Longolius, vt eam admirari satis non potuerit (x). Grauissimi certe exstiterunt ibi Mæcenates, exteras etiam Musas summo prosecuti fauore. quorum in numero postremo loco ponendus non est *Io. Coletus*, illustris

(u) hunc ab omnibus, qui elementa Grammatices iam didicerant, sæpe lectum voluit sua ætate excellentissimus Melanchthon, quum post Priscianum vnus in hoc genere non solum diligens, sed etiam iudicii solertia & dexteritate excelluisse, ipsi videretur. Cris. Melanchth. p. 519.

(v) lib. II epistolar. illustr. viror. ad Reuchlin. t. 1, a.

(x) in vita Longolii ap. M. Adam. in vitis philosophor. pag. 54. *Anglia* idcirco in Erasmi Ciceroniano *non infelix ingeniorum altrix* appellatur pag. 370. vbi plures Latinæ linguæ studio deditissimi Angli laudantur, quorum numero *Guil. Grocinus*, *Ricard. Paceus*, *Regin. Polus*. Huius laudes cognoueris in Vita ipsius, rarissimo olim libello, priusquam Londini an. 1696, 8, denuo prodierat: quem, a Ludouico Beccatello Italice conscriptum, Andreas Dudithius elegantissime Latine vertit, & an. 1563 Venetiis imprimi curauit.

ſtris nominis, & ſummæ inter ſuos auctoritatis vir: cuius merita Eraſmus magnifice in ſcriptis ſuis collaudat. *Scotia Georg. Buchananum*, & alios eloquentes viros inuidis cenſoribus iſtis opponere poteſt. Quales *Daniæ* etiam fuerunt, *Sueciæ, Poloniæ, Boruſſiæ* atque *Hungariæ*. *Dania* ſæculo XII *Saxonem Grammaticum* habuit, qui gentis ſuæ hiſtoriam ita ſplendide magnificeque contexuit, vt Eraſmus (y) vehementer ſit admiratus, vnde illa ætate homini *Dano* tanta eloquendi vis, & tam mira verborum copia ac figurarum varietas. Superiori ſæculo *Ol. Borrichii* in primis eloquentiam & ſingulare Romani ſermonis vindicandi ſtudium cunctæ Europæ admirandum præbuit (*). *Polonia* omnem accuratiorem Latini ſermonis cultum inde a medio XV ſæculo vsque *Sueciæ* debere videtur: ſiquidem Rex *Caſimirus IV*, Iagellonis filius, vt omnibus Latinæ linguæ rudibus Polonis omnem ad honores

 in

(y) in Ciceronian. p. 374. (*) vid. Io. Molleri doctiſſimam præfationem, de *Gentium Borealium in Litteras Meritis*, quam Bibliothecæ Septemtrionis Eruditi præmiſit, pag. 49, ſeq.

in patria adſcendendi ſpem ademerit, *Caroli Canuti*, Sueciæ Regis, exemplo Romanique ſermonis ſtudio adductus eſſe, dicitur. Nam quum hic linguæ, quæ Polonis patria eſt, imperitus Caſimirum Regem in conuentu Dantiſci habito Latine allocutus eſſet, neque vero ipſe Rex, neque procerum quiſpiam, Latine reſpondere valuiſſet; ita, vt quidam ex monachorum vulgo interpretis munere perfungi deberet: Regem ſuæ ſuorumque ignorantiæ tantopere ſuppudebat, vt ſubiectis ſerio imperaret, vt in lingua Latina addiſcenda multum operæ deinceps collocarent. Quo edicto factum perhibent, vt ſinguli ferme amplioris paullo conditionis in *Polonia* homines *Latinæ linguæ* poſtmodum *ſtuduerint*: & quidem tam exquiſite, vt eruditi *Polonorum* hac in re *iudicium* maximi faciendum cenſuerint ſemper, plerarumque aliarum gentium anteponendum. Enimuero etſi Gallis & Italis non parum quoque tribuendum videatur: Polonis tamen non minus, niſi plus forte, tribuendum eſſe, exiſtimant;

quum

quum ad nullum diſciplinæ genus, quod a ſtudio dicendi iuuentutem longius amouere videatur, ſeſe conferant. nec enim iure ciuili Romano diſcendo diſtineri eos, addunt, quum ſuis legibus viuant, & ad commentarios iuris ciuilis vix vmquam reſpiciant, ſed ſtatim a pueris *Latinos ſcriptores* lectitent, & ad imitandos eos ſeſe comparent; longinquas eapropter regiones adeant, domi permulta illo ſermone tractanda ſuſcipiant & perficiant: denique *laudem non vulgarem* in *Latina eloquentia* ponant. quod illas, quamuis totius Europæ cultisſimas gentes, non facere, ſciamus, in patriis linguis expoliendis ita occupatas, vt Latinam negligant, & aſpernari interdum videantur (z). Non multo minorem, vel æque magnam potius, in Latina eloquentia laudem poſuerunt ſuperiori tempore Polonis finitimi *Hungari*: quorum popularem, *Andream Duditbium*

 cun-

(z) Caſelius in orat. funebr. Andr. Mylio ſcr. G. 2, a. de *Polonicæ nobilitatis in elegantioribus litteris addiſcendis inſtituto* agit etiam Rein. Reineccius in præfatione, Adnotationib. Io. Glandorpii in M. T. Ciceron. lib. VI epiſt. ad familiares præm. p. 181.

cuncta Europa XVI ſæculo ſuſpexit, vt virum ingenio omni ſcientiarum genere exculto, iudicio, rara Latine ſcribendi dicendique facultate (a): ſiue, vt alii eum vocarunt (b), omnibus animi & naturæ muneribus refertum, omnisque politioris doctrinæ atque elegantiæ principem. Enarrata hactenus, Thom. Bartholinum vere ſcripſiſſe (c), quodammodo teſtari poſſunt: *Patria, ſeu natale ſolum, ingenii fœcunditatem prodet, ſi vel externo Phœbi calore incaleſcant, vel interno pectoris etiam inter frigidos Getas, algentemque perpetua niue Boream calore excitati vim mentis exſerant.*

Ad *Belgium* quod attinet, cultisſima regio quam plurimos ſemper non ſolum fouit,

(a) Thuanus lib. XCVI, hiſtor. fin. & in Gerh. von Stœkken Thuano enucleato, P. II, p. 11. it. in Elogiis eruditorum ex Thuani hiſtoria collectis, & Gallice cum additionib. ab Ant. Teiſſerio editis: P. II, p. 125, ſeqq.

(b) Io. Mich. Brutus in ep. lib. IV, p. 436, edit. Berol. In *Hungaria* Eraſmi ætate *Iacobus Piſo* vixit, quem is in Ciceroniano ſuo pag. 381 *ſtudioſum eloquentiæ Tullianæ candidatum* appellauit. Vbi ſimul oſtendit, *Sarmatiam* habuiſſe, qui in eloquentia contemni non queant.

(c) diſſert. de Libris legendis p. 35.

fouit, ſed etiam ipſa progenuit, eloquentisſimos viros, qui, ipſo liuore fatente, præclare de Latino ſermone meriti ſunt (d), inter hos ſunt: *Eraſmus Roterodamus*, *Hadrian. Iunius*, *Ant. Schorus*, *Daniel* & *Nicolaus Heinſii*, *Hugo Grotius*, *Ianus Gruterus*, *Mar. Zuerius Boxhornius*, *Domin. Baudius*, *Petr. Cunæus*. inter eos, quos fouit, & quos Germaniæ debuit Belgium, principes fuerunt *Gerh. Io. Voſſius*, *Io. Frider. Gronouius*, *Io. Georgius Græuius*. Præter quos triumuiros ſi patria noſtra nullos plane Latinitatis tuliſſet vindices, quorum tamen tulit ſane quam plurimos: eorum merita tanta omnino eſſe videntur, vt illam ab iniurioſi maxime in Germanos Steph.

(d) *Hollandiam* quidem ſuam haud infœcundam bonorum ingeniorum parentem ſuo tempore fuiſſe, tradidit Eraſmus, at *neque honorem eloquentiæ tum habitum eſſe, & voluptates indolem non temere matureſcere ſiuiſſe*, teſtatus eſt in Ciceroniano ſuo, p. 374. ex *Zelan is* ob Tullianæ dictionis facilitatem laudat *Adr. Barlandum*: poſtquam *Guil. Gandauum* in epiſtolis *Atticum*, in carmine bonum, prædicauerat: p. 376 exclamat: *O ſcelerate luxus, quantum felicium ingeniorum vel corrumpis vel abrumpis!* Multa tum felicia admodum *Belgii ingenia* collaudat Eraſmus, plurima de ſe ipſo proferens.

Doleti conuiciis vindicare nunc valeant: vtpote qui *neminem, qui puro veraque Latinitatis ſtilo vſus ſit, prodiiſſe ex Germania* noſtra, adfirmauit (e): quum tamen ipſius iam ætate ciues huiusmodi ei haud defuerint. quare *inuidiæ* ac *obtrectationis* ſuſpicione minus liberare ſe poterit, quam *Archintus*, Patricius Mediolanenſis, qui *Germaniam adeo barbaram* vocauit *horridamque* (f), *vt Latinorum vocabula ignorarit*; & *Io. Ant. Campanus*, qui ſe non ad *mores* ſolum, ſed ad ipſum etiam *Germaniæ nomen nauſeaſſe*, ſcripſit (ff): quum nihil viderit ibi, quod oculos, nihil, quod manus, nihil, quod ſenſum aliquem humanitatis delectare potuerit. Namque dira adhuc tum barbarie oppreſſam fuiſſe patriam noſtram vtriusque ætate, inficias ire non poſſumus. At, ipſo doctisſimo quodam Italo fatente (g), *occulta* quadam, vti arbitraba-

(e) vid. Morhof. de conſcrib. epiſt. p. m. 45.

(f) in præfat. Epiſtolar. Aeneæ Syluii.

(ff) in epiſt. lib. VI, ep. 1 & pasſim in aliis ſuis epiſtolis.

(g) P. Iouius in Elog. p. m. 278.

trabatur, *siderum commutatione* tandem euenit, vt *Germaniæ cœlum* molestis Boreæ flatibus frigore geluque damnatum, horrida dudum torpentiaque *ingenia mollierit*, atque *excitarit*. Germanos enim non contentos amplius vetere sua *militiæ laude*, qua *Martium decus* Romanis gentium victoribus ereptum stabili disciplinæ seueritate tueri perseuerarint; ipsa etiam *pacis ornamenta*, *litteras*, *optimas*que *artes*, decoquenti Græciæ, ac Italiæ dormitanti *abstulisse*, aperte profitetur Italus iste. quos *ad artium omnium tractationem a natura satis quidem factos*, sed iis etiam, quæ a natura habeant non valde magna, diuturno vsu & constanti meditatione excolendis & augendis gnauos præ ceteris atque industrios, prædicauit eruditissimus Gallus, multoque æquior de Germanorum meritis iudex (h).

Parum tamen bona de meritis his opinio Italorum quorumdam animis adeo insita fuit, vt vix *Melanchthonis* tempore, quo humaniores litteras ma-

(h) P. Dan. Huetius de Claris Interpretibus p. m. 273.

gno a Germanis studio cultas iam fuisse, scimus, eripi istis potuerit, mentis aciem sæpius præstringens: id quod tum etiam factum est, quum *fragmentum e Cicerone decerptum Germani cuiuspiam titulo addito* deriserant; & quum ii ipsi, qui valde Ciceroniani alias sibi videbantur, *barbarum* inclamauerant fragmentum, veluti *a barbaro Germano profectum* (i). Supra commemorati domesticæ laudis amplificatores, graues e contrario alienæ obtrectatores, per commenta ista elaborandum forsitan decreuerunt, vt mala atque falsa eiusmodi opinio Gallorum & Italorum mentibus infixa perpetuo maneret: qui in Germanos cum primis infensum & inimicum animum suum patefecerunt, vbi *non sine miraculo fieri posse*, persuasissimum se habere sibi, testificati sunt, vt *Germanus aut Moscouita ingeniosus appareret* (k). Quibus

(i) Erasmus in Ciceroniano, p. 260,

(k) cel. I. Fr. Crameri Vindiciæ Nominis Germanici, p. 6, edition. Wetsten. conf. Bailleti Iudicia Gallice conscr. P. I, p. 279, seq. & Burc. Goth. Struuii Introd. ad Notit. Rei litterar. Cap. V, § 13: atque Supplement. ad h. l. p. 44. seqq.

bus maleuolis hominibus etsi vituperando ita suffragari se, negauit *Adr. Bailletus:* in quibusdam tamen ab opinione eorum non alienum prorsus sese ostendit: praesertim vbi *Germaniam nullos ingenio prudentiaque acutos oratores ac poetas habuisse*, adseuerauit (I). Cui album calculum adiecisse videtur *Franciscus Vauassor*, non ita multo ante laudatus, vbi scripsit (II): *In occidente ex populis iis, qui ad septemtriones praecipue vergunt, non diffido aliquot esse domi, qui nonnihil in hoc genere* (Latine dicendi scribendique) *valeant: certe qui ventitant in Galliam ad nos, non plus fere quidquam Latine sciunt, quam quantum Gallice sex aut octo mensibus nobiscum discere potuerunt: quid autem potuerunt?*

Germani non modo nonnihil, sed plurimum omnino Latine dicendi scribendique facultate valuerunt. non quidem tantum valuerunt amplius Vauas-

(I) T. I Iudicior. p. 277.

(II) in oratione contra nouum dicendi genus, pag. 204. Oper.

ſoris ætate, qua Latinæ linguæ ſtudium æque, ac inter Italos, dudum inter eos frigere cœperat; quantum in *lætisſima illa eruditorum virorum ſegete, ab ipſa mirabili Germanici cœli fœcunditate oblata:* quæ dum non vulgares, ſed *excellentes oratores*, *graues*que protulit *Latini ſermonis vindices*, Itali vehementer eam ſunt admirati (m). Nam licet Germanorum doctisſimi, rem accuratius paullo inſpicientes, deprehenderint, & vltro confesſi ſint (n), populares *laudem Latina eloquentia parandam minus adſequi* videri; quam plerique eorum aliis ſtudiis abducti haud adfectent, ſiue quod reipubl. vſus ita poſtulet, quum nihil in imperio moliri fas ſit, niſi idem liceat legibus; ſiue quod rebus iam conſtitutis & florentibus perpetuam curam fori agant, ſiue quod vni ſtudio præmia propoſita ſint maxima, ceteris non item, ſiue quod ad eloquentiam eique ſuffragantes diſciplinas, e quibus effloreſcit oratio, & prudentia ſcaturit, aditus quodam-

(m) vid. P. Iouii Elogia, p. 278.

(n) Caſelius orat. funebr. Andr. Mylio ſcr. G. 2, b.

quodammodo interclusus sit tenuioribus, & ad vitae necessaria, nolint velint, respicientibus. Haec, inquam, licet ita sint; *Germanos* tamen, plerisque enumeratis hactenus difficultatibus superatis, plurimisque impedimentis remotis, *Latinae linguae ac eloquentiae studio sese dedidisse*, tot celeberrima disertissimorum Germaniae oratorum, quos Itali, Galli, Angli, Poloni, & reliquae Europae gentes suspexerunt, nomina perpetuo testabuntur. tantum enim abfuit, vt quorumdam ex iis spes infracta, aut industria languescere visa sit, vt neque illud ipsum, quod optimum, desperandum, neque in praestantibus rebus ea quoque, quae optimis proxima sint, parua habenda esse, existimauerint. Vtinam plures, qui id sibi persuaderent, haberet hodie Germania nostra. *Ardor Latinum sermonem accuratius addiscendi*, quem eius ciues extremo saeculo XV, ac ineunte & progrediente XVI ostenderunt, *dudum*, vt modo dixi, *refrixit*. Paucos oppido sua iam aetate eloquentiae studiosos inter Germanos exstitisse, &

vix

vix ſingulas Europæ gentes ſingulos oſtendere potuiſſe, Io. Sturmius conqueſtus eſt (o). Iuſtiores de penuria hac conquerendi cauſſas haberet ſine dubio optimus vir his noſtris temporibus: quibus prudentiorum iudicio magis magisque bonæ artes vileſcunt; nemine fere eorum, qui auctoritate pollent, Muſarum ex Germaniæ academiis fugientium curam amplius habente.

Vtrum apud ceteras Europæ gentes propitiam magis experiatur hodie fortunam Latinus ſermo, pluribus inquirere in animo non eſt. Vauaſſor de Gallia ſua, ſiue potius de vniuerſa Europa pronuntiauit (p): *quum Latine plurimi intelligunt, non pauci loquuntur, nonnulli ſcribunt; tum, qui norint, quid ſit, bene Latine vel loqui, vel ſcribere, rarisſimi ſunt; qui bene vtrumque præſtet, aut etiam de duobus alterum, fere dicam, nemo. Iac. Perizonius*, ſummus, vt omnis humanitatis, ita Romani etiam ſermonis, hodie in *Batauis* vindex: hos a Maiorum

(o) de Exercitationibus rhetor. lib. B. 2, a.

(p) in oratione paullo ante citata.

iorum suorum iudiciis & studiis dudum desciscere cœpisse, grauiter nuper questus est (q), quum bonas artes pariter cum lingua, quæ illis quasi propria & addicta olim fuerit, vno fastidio negligant, & contemnant; immane quantum in eo a maioribus diuersi, quod *Latinæ linguæ peritiam*, sine qua hi bonas artes ac disciplinas addisci posse negauerant, *non necessariam aut vtilem valde statuant.* Rem eo iam recidisse, dolet idem vir excellentissimus, vt exigua prorsus, vel potius nulla spes ipsum teneat, sæculum ab infami socordia, ac stolido rerum præstantissimarum fastidio, & peruersissima iudicii iniquitate ad maiorum exemplum ac industriam reuocari, ipsasque stientias ab insolenti contemptu, aut vniuerso saltem interitu vindicari posse. Conquerendi ita caussas omnino habuisse virum meliorum litterarum cupidissimum, nemo facile negauerit, si *Scaligeri*, *Salmasii*, *Gro-*

(q) in Oratione de *Doctrinæ Studiis, nuper post depulsam Barbariem diligentissime denuo cultis & desideratis; nunc vero rursus neglectis fere & contemptis*, Lugd. Bat. 1708, 4, p. 9, 41, 43.

Grotii, *Heinsiorum*que cogitarit ætatem, & fauorem reputarit, quo exceptæ tum sint in Batauis bonæ artes: si porro diligentius paullo considerauerit, quantum pretium Latinæ linguæ isto tempore statutum sit. Sed tamen maius longe etiamnum apud Batauos pretium, quam apud Germanos, eidem linguæ statui, ego mihi persuadeo (r). Veterum certe monimenta diligentius apud eos euolui, & bonos auctores in academiis frequentibus satis scholis hodieque explicari, non auditum, sed cognitum perspectumque habeo. sedulo enim idagere perseuerant ibi plerique doctores, *vt deiectis de ponte nouitiis libellis stili caussa nihil nisi antiquum adolescentes legant:* id

(r) id quod nec ipse laudatissimus vir diffitetur; quando ad cl. Cellarium in epistola, Dissertationi de Historia Belli Troiani, quæ Dictyos Cretensis nomen præfert, præm. scribit: *Non ea quidem nostris in fundis atrociter adeo grassatur calamitas, sed nihilo tamen minus pestilenti sidere partim mollis educatio, & segnis luxuria, partim ac is actio, quæ omnia donat studiis partium, at doctrinæ, industriæ, ingenii meritis, nihil facit reliqui, adflauit bonas artes, & exstinguit penitus ingenia iuuenum, qui ad rei publicæ curam & futuræ ætatis decus surgere ac instrui debebant.*

id quod summus *Gronouius* curæ sibi semper habuisse se, olim testificatus est.

At qualis *Academiarum in Germania nostra*, quod ad humanitatis ac litterarum studia attinet, facies hodie sit, norunt, qui in iis nuper commorati sunt, vel etiamnum commorantur. Aliam saltem esse, ac qualis *Melanchthonis*, *Camerarii*, *Sturmii*, *Caselii*, temporibus fuit, profiteri necesse habebunt: quibus *grammaticam*, *rhetoricam*, *oratores*, *poetas*, *historicos*, & *Græcos* & *Latinos*, frequentissimis academiarum interpretabantur auditoriis. Lege, sis, si dubitaueris, beneuole Lector, *Lectionum publicarum* a celeberrimis istis doctoribus in academiis institutarum *designationes*; siue etiam *Io. Sturmii Epistolas academicas* vbique obuias. Miraberis, spondeo, mutatam rerum conditionem; & id saltem concedes mihi, spero, *Germanorum*, quos vna cum reliquis Europæ gentibus ad Latinæ linguæ studium Italorum exemplo excitatos vidimus, *ardorem* tantopere *consedisse*, vt ipsos æque magnum

eius-

eiusdem *linguae* ceperit *fastidium*, ac Italos iam pridem cepisse, cognouimus. Qualis fastidii *caussas* Velleius Paterculus his verbis prodidisse videtur (s): *Alit aemulatio ingenia: & nunc inuidia, nunc admiratio incitationem accendit: naturaque, quod summo studio petitum est, adscendit in summum: difficilisque in perfecto mora est; naturaliterque, quod procedere non potest, recedit. &, vt primo ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur: ita, vbi aut praeteriri, aut aequari eos posse desperauimus, studium cum spe senescit; & quod adsequi non potest, sequi desinit, & velut occupatam relinquens materiam, quaerit nouam: praeteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid in quo nitamur, conquirimus: sequiturque, vt frequens ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum sit.*

Neque vero mirum adeo videri cuiquam posse, arbitror, studiosam iuuentutem ad *quaestuosiores artes* properare hoc tempore; si reputarit, iis, qui elegantioribus

(s) lib. I Hist. cap. 17, § 6, 7.

ribus litteris ſe dicarunt, minutam ſatis ſperandam plerumque eſſe mercedulam (ſ). ſiquidem *hominum ingenia ita comparata eſſe*, conſtat, *vt ea, quæ certos bonores & obuium lucrum pollicentur, præ aliis in pretio babeant, & potisſimum ſectentur.* Quare nec illis, qui litteras iſtas in academiis docent, vitio adeo verti debere, comprobare quis forſitan poſſet, quum ad ſæculi genium quodammodo ſeſe accommodauerint; neque ab omnibus auditoribus deſtituti, in parietum gratiam ſcholas ſuas aperire voluerint. Quamuis Caſelius ſuo tempore valde dubitauit, an iis, qui toti in litteris ſint, & ſe ſapientiæ vel cultores, vel etiam profesſores, profiteantur, tanti erroris, quo quæſtuoſiora ſolum in pretio habentur, venia dari debeat. quam Vbertus Folieta denegatam iis voluiſſe videtur, ſcribendo (sſ): *Qui præmiis*

d *ducun-*

(ſ) Caſelius in epiſt. ad Eberhardum, Præſulem Lubecenſem, p. 24 Roſtochienſium epiſtolar. Mantiſſæ ab Henr. Vagetio edit. & in orat. funebr. Andr. Mylio ſcr. C. 3, b.

(sſ) lib. I de Linguæ Latinæ Vſu & Præſtantia p. 96.

ducuntur, ii pluris se exiguam mercedem, quam virtutem ipsam facere declarant: neque bonum publicum in scribendo spectare, quod egregiis viris in primis est propositum, sed turpe lucrum degeneri cupiditate consectari; ingeniumque & eloquentiam tamquam cauponari, quo quaestu nullus potest esse sordidior. Prudentioribus haec diiudicanda relinquens, omnes ac singulos assensuros mihi, spero, saeculi nostri genium eum esse, vt, si fieri posset, vt vnus ex laudatis viris reuiuiscens cathedram adscenderet academicam, Aristotelis Rhetoricam, Demetrii Phalerei de Elocutione librum, Ciceronis libros de Oratore, eiusue Orationem aliquam explicaturus, vehementer dubitem, an tot auditores inuenturus sit, quot aetate sua numerarit. Quid, quod Mart. Crusius suo iam aeuo dubitauit, an, si Homerus, aut Demosthenes, aut Euripides tum venissent, magnopere essent curati (t). Quid nostro saeculo, quo ii, qui Latine scribunt, a certo

(t) Annal. Sueu. P. III, lib. IX, cap. 8, pag. 508.

certo hominum genere, quibus Latinam linguam aſpere ſatis inſectari ſtudium eſt, exagitari ſolent, factum iri, credamus? *Omnia* ſcilicet *ſæcula ſuum genium, ſiue ſingularem humanarum voluntatum inclinationem habere videntur, quæ in certa ſtudia animos mortalium inflectere ſoleat* (tt). Sic XVI ſæculo Germania complures habuit, qui maximos in *Græcæ linguæ* cognitione fecerunt progreſſus, poſtquam *Ricardus Crocus, Britannus*, (u) ita ibi primus eam docuerat, vt plane perdiſci potuerit, & quid momenti ad omnem doctrinæ eruditionem atque cultum peritia eius adferri poſſet, intelligere cœperint in Germania (v): quæ præter quatuor iſtos cele-

 berri-

(tt) Thom. Bartholin. Diſſert. de Libris legendis, p. 37.

(u) talem ipſum Crocum ſeſe feciſſe, Mutianus ad Io. Reuchlinum ſcripſit; quamquam ob linguæ mobilitatem & Græcanicos mores *Græculus* viſus ſit: nam eum *Theocritum iucundiſſime legiſſe, & cum gratia balbutiſſe*, addit Mutianus, lib. II epiſt. illuſtr. viror. ad Reuchlinum z. 3, a.

(v) Ioach. Camerarius in vita. Eob. Heſſi. anno CIↃ IↃ XV Lipſiam venit *Crocus*, in Gallia *Hieron.*

berrimos viros, supra a me nominatos, *Mich. Neandrum* habuit, huiusque discipulum *Laur. Rhodomanum*, *Hieron. Wolfium*, *Frid. Sylburgium*, *Dau. Hœschelium*, *Io. Posselium*, *Mart. Crusium*, & quam plurimos linguæ istius peritissimos viros alios (x). Quanti vero hæc ho-

Aleandro præceptore vsus. quum Græcarum litterarum doctrinam professus esset, omnium amorem fauoremque maximum consecutus statim dicitur: vtpote qui non primordia linguæ, sed integram ac plenam eius scientiam adferre visus erat. Incredibile prorsus esse, scribit Caspar Cruciger, in Orat. de *Initiis, progressionibus, & incrementis doctrinæ eruditæ in Academia Lipsiensi & Wittebergensi*, qui ex Parente suo, Croci discipulo, ea audiuit; quanto fauore Lipsia Crocum exceperit. tamquam *cœlitus demissum* omnes venerati erant hominem, & vnusquisque felicem se iudicauerat, si in familiaritatem ipsius insinuandi habuerat copiam. docenti vero & mercedem, quæ postularetur, persoluere, & quocunque loco temporeque præsto esse, neminem recusauisse, adfirmat Cruciger; cui, *si concubia nocte se conueniri, quamuis longe extra oppidum, iussisset* Crocus, *omnes libenter obsecutos fuisse*, narrauerat Parens.

(x) vid. *C. S. Schurzfleischii* dissertat. de *Meritis Germanor. in Græcas litteras:* quæ est XCVII inter disputationes histor. & luculentissimas præfationes, quæ *Laur. Rhodomani Palæstinæ* ab ipso auctore &

hodie apud nos fiat, neminem fugit: nec dubitandum puto, quin minoris multo fieret, nisi Spiritus S. dignam eam censuisset, qua *Nouum Fœdus*, cum humano genere per Seruatorem nostrum Iesum Christum initum, consignaretur. Accedit eo, quod, vt primum res, siue ars quæpiam nouitatis gratiam exuat, ista non adeo moueri amplius videantur homines: quibus omnium tandem re-

Mich. Neandro præfixæ sunt; & quam hic Erotematibus suis Gr linguæ præmisit: it. *Georg. Henr. GoetzI Principem Græce doctum*, Lips. 1704, 4. cui eruditæ *Io. Cunr. Dieterici* & *Io. Zwingeri* de *Græcarum litterarum Restauratione* adiectæ sunt lucubrationes. Quibus vtinam adiecta etiam esset eiusdem Dieterici non minus erudita & æque inuentu difficilis oratio, quam an. 1640 Marpurgi, quum loco *Theod. Vietoris* senio confecti viribusque exhausti Musas Atticas suscepisset, habuit, hoc insignitam titulo: *Græcia exsulans, siue de Infelicitate seculi superioris in Græcarum litterarum ignoratione*, dissertatio. Hac etsi vberior est *Zwingeri* oratio de *Barbarie superiorum aliquot seculorum orta ex supina Linguæ Græcæ ignoratione*, viginti & vno anno post habita, ac cl. GoetzI Principi Græce docto adiecta: Dieterici tamen dissertatio huic eruditione non cedit: scienter enim admodum demonstrauit doctissimus vir, quicquid anteactis seculis Græcæ linguæ contigerit, *insulsis* tribuendum id esse

rum ſatietas exoriri ſolet, nouarumque, licet deteriorum ſæpius, auiditas: ſiue qui, vt Velleium Paterculum rem expresſiſſe, paullo ante cognouimus, *occupatam velut materiam relinquentes, quærunt nouam. quotidiana* enim, vt in prouerbio eſt, *vileſcunt.*

Hinc quoque *Latinæ linguæ fata* ac *viciſſitudines*, quas in *Germania* noſtra experta eſt, maximam partem dependere videntur. Nam etſi intellecta renaſcentium in Germania litterarum vtilitas multos ad excolendas eas allexerat: plures tamen rei *nouæ* ac *inſuetæ* conditio Germanorum oculis oblata ardorem in animis eorum excitaſſe, videtur. Id quod graui duorum Germaniæ eruditiſſimo-

doctoribus; vt per aliorum damnum erudiret, & ne in præteritos errores & priſtinam barbariem relaberetur Germania: cui diuino beneficio contigiſſe, oſtendit, vt ſæculo XVI & inſequenti *puer quinquennis* ſciret, quod olim *quinquagenario litterato* latuerat; quum *annoſus Magiſter* neſciuerat, *Nouum Teſtamentum* Græce exſtare, & quidam ſibi perſuaſerant, *Græcam linguam nouum plane ſermonem* eſſe, qui antea non exſtiterit.

ſimorum virorum teſtimonio probare conſtitui: primus eorum eſt Ioach. Camerarius, qui *& maximæ ſeniorum admirationis, & ardentisſimæ iuniorum cupiditatis, renaſcentibus in Germania litteris declaratæ, non tam iudicium, quam nouitatem cauſſam fuiſſe*, cenſuit (y). In eadem ſententia Io. Caſelius fuit (z), vbi prudentisſime ſcripſit: *Quæ noua ſunt, ea vel cum ratione, vel absque ratione auemus cognoſcere, & initio feruent omnia. Id euenit annis abhinc circiter centum quinquaginta, quando & Græca lingua in Italiam & cis Alpes ad nos allata fuit, quum paullo ante nobilisſima ars typis exſcribendi libros veteres primum nata fuiſſet in Germania. Tum enim non vnus & alter Græcam linguam cognoſcere geſtiebat, ſed exercitus ſubito oriebantur, amore Græcitatisne an Latinitatis? flagrantium. Non minus au-*

(y) de Vita Melanchthonis p. 7.

(z) in Cohortatione ad Latinum ſermonem paullo accuratius addiſcendum.

tem ſunt homines natura ἄψικοροι quam φιλόκαινοι.

Ipſa iſta *Latinæ linguæ in Germania noſtra fata* commentatus ego, iis, *qui in excolenda illa præcipue inter Germanos elaborarunt*, breuiter ſimul a me commemoratis; de *cauſſis, cur hodie negligatur ea & contemnatur fere*, quædam ſubiicere, conſtitueram. Quum vero illud argumentum ita ſenſim creuiſſet, vt iuſto libello ſufficere videretur: huius elaborationem certas ob cauſſas in aliud tempus reſeruare decreui: ita tamen, vt me vel ſic illius ſumma ferme dumtaxat capita proferre, vltro profitear. Satis quidem coniicio, multos fore, qui conſilium hoc meum non admodum probauerint, obiicientes, querimoniis huiusmodi nihil plane profici, dum *ſæculi mores facilius notari, quam emendari poſſe*, videantur: præſertim quum querimoniæ a me, eruditione parum inſtructo, ac vſu, optimo rerum magiſtro, minus recte edocto homine, inſtituantur. Quod ad priorem obie-

ctio-

ctionem attinet, nefas fore, non arbitror, si in altero isto argumento conscribendo tiro ego magnorum virorum exemplum imitandum mihi proposuero; etiamsi rem infeliciter satis tentaro. Quid enim diffitear, me ex veteribus *Quintiliani*, siue quicunque etiam *de Caussis corruptæ eloquentiæ Dialogi* auctor fuerit, ex recentioribus *Ludouici Viuis*, qui de *Caussis corruptarum artium* egregie scripsit, exemplum quodammodo secuturum esse? Illi, qui & doctrina & vsu non satis instructum me existimauerint, idque non iniuria, sciant velim, me pleraque, quæ de vtroque argumento proferre me cognouerint, ex virorum summa prudentia, multa doctrina & plurimo rerum vsu præditorum monimentis collegisse: quo facilius iis, quæ scripsi, fidem te habiturum, spero, optime Lector: quum ipsa insuper res pro se plerumque loqui videatur. In his ipsis quidem Commentariis *clarorum virorum Epistolis* multum vsus sum; quum me haud prætereat, eas & temporum, & doctorum virorum iis viuenti-

um, hiſtoriam ita continere, vt, qui vnoquolibet tempore viri boni, docti ac præſtantes vixerint, & quid docuerint atque moliti ſint, vix aliunde melius posſimus cognoſcere. Cum primis vero multa ex *Io. Caſelii* exquiſitisſimis monimentis poſterioribus Commentariorum horum capitibus inſerui. quo enim pauciores diuini huius ingenii monimenta cognita habere, mihi perſuadebam, eo gratius Lectoribus me facturum, putabam, ſi plurima ex iis adducturus eſſem: quibus, tamquam grauibus excellentisſimi viri, cuius ſimiles Germania paucisſimos progenuit, dictis, Commentarios meos exornare, & rebus ſingularem fidem facere ego poſſe, mihi videbar. idem de *Melanchthonis*, *Camerarii*, *Sturmii*que *iudiciis* mihi viſum eſt. Quamobrem te minus peruerſe interpretaturum eſſe, confido, Lector, quod, dilucidis ſæpius tot teſtium verbis inſertis, ſtilus inæqualis maxime redditus ſit: quum enim permagni interdum referat, *quis dicat*, credebam, fore, vt ſummorum virorum teſtimonia, ipſis

ple-

plerumque verbis, quibus vſi ſunt, retentis, legere malles, quam minus interruptam, meisque verbis, id eſt, tenui atque exili admodum dicendi genere, concinnatam rerum ſeriem cognoſcere. poſtquam minus ægre ferre conſtitui, ſi fuerint, qui centonem me conſcripſiſſe, obganniuerint: talis enim, qui omnibus ac ſingulis, noſtro præſertim ſæculo, ſatisfecerit, natus forſitan non eſt. Quod ſi vero etiam fuerint, qui in iis, quæ a me adiecta ſunt, plurimum, quod ad Latinitatem ſpectat, deſiderauerint, ſic habeant rogo, me nihil, niſi Latini ſermonis amorem, præ me ferre, tantumque abeſſe, vt magnam eius venditem cognitionem, vt parum etiam exercitatum in eo tironem me eſſe, confitear.

De reliquo, *quum politioris litteraturæ hiſtoriam elegantibus viris ingratam eſſe non poſſe, quæ iuuentutis iudicia de multis rebus formare queat*, Caſelius & Melanchthon, quorum iudicia inſtar plurimorum habere me, modo confirmaui,

maui, cenſuerint. & quum *exempla*, eorumdem ſententia, *non minus in hominum animis efficere queant, quam doctrina atque praecepta:* dum bonæ naturæ cogitatione atque admiratione virtutis in viris præſtantibus maxime exſuſcitantur incenduntur que: & quum tempora, tum homines, tum etiam actiones & ſtudia conferentes, meliora voluntate recta & ſano conſilio eligunt, & deteriora declinant. Hæc, inquam, quum ita ſint, & quum *ſtudiorum commemoratio*, ac *rationis, quam in laude per litteras conſequenda inierunt maiores, indicia, ſtudioſis non minus conducere*, iudicarit Melanchthon, *quam bellatoribus ſtratagemata & conſilia veterum Ducum noſſe:* neque meos hos Commentarios, qualescunque etiam ii fuerint, tibi, beneuole Lector, iniucundos fore, confido. Adductis modo argumentis & hoc accedit; quod ſummi iſti duumuiri haud leuisſimis adnumerarunt: quod, *niſi ſuperioris ætatis illuuiem & fœde adſperſas ſordes adſpexerimus, verendum ſit, ne nos littera-*

rum

rum decora, polita ac venuste renitente facie leuiter nimis adficiamur. Vel ipsis his prudentissimorum virorum iudiciis me patefecisse, arbitror, quorum gratia Commentarios hos conscripserim. Neque doctis videlicet, neque indoctis, eos contexui. nam doctos, copiosis bibliothecis instructos, istos non curaturos, scio; carere certe istis poterunt: indoctos, velut ignorantes, & optimæ linguæ inimicos, eos contempturos esse, præuideo. Si vnum & alterum litterarum studiosum ad Romanum sermonem amandum, & accuratius addiscendum opera hac mea adduxero, satis habiturum me esse, confirmo; siquidem haud leue eius pretium tulisse tum ego mihi videbor.

Priusquam verbosæ satis præfationi finem imponam, non possum, quin te admoneam, Lector, ne fidem habeas iis , qui doctis persuadere adhuc ausi sint, me sub *Iani Gregorii B tulii* nomine latere: cuius *binæ Epistolæ* de *Augu-*

sta

ſta Bibliotheca Wolfenbuttelenſi, *Seren. Ducis Antonii Vlrici Seceſſu in Salinarum Valle*, & aliis rebus, ſuperioribus annis prodierunt. Iis potius credas velim, qui *Ioannem Georgium Burckhard*, fratrem meum minorem natu, ſub nomine iſto latitare, adfirmarunt. Nam, licet læſum me non ſentiam, ſi quis binarum epiſtolarum iſtarum auctorem me habeat; vtpote quas nonnulli haud improbarunt, honorificam earum facientes mentionem: & quas ipſi aduerſarii *perquam eruditas & ſingulari rei litterariæ & antiquitatis notitia refertas* appellare haud dubitarunt; quarum *auctor eruditione perquam præſtans* videatur. ſuum tamen cuique tribuendum eſſe, exiſtimo. Verendum præterea fuerat, ne minus candide ac ſincere quidam de hiſce Commentariis meis iudicaturi fuiſſent, ſi eorum & commemoratarum Epiſtolarum vnum eumdemque auctorem eſſe, ſibi perſuaſiſſent porro: quamquam, ſi quis æqui cenſoris officio perfungi voluerit, non

tam

tam *quis ſcribat*, quam *quid ſcribatur*, conſiderandum ei eſſe, putem. Quod quidem ille non feciſſe nuper videtur, qui quum meæ *de celeberrimi Cellarii obitu* Epiſtolæ in ſcripto quodam mentionem faceret, & perſuaſum ſibi haberet, *Ianum Gregorium Betulium*, cui forſitan non fauet, eius auctorem eſſe: me rei cuiusdam inſimulauit, cuius ipſe mihi conſcius profecto non ſum; & cuius ii, qui antea de eadem Epiſtola publice iudicarunt, me haud coarguerant. qui ipſe alias Epiſtolam tenuem valde habeo, feſtinante calamo minusque hilari animo ſcriptam; qua optimi viri vitam adumbraſſe neutiquam mihi viſus ſum, nedum expreſſam eam a me eſſe, cuiquam perſuaſum voluerim. Quando vero Betulium me eſſe, negaui, caue exiſtimes, me, libera de Commentariis hiſce iudicia quodammodo reformidantem, ea præfamine huiusmodi declinare quaſi ſtuduiſſe: Liberrima cuique iudicandi de iſtis ſit poteſtas: cogitet modo, quorum gra-

tia

tia ego eos composuerim ; id quod paullo ante exposui: & sciat, me nihil fere in ipsis tributum mihi velle, quam industriæ nonnihil in colligendis *eruditissimorum virorum de Linguæ Latinæ amore a Germanis culto iudiciis ; temporum serie* in disponendis iis a me obseruata : si quis contradicere his voluerit, id per me sibi licere, credat. Tu autem, beneuole ac candide Lector, vale, & conatibus meis, si merentur, faue ; qui ad nullam plane rem aliam, quam ad *linguæ præstantissimæ studium*, neglectum hodie ac contemptum fere, pro imbecillis viribus meis adiuuandum, spectant.

ELENCHVS CAPITVM.

CAP. I.

De *Latina lingua per diuturna* bella *crebraque* commercia *in Germaniam translato, & per quatuor amplius sæcula continuato ibi vsu. ab ipso scilicet tempore isto, quo Populo Romano cum Germanis res esse cœpit, ad horum vsque in Romanas prouincias, ac ipsam Italiam, Vrbemque irruptiones.*

CAP. II

Ostendit, nulla, vt reliquæ doctrinæ, sic Latinæ etiam linguæ, neque cognitionis neque vsus cuiusdam, per quatuor sequentia sæcula in Germania, præsertim qua ad septemtriones spectat, exstitisse vestigia: & illos, qui ex Gallia, vbi lingua Rustica *viguisse monstratur, in australem Germaniam Christianam religionem propagatum aduenerint, de lingua Latina bonisque litteris excolendis parum cogitasse : Monachorum enim istius ætatis mores fuisse longe corruptissimos.*

CAP. III.

Lux exeunte VIII, & ineunte IX sæcu-

 lo,

lo, Germaniæ in litterarum Latinique sermonis studio augustissimis Caroli M. *auspiciis oborta, paullo post ita denuo obscurata est, vt per quinque amplius insequentia sæcula summa vbique exstiterit ibi Latinitatis puræ castæque ignorantia: cuius haud obscura adferuntur specimina. in densissimis tamen tenebris ingenia quædam puro atque eleganti dicendi genere conspicua, tamquam lucidissima effulsere sidera. Ipse* Fridericus II *Imperator de litteris euehendis bene meritus est: cuius Cancellarius* Petrus de Vineis *ingenio, doctrina, & eloquentia præstantissimus ætate sua habitus est. Breui simul disquiritur, quo tempore* Germanica lingua *in publicis litteris tabulisve conscribendis vsurpari cœperit; & quid industriæ monachi in describendis libris collocarint. Pauca demum de carminum genere, siue rhythmis, quibus sæcula ista mirifice delectata sunt, enarrantur, nonnullorum supra sæculi mores elegantium poetarum mentione iniecta.*

CAP. IV.

CAP. IV.

Barbaries integro plus sæculo post Germania eiici cœpit, quam Italia penitus erat eiecta. quare Germanorum nomen huius ciui Io. Ant. Campano inuisum maxime fuit atque detestabile. Io. Regiomontanus, Georg. Purbachii *discipulus, suo demum Germanos inuitauit exemplo ad Latinæ linguæ bonarumque litterarum cultum ex Italia petendum. Petiit hunc inde circa annum* cIↃ CCCCLXXVI Rud. Agricola, *vir de cuncta Germania præclare meritus: qualis laus etiam debetur* Rud. Langio, Westphalo, *cuius populares fuerunt* Alex. Hegius, & Ludou. Dringebergius: *quorum ille Germaniam inferiorem, hic superiorem ad Latinam linguam diligentius addiscendam perduxit: ex cuius schola vna cum pluribus excellentissimis hominibus prodiit* Io. Reuchlinus: *cuius incredibilis in litterarum linguarumque studiis inter barbaros etiamnum Germanos stabiliendis, & contra Colonienses sophistas defendendis, suscepta cura atque pericula recensentur; verbosa satis de fidelibus eius*

 in

in eodem negotio vrgendo sociis facta mentione: quorum haud exiguo numero Conr. Peutingerus, Io. Camerarius Dalburgius, Bilib. Pirckheimerus, *& complures alii grauissimi linguæ Romanæ assertores fuerunt. huius vtilissimum studium subleuatum commonstratur summo Germaniæ* Principum, Electorum, *atque ipsius augustissimi* Maximiliani I, *quo litteratos dignati sunt*, fauore. *qui in vniuersa Europa communis tum & in Musas singularis plane fuisse, ostenditur: ita, vt* Germaniæ nobilitas, *Principum exemplo incitata*, litteratissima *exstiterit: doctrinæ studio propositis, & cum honore artissimo vinculo coniunctis* præmiis *magnopere adiuto: gratissima insuper* concordia *inter litterarum vindices constituta, & tam bene confirmata, vt bona sua inter se habuerint communia.* Ratio *denique, quam sæculum istud* in Latina lingua sordibus purganda *iniit, breuiter declaratur. hanc adinuenta a Germanis* libros typis exscribendi ars *tam facilem reddidit*, vt Romani sermonis *in Germania feliciter asserti* infantia

ac

ac pueritia *non ita multorum lustrorum spatio circumscribi posse videatur.*

CAP. V.

Inter illos, qui procedente saeculo XVI incredibili suo studio diligentiaque rem eo perduxerunt, vt Latina lingua tam culta in Germania exstiterit, atque ornata, vt a perfectione non procul abesse videretur, quorum numerus ingens omnino fuit; primo loco qui ponantur, dignissimi sunt Io. Murmellius, Herm. Buschius, Des. Erasmus, *optimi eruditi Hegii discipuli. quorum duo priores insignem in Alexandri Doctrinali & reliquis linguae impuritatibus ex scholis eiiciendis nauarunt operam; quibus* Io. Auentinus *suam etiam adiunxit, eamque perutilem. Erasmi vero merita tanta sunt, vt scholae vnicum fere litterarum inter Germanos venerentur eum instauratorem. cui in vindicando litterarum Romanique sermonis studio opportunam maxime atque fidelem opem tulerunt* Vlricus Huttenus, *qui obscurorum virorum ad Ortuinum Gratium Epistolarum au-*

ctor putatur; *&* Hermannus Comes Nuenarius; *fortisſimus vterque Reuchlinianæ cauſſæ defenſor. Atque horum præſtantisſimorum virorum ætate* Latinæ linguæ, *de cuius etiam orthographia perficienda eruditi ſolliciti fuiſſe demonſtrantur*, adoleſcentia *definienda videtur*; *ita tamen*, *vt* virilem *etiam* vigorem, *ſiue* aureum linguæ in Germania ſæculum *attigerit : quale vt hoc eſſet*, *ſumma excellentisſimi* Melanchthonis *in ſingulas diſciplinas merita effecerunt. Et hoc ipſum peritisſimos oſtentauit in Germania* ſcholarum moderatores, *doctisſimos* grammaticos, interpretes, *atque* rhetores, *elegantisſimos porro* poetas, *grauisſimosque* hiſtoricos, *ac* oratores, *facundisſimos* ſenatores, *atque* iureconſultos, *Latinisſimos* medicos, *&* *bonarum denique litterarum cupidisſimos* theologos. *Quæ adfirmatio nonnullis ſingularum artium diſciplinarumque ſtudiis eruditisſimis viris nominatis comprobatur* ; *&* *eorum principem* Ioach. Camerarium *recte haberi*, *oſtenditur. Quemadmodum vero ſuperiori tempore*

poten-

potentisſimorum Principum clementia *ac* nobilisſimorum virorum fauor *in Germanis doctrinæ eloquentiæque ſtudia excolendi ardorem concitarunt: ſic eadem clementia ac idem fauor ardorem hunc aurea iſta ætate quam maxime ſuſtentarunt: ſiquidem Principes atque ciuitates erigendis bonarum litterarum officinis, fouendisque litteratis hominibus adeo inter ſe certabant, vt quo plures produceret respublica eruditos; eo florentior iſta exiſtimaretur atque ornatior. id quod Cisueſeranæ in primis regiones teſtari poſſunt: quo docti ex Weſtphalia confluxerunt.*

CAP. VI.

Latinæ linguæ omnisque elegantioris doctrinæ cultura eadem Melanchthonis *ætate, qua ad ſummum in Germania adſcenderat, retro ſublabi iterum viſa eſt; cuius mutationis culpam an* Lutherani *ſuſtineant, & vtrum* b. Lutherus *bonarum litterarum vindices inuidia ſaltem degrauarit, quemadmodum quidam ſtatuerunt, inquiritur: vtroque negato, ma-*

ior, æque magna certe, Latini sermonis contemptio in Papatu *deprehensa esse, ostenditur: eiusque aliæ ac diuersæ recensentur caussæ. Optimorum Romanorum scriptorum imitatione neglecta,* Apuleiani, *obsoletæque antiquitatis adfectatores prouenerunt, minus tolerabiles, quam* Ciceroniani. Adagiorum abusus *sæculi stilo non parum quoque obfuit; quem temeraria* Criticorum, Ramistarum*que soboles neutiquam adiuuit. Quantopere docendi ratio degenerarit, & a superiorum temporum felicitate omnia sub sæculi XVI exitum in Germania discreparint, luculentius nemo declarasse videtur, Casp. Hoffmano. Irruenti barbariei strenue obuiam inter Germanos iuerunt* Io. Sturmius *&* Io. Caselius *singulari Germaniæ fato exorti, & de Romano sermone feliciter vindicando præclare meriti viri. Sturmii collegis, successore, discipulisque nonnullis simul laudatis, pauci quidam eiusdem sermonis assertores, ex aurea ista ætate in Germania exeunte sæculo XVI reliqui, nominantur: horumque de* discordia,

dia, *eruditorum animos quam maxime dissociante*, Mæcenatum paucitate, *&* *aliis incommodis, quæ, Latinæ linguæ vniuersæque humanitatis studio perquam molesta atque noxia, eruditos in contemptionem sensim adduxerunt, adferuntur querimoniæ.*

CAP. VII.

Quibus fatis Latina lingua in Germania sæculo XVII *vsa, & qua ratione iuuentus in scholis ibi instituta sit, singularum artium disciplinis eruditissimorum virorum testimoniis declaratur: & quemadmodum Germanorum linguam istam addiscendi ardor magis magisque deferbuerit, ostenditur:* stili *formis, siue* characteribus *aliquot, velut* Philippico, Lipsiano, *commonstratis, atque* Iesuitarum *Latinæ linguæ studio, non minus sensim diminuto, memorato. Eorum, qui ipsum hoc studium inter Germanos conseruatum voluerint, popularibus laudabili præeuntes exemplo, numero, primo loco nominatur* Gerh. Io.

 Vos-

Vossius & Gasp. Scioppius: *quorum huius præclara in Romanum sermonem merita pluribus prædicantur verbis, & illorum, qui apud Germanos operam nauarunt, vt optimis Latinis auctoribus meliuscule esset, nec non* Oratorum, poetarum, rhetorum, *atque* grammaticorum *nonnulli nominantur. Neque* Mæcenates *proximo sæculo penitus defuerunt Germaniæ. Qualia demum per hoc ipsum sæculum, quo viuimus, fata Latinæ linguæ imminere videantur præstantissimorum virorum iudiciis ostenditur; & pauca de eius* dignitate, *a quibusdam acriter satis hodie impugnata, adduntur.*

ADDEN-

ADDENDA ET CORRIGENDA.

NOuum, idque perſpicuum maxime viciſsitudinis, cui res humanas numquam non obnoxias eſſe, ſingulæ propemodum opuſculi mei paginæ demonſtrant, exemplum præbuit nuperrime *S. Galli monaſterium.* quo minus enim de hoc adfirmari amplius poſſe videatur, quod p. 89 de eo adfirmaui, anceps belli fecit poſtea fortuna, quam illud ſcripſi.

Orationibus, ac reliquis de *Ph. Melanchthonis Morte ſcriptis*, *Iudiciis*que a *Greg. Richtero* collectis, pag. 366 in notis a me citatis, addantur *Locorum Communium Collectanea*, a *Io. Manlio* ex *Phil. Melanchthonis* potisſimum *lectionibus* excerpta, *Baſileæ*, *Budisſinæ* & alibi ſæpius ſæculo XVI in 8 excuſa. Quæ quamuis Ioach. Camerario & aliis parum probata ſint: plurima tamen lectu admodum iucunda, ac ſalutaria maxime conſilia iis continentur: præſertim vbi de *Scholis & Studiis linguarum*, *artium ac facultatum* a pag. 497 vsq. 582, agitur. *Enumeratio* quoque iſta *quorumdam præſtantisſimorum virorum quum ex magnatum, tum ex aliis familiis ortorum, qui vel ipſi litterarum cognitione ſtudioque indefeſſo, vel liberalitate & aliis beneficiis de Eccleſia bene meriti ſunt, & adhuc in id incumbunt:* capiti IV & V Commentariorum meorum, vbi oſtendi, quantum Germaniæ Muſæ ſummorum *Principum munificentiæ* debeant, ſingularem plane fidem atque robur adferre

poteſt

poteſt. Multa enim enumeratione hac, pag. 548, ſeqq. recenſentur de ſumma liberalitate, qua in litteratos vſi ſint, & quantopere litterarum in Germania renaſcentium cauſſa voluerint Principes; quorum numero: *Maximilianus I*, & *Carolus V*, Imperatores, *Fridericus*, *Ioannes*, *Mauritius*, *Auguſtus*, Electores & Saxoniæ Duces, *Georgius* Marchio Brandenb. *Albertus*, Senior, Princeps Borusſiæ, *Erneſtus* Dux Luneburgenſis, *Philippus* Landgrafius Hasſiæ, *Eberhardus* Dux Wurtenb. *Georgius* Anhaltinus, *Carolus* Marchio Badenſis, *Io. Albertus* Dux Megapol. De *Carolo* V p.550 narratur, ipſum *Thucydidem plurimum legiſſe*, & cubiculariorum eius hanc fuiſſe conſuetudinem, vt, precationibus dictis, ſinguli aliquid legerent, donec Imperator ſurrexerit; alius Thucydidem, alius Herodotum, alius Liuium, alius Gallicam hiſtoriam, alius aliud: ipſum autem Imperatorem, poſtquam ſurrexerit, precibus recitatis, interrogaſſe, quid ſinguli legerint, vt ſic ad hilaritatem excitaretur. *Iacobus* Marchio Badenſis, Treuirenſis Epiſcopus, p. 556 *excellenter doctus* dicitur, quem Maximilianus Imperator Epiſcopum eſſe voluerit propter *excellens ingenium*, *eruditionem*, *eloquentiam* & *omnem ingenii & corporis praeſtantiam*: & qui in conuentu Colonienſi nomine Imperii reſponderit legatis Gallicis *Gallice*, legatis Pontificiis

Lati-

Latine, legatis Venetis *Italice*, & Germanicis *Germanice*. De *Friderico* Saxoniæ p. 560 legitur: *Quandocunque legebat in optimis auctoribus ſententiam quamdam inſignem, eam parieti inſcripſit, vt ſemper eam in conſpectu haberet, ne excideret ipſi e mente. ſic ambulans in muſeo, talia dicta tacitus ſecum conſiderauit.* De *Philippo* Landgrafio Hasſiæ p. 576: *Tempore obſidionis vrbis Monaſterienſis ad me dicebat: Nunc ego incipio magis diligere ſtudia, quia video, ſi homines negligunt ſtudia, & abiiciunt libros Propheticos & Apoſtolicos, fieri plurimos phanaticos homines, ſuos enthuſiaſmos & reuelationes iactantes.* & paullo poſt de *Io. Alberto* Duce Megapolit: *In Italia mos eſt, vt Principes audiant & inſpiciant ſtudia, ſicut etiam inter Principes Germaniæ olim fuit conſuetudo. Vix vllum autem hanc conſuetudinem imitari video, niſi Ioannem Albertum Principem Megapol. qui quotannis aliqua examina in ſchola Suerinenſi inſtituit, quibus illuſtrisſimus Princeps ipſe intereſt, & ſimul pueros examinat: bene quoque reſpondentibus munera non exigua largitur. Alias etiam extra examina idem Princeps ſcholas accedit, & ſtudia ac mores iuuenum conſiderat.* de *Erneſto* Saxoniæ Duce pag. 578 legitur: *Erneſtus, frater Ioannis Friderici Electoris, etſi haberet exiguos reditus ex ſua ditione, tamen adeo fuit munificus, & liberalis erga homines doctos & ſtudio-*

ſtudioſos, vt plurimos in Academiis aleret, & plurimis beneficiis eos adficeret: idem de *Carolo,* Marchione Badenſi, ead. pag. prædicatur. De reliquis Principibus referuntur, quæ citatis capitibus a me prolata magnopere etiam confirmant. id quod de florentisſimis Germaniæ *ciuitatibus* & generoſisſimis *familiis* ſimul intellectum volo: inter eas omnino excellit *Noriberga;* inter has *Comites de Stolberg,* & *Dalburgiorum* familia. Ad ſummam, ne de ſingulis denuo Mæcenatibus agam, Enumeratio iſta ſic comparata eſt, vt ſpondeam, fore, vt neminem legiſſe eam pœniteat; quo facto, quilibet fatebitur, ſpero, me *ſæculum*, quod tam munificos & bonis litteris perbeneuolos Principes, ac indulgentisſimos Patriæ Patres ſuſpexerit, vere *aureum* in Commentariis meis ſummo iure nuncupaſſe.

Sanctii Mineruam a *Scioppio* Romam allatam eſſe, p. 539 ſcripſi, fidem hac in re habens ipſi Scioppio: quippe qui in præfatione Grammaticæ Philoſophicæ, beneficio Petri Scauenii plurimis locis e ſchedis ipſius auctoris, qui omnia paullo ante mortem accuratius recognouiſſe & emendaſſe dicitur, inſigniter auctæ, & Amſtel. an. 1664 editæ, ** 2, b, rem ita narrauit: *Grammaticam Sanctianam ipſe Romam ex clarisſima Europæ academia, quæ Salmanticæ eſt, attuliſſe me, glorior.* At in prioris editionis præfatione idem adfirmaſſe Scioppium, poſtea deprehendi, quod celeb. Perezonium præfat. in Sanctii Mineruam adfirmaſſe, eadem pag. ſcripſi: *Ferdin. Henr. Ducem Alcalæum & Marteſſi Comarchum Salmantica Romam ſecum detuliſſe Mineruam.* Quid permouerit Scioppium, vt ſoli ſibi adſcriptum

volue-

uoluerit, quod alteri iam acceptum retulerat; an gloriæ Ducis, cuius laudes fuse celebrauerat, hac in re inuiderit forsan, exputare non queo.

Ad *singula verba emendanda* quod attinet, hæc secundum sequentem *Syllabum* vt corrigas, est, quod etiam atque etiam abs te contendo, beneuole Lector. Copia eorum minor vt esset, licet exoptaturus essem, voti compotem me tamen fieri non posse, noui: eam igitur tantum deprecaturus, scias velim, correctioni attendere me non potuisse, quum Opusculum longinquioris vrbis, eiusque florentissimæ, officinam exercuerit. operarum festinationi paullo maior emendandorum numerus tribuendus videtur: instantes enim nundinæ eas vrgebant; siquidem eiusmodi officina est, cuius operis diu feriari haud contingit, dum typorum nitor satis eam commendat.

In ipso contextu corrigenda.

pag. 16 vers. 16 lege *barbarismum.* p. 25 v. 18 *At.* p. 35 vlt. v. *multo.* p. 38 v. 20 *Latina.* p. 55 v. 23 *debent.* p. 65 v. 1 *Parentis.* p. 69 v. 13 *studuere.* p. 83 v. 8 *Maximus,* p. 103 v. 9 *annum.* p. 109 v. 3 *notiones.* p. 112 v. 3 *non tam non.* p. 148 v. 7 post *compellauit*, l. *scribens*, p. 160 v. 9 post *didicisse* l. *fateri* p. 174 v. 14 *expugnatura.* p. 194 v. 9 *nationem.* p. 199 v 7 *perpaucos* p. 215 v. 22 *volo.* p. 223 v. 4 *nostra.* p. 247 v. 11 *litteratissimorum.* p. 257 v. 22 *præbeat* p. 259 v. 17 post *detulisse* l. *vi* *catur.* p. 262 v. 3 *ciuilitatem.* p. 269 v. pe ult. *vindicando.* pag. 273 v. 16 *propagatum.* p. 297 v. 24 *Qua.* p. 347 v. 22 *explosis.* p. 400 v. 23 *eum.* v. 24 *profectus.* p. 402 v. 2 *sæculo.* p. 403 v. vlt. *commendata.* p. 406 v. vlt. *fundatæ.* p. 410 v. 5 *cognouimus.* v. 8 *didicisse.* p. 414 v. 23 *ciuilis.* p. 415 v. 8 *sanctissimas* p. 424 v. 18 *fatæ.* p. 442 v. 21 *Aleandrum.* p. 485 v. 3 *tanti.* p. 492 v. vlt. *languescentem.* p. 514 v. 15 *Latine.* p. 517 v. 16 *venalis.* p. 519 v. 1 pro *quæ* l. *quidam.* p. 528 v. 11 *vile.* p. 558 v. 10 post *istius* l. *verba.*

In notis.

pag. 60 v. 16 lege *quemque* p. 98 v. 15 *Imperator.* p. 99 v. 11 *cognoscent.* p. 106 v. 25 *iuuentus.* p. 189 v 16 *adferre.* p. 196 v. 10 *cui.* p. 228 v 16 *efflorescentes.* p. 229 v. 27 *qui.* p. 266 v. 3, *1541.* p. 292 v. 22 dele *hanc.* p. 299

v. 10

v. 10 post *Henrichmannus* adde --- p. 309 v. 14 *ducentorum*. p. 328 v. 9 *Huttenus*. p. 357 v. 2 *hac*. p. 386 v. 2 *Lippienses*. pag 390 v. 5 *quanto*. p. 400 v 1 *Cratonis*. p. 413 v. 2, 1576. p. 426 v 3 *Disciplina*. p. 456 v. 2 *libello*. p. 459 v. 1 *adductam*. v. 21 *effeminari viderentur*. p 460 v. 3 *ergo*. v. 26 *mature*. p. 461 v. vlt. *delabi*. p. 501 v. 18 *Schofferus*.

Hæc sunt *grauiora errata* sensum quodammodo turbantia, festinanter perlegendo a me adnotata. caue itaque, credas, me iusta ac debita cum attentione Commentarios typis exscriptos perlegisse, & omnia errata adnotasse mihi videri. singula capita diligenter perlegere haud vacabat. Quædam studio prætermisi: quæ scilicet attentum lectorem sine mea admonitione obseruaturum, & beneuole correcturum, putabam: quamuis mihi persuadeam, me talia in ipso etiam *syllabo* indicasse. eiusmodi certe existimo: *pilosophia*, *deblatrauerant*, *furientis*, *Iudeastri*, *incomparibili*, *linquam*, *multiuariis*, *tribendum*, *leguleos*, κενωνικώτατοι, *stultititiam*, *formidulosus*, *quatriennium*, *plebei*, *labescentis*. Quibusdam in locis *periodos* etiam, harumque *membra accuratius distincta* atque *incisa* peruellem, præsertim pag. 7 v. 13. p. 15. v. 13. p. 26 v. 3. p. 35 v. 22. p. 111 v. 2. p. 236 v. 3.

Reliqua per se quemlibet emendaturum, & si sphalmata obseruauerit, quæ non tam operarum, quam auctoris festinationi, siue etiam hallucinationi, tribuenda visa fuerint, ea condonaturum esse, confido. Si vero *Nomina propria* diuerso modo interdum scripta animaduerteris, Lector; sic habeto, id non negligentia, sed industria plerumque a me factum esse; quandoquidem *ipsos auctores* in *nominibus* suis scribendis *variasse*, sæpius obseruaui: quorum numero sunt *Symlerus*, *Stromerus Aurbachius*, *Iulius Pflugius*. Ceterum iterum iterumque te moneo, vt me eum existimes, *qui humani nihil ab se alienum putet*, & qui præter *leuem* satis *Latinæ linguæ cognitionem*, magnum ex aduerso in eam *amorem* atque *studium*, nullam præ se ferat eruditionem.

DE



DE LINGVAE LATINAE IN GERMANIA FATIS COMMENTARII.

CAP. I.

De Latinæ linguæ per diuturna bella crebraque commercia in Germaniam translato, & per quatuor amplius ſæcula continuato ibi vſu. ab ipſo ſcilicet tempore iſto, quo Populo Romano cum Germanis res eſſe cœpit, ad horum vſque in Romanas prouincias ac ipſam Italiam vrbemque irruptiones.



DE Latinæ linguæ in Germania noſtra fatis acturus, a *Caroli M.* temporibus, ſiue etiam ab *Sæculo poſt Chriſtum natum XV*, Commentarii mei ſi facerem initium, cauſſas, quibus inſtituti ratio probari poſſet, inuenturum me exiſtimo,

easque non leues adeo atque infirmas. Enimuero ad tempora, quibus Populo Romano cum Germanis res fuit, quod attinet, satis haberent forsitan lectores, si *Tacitum* loquentem adducerem (a): *Litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant.* Quum vero, deuicta denique imperiosa orbis Domina, Romanum nomen septemtrionalibus gentibus minus horribile amplius esse coeperat; & hae ipsae in prouincias Romanas effrenatius irrumpentes, vastauerant omnia, vniuersam fere Italiam ita depopulati, vt ipsa Roma sordes indueret atque squalorem: nulla fere in ipso Latio Latinae linguae exstitere vestigia; nullus saltem eius cultus atque elegantia. Quis igitur, quaeso, in *Germania, terris* adhuc *informi, aspera coelo, cultu aspectuque* etiamnum *tristi maxime ac barbara* talia esset quaesiturus? Lux autem, quae huic imperante *Carolo M.* in litterarum studiis oborta est, tantopere obscurata est iterum paullo post, vt densissimae subsecutae denuo sint tenebrae; quae commemorato saeculo diuina ope discussae demum sunt atque penitus compressae. accedit, quod laudatus Imperator melius de rerum doctrina, quam de Romana lingua meritus esse videatur. Quare si ab ipso isto saeculo XV telam exordirer, haberem

(a) de Moribus Germanor. cap. 19, §. 1.

berem omnino, vti dixi, quibus, cur fecerim ita, declarare possem, rationes; illos quasi imitaturus, qui de *Latinæ linguæ fatis atque ætatibus* vniuerse agentes ab eo tempore, in quod *Liuii Andronici* ætas incidit, inchoant ferme, ac illud, quod præcessit, vix dignum putant, quod leuiter attingant. Verum enimuero, si rem altius, & ab ipso, vt loquuntur, capite, strictim repetiero, operæ pretium me quodammodo facturum esse, confido.

Equidem *Herm. Conringius*, magni nominis vir, *Romani sermonis vsum aliquem in Germanicis populis exstitisse prius*, negat, *quam ad Christianam religionem fuerint conuersi:* atque ea propter, quo citius aut serius ii hac sint imbuti, eo vetusta aut recentia magis sermonis huius putanda esse, dicit, exordia. Sed tamen *neminem Germanorum Romanam linguam calluisse ante tempora ista statuere, absurdum fore*, continuo addit. *tantum in pretio aut magno quodam vsu, vt nunc sit, eam linguam ante religionis nostræ primordia liberis Germaniæ gentibus fuisse, inficiari se*, profitetur (b): in qua postrema adfirmatione quemlibet adsentientem sibi habiturum Conringium, arbitror. At frustra plane acturum eum censeo, qui Romanæ linguæ

(b) Præfat. in edition. Taciti de Morib. Germ. quæ emissa est 1635. p. 42.

vel leuisſimum vſum inueſtigaturus prius eſſet apud Germanos, quam cum Romanis commercium quodquam habuerint. Niſi quis Latinam linguam in Germania, ſiue apud Celtas, exſtitiſſe prius ſtatuerit, quam in ipſa Italia. At mihi non de præſtantisſimæ linguæ originibus, quas complures apud Celtas Germanosue inueſtigandas putarunt (*), ſed de adinuentæ iam, & a diuinis ingeniis, quæ Latium protulit, excultæ vſu, in præſenti ſermo eſt. *Sexcenteſimum & quadrageſimum annum egit vrbs Roma, quum primum Cimbrorum arma audiuit* (c). Tametſi nullam plane Germanorum habuiſſe antea Romanos notitiam, credendum facile non eſt: præſertim quum *Cimbros Germanicam gentem eſſe ex corporum habitu coniecerant* (d). Vtut erit, maximo *Teutonum* ac *Ambronum* exercitu a *C. Mario* ad *Aquas Sextias* ad internecionem redacto, atque *Cimbris* non procul *Vercellis* ab eodem *Mario* eiusque collega *Q. Lutatio Catulo* deletis; Germanos Italiam adeundi libido tantopere non agitauit deinceps; nec Romanos laceſſiuerint, belli-

(*) vid. Morhof. de Germanorum lingua cap. II p. m. 27 ſeq. & cap. III p. 52, ſeq. c. IV. p. 64, & elegantisſimam Voſſii præfationem, quam de Vitiis Sermonis libris præmiſit.

(c) Tacitus de M. G. cap. 37.

(d) Plutarchus in vita Marii.

bellique cum ipsis fortunam non tentauerunt denuo prius, quam *C. Iulii Cæsaris* tempore: *quando inuicti exercitatissimique in armis sibi visi, paullatim Rhenum transire consueuerant, & in Galliam magna eorum multitudo Ariouisto duce venerat. quod Populo Romano periculosum visum erat, quum homines feros ac barbaros non temperaturos sibi existimaret, quin, quum omnem Galliam occupassent, vt ante Cimbri Teutonique fecissent, in prouinciam exirent, atque inde in Italiam contenderent* (e). *Iulius Cæsar* igitur *Ariouisti spiritus*, vt ipse loquitur, mature reprimendos statuit: eoque superato, *Rhenum* ipse primus Romanorum ponte facto semel iterumque transiit, Germanos lacessens; sed mox regressus est, quum non fuerint, qui ab ipso vincerentur: siquidem omnes in siluas ac paludes diffugerant (f).

Bellum itaque est, quod, si non magnum multumque, leuem saltem Latinæ linguæ vsum in Germaniam nostram sensim introduxit: qui sub *Augusto* atque *Tiberio* imperatoribus, magis magisque inualuit, & vna cum armis Romanorum latius sese ibi diffudit. Nam quemadmodum *Ariouistus lingua Gal-*

(e) C. Iul. Cæsar. de Bello Gall. I, cap. 33, 36.
(f) Florus III, c. 10, §. 14, 15.

lica longinqua consuetudine multa vsus est (g); sic fortissimum ducem *Arminium*, quem *vltra barbarum ingenio promptum fuisse*, ipsi Romani testantur (h), Latine locutum esse constat (i): vtpote *qui assiduus prioris Romanorum militiae comes, ciuitatis ius, equestremque consecutus fuerat gradum: dum Romanis in castris ductor popularium meruerat.* Fuisse quoque in eiusdem Arminii exercitu *milites, qui Romanae linguae scientes fuerint*, commemorat, qui res ab summo hoc duce gestas memoriae prodidit (k). Vt de *Barbara* illa *muliere*, quam *Druso Albim transituro occurrisse*, tradunt, taceam: hanc enim, quaecunque etiam illa fuerit, *Latino sermone prohibuisse victorem*, perhibent (l).

Fieri enim aliter non potuit, quam vt longa cum Romanis consuetudine lingua horum adsuefierent paullatim Germani (*); prae-

(g) Iul. Caesar. de B. G. I, c. 47, §. 4. hunc Caesaris locum illustratum vide ap. Morhof. de Germanor. lingua c. II, p. 30. seq.

(h) Velleius Paterculus, Histor. II, c. 118, §. 2.

(i) Cornel. Tacitus Annal. II, c. 10, §. 4. (k) ibid. c. 13, §. 3.

(l) Suetonius in Claudio c. I.

(*) Quemadmodum longa etiam aduersum Romanos militia insueuerint sequi signa, subsidiis firmari, imperatorum dicta accipere; posteaquam vagis olim incursibus, & per disiectas cateruas bellauerant. vid. B. Rhenan. lib. I. Rer. German.

præsertim posteaquam *Variana clade complures splendidissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna ita depresserat, vt alium ex Romanis pastorem, alium custodem casæ fecerit apud Germanos* (ll). Accedit id, quod maximum est, quod iis, qui ad flumina finesque Germaniæ incolebant, colloquia ac liberi cum Romanis congressus sæpius fuerint concessi. Postquam scilicet Romani in prouinciarum suarum tutelam custodias disposuerant vbique per Germaniæ flumina, & in ipso etiam hostico, *Drusi*, ductu validissimis quibusdam nationibus eius superatis, munitissima castella exstruxerant: *eam tum in Germania pacem fuisse*, adfirmant, *vt mutati homines, alia terra, cælum ipsum mitius molliusque solito videretur* (m). Quid? quod *Quintilium Varum mediam ingressum Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, iurisdictionibus, agendoque pro tribunali ordine æstiva traxisse*, enarrant; *Germanosque in summa feritate versutissimos, fictas litium series simulantes, & prouocantes alter alterum iniuria, gratias egisse Varo, quod lites istas Romana iustitia finiuerit: & quod feritas sua nouitate incognitæ disciplinæ mitescere*

 cœpe-

(ll) L. An. Seneca epist. 47.
(m) Florus lib. IV, c. 12, §. 26.

cœperit, ac armis diſcerni ſolita iure ſint terminata. at ſimulaſſe modo talia Germanos, addunt, *vt in ſummam ſocordiam perducerent Romanorum ducem* (n).

Vt taceam, Germanos *ſtipendia* ſubinde in Romanorum caſtris meruiſſe: & horum imperatores *corporis cuſtodes* ex Germanis propter ſingularem eorum fidem, robur atque proceritatem legere maluiſſe, quam ex alia gente (o). Ipſe iam *C. Iulius Cæſar* Germanos contra *Gallos* muneribus ſtipendiisque inuitauit: quorum opera adiutus Galliam perdomitam tandem in prouinciæ formam redegit. qui eorumdem auxiliis in bello contra *Pompeium* geſto opportune etiam vſus eſt. Vt porro de *Legatis*, quos Germanos Romam interdum miſiſſe legimus, nihil dicam: cuiusmodi populorum legatos nullos audiuiſſe Romanos in ſenatu, niſi qui Latine verba fecerint, ſcimus (p). Memoratu dignum cenſeo, quod *Suetonius* de talibus Germanorum legatis, *Claudio* imperante Romam miſſis, refert (q): His ſcilicet imperatorem *in orcheſtra ſedere permiſiſſe, ſimplicitate ac fidu-*

(n) Velleius Paterculus, lib. II, c. 117.

(o) C. Suetonius Tranquillus in Neron. c. 37, in Galba, c. 12, C. Calig. c. 55.

(p) vid. Ludou. Viues ad Auguſtinum de Ciuitate Dei l. XIX, c. 7, n. 6.

(q) in Claudio, c. 25.

fiducia eorum permotum, quod in popularia ducti, quum animaduertissent, Parthos & Armenios sedentes in senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilo deteriorem virtutem aut conditionem suam prædicantes. Eumdem Claudium Imperatorem *Arminii* nepotem ex fratre, nomine *Italum*, Romæ educatum, *Cheruscis* petentibus regem dedisse, constat.

Quod si vero quis *C. Velleium Paterculum* legeret, nescius, ipsum *Tiberio* suo aperte maxime tum etiam adsentatum esse, quum scribere haud erubuit (r), *totam Germaniam armis sub duce hoc esse perlustratam, sicque perdomitam ab ipso, vt in formam pene stipendiariæ redegerit prouinciæ: fractas enim continua triennii militia Germaniæ vires, victasque esse gentes nomine fere incognitas, adeo, vt nihil fuerit tum in Germania, quod vinci potuerit, præter Marcomannorum gentem eumdemque ducem post cladem sub Varo Quintilio acceptam ocius prosperrimo rerum euentu, excisa Germania, summi qui adornaret ducis triumphum, dignum fuisse.* Si quis porro fidem haberet *superbo* plane, vt ipsi Romani eum appellant (s), *titulo*, quem *Germanicus* post prælium, quo fortuna magis,

A 5 quam

(r) Histor. lib. II, c. 97, 106, 108, 122.

(s) Tacitus Annal. lib. II, c. 22.

quam virtus deſeruerat Germanos, armorum congeriei addidit: *Debellatis inter Rhenum Albimque nationibus, exercitum Tiberii Cæſaris ea monimenta Marti & Ioui & Auguſto ſacrauiſſe.* Quod ſi, inquam, hæc legeret quis, ſic, ut nimis credulus minus recte conſideraret ea, ſcriptoribus eandem rem enarrantibus inter ſe non collatis, perſuadere ſibi initio fortaſſe poſſet, Germanos a Romanis ita deuictos tum eſſe, vt imperio ipſorum ſubiecti, leges imponere ſibi continuo paſſi ſint.

Id enim ſi eueniſſet, colligere porro inde liceret, victricis gentis linguam vſurpari tum cœpiſſe, non a paucis quibusdam, ſed a cuncta fere Germania. Siquidem ii, qui res a Romanis geſtas ſcriptas nobis reliquerunt, ſatis nos edocent (f), eum his fuiſſe morem, vt *leges ſermone ſuo, imperium quaſi præ ſe ferente, conſcriptas impoſuerint debellatæ genti:* quippe qui ad honorem ſuum quam maxime pertinere arbitrabantur, Romanæ linguæ vſum publicum exſiſtere: illud ea propter inter cetera grauitatis obtinendæ indicia cum cura cuſtodientes, ne Græcis vmquam, niſi Latine, reſponſa darent, & vt per interpretem loqui eos cogerent: idque non

(f) Valerius Maximus l. II, c. 2. conf. Morhof. de Patauinitate Liuian. c. II.

non in vrbe modo, sed in ipsa Græcia Asiaque. *quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur.* Quæ ipsa caussa est, quamobrem Græci Romanorum linguam *terribilem* appellarint atque *superbam*; & cur ea *barbara* iisdem visa sit ac *molesta* (t). Quum præterea sermo arctiori vinculo cum moribus plerumque sit coniunctus; haud intermisissent Romani, scholas tum aperire Germanis: siquidem permagni omnino ipsorum interesse videbatur, erudiri subiectos, ac barbaram gentem Græcis Latinisque litteris cultiorem reddi: quo facilius homines dulcedine earum capti, armaque tractare obliti paullatim, Romanis obsequi perseuerarent, nouis rebus amplius non studentes (u). Sic cum *Gallis* etiam egerunt, atque *Hispanis*, ac nonnullis *Africæ* populis, qui patriam linguam suam sensim fere dediscentes, ipsam adeo Romanam non temere deinceps æmulati sunt eloquentiam. Nec vero fortissimus prudentissimusque *Sertorius* arcanum illud ignorauit, qui nobilissimorum Hispanorum filiis *Oscam* deductis præceptores, qui Græcas atque Latinas disciplinas

(t) If. Casaubon. Exercitat. IX ad Annales Baron. p. m. 164.

(u) conf. cel. Cellarii differtat. de *Initiis cultioris Germaniæ*, §. 18.

nas docerent ipſos, conſtituit. hac enim ratione obſides ſibi ſimul reddebat filios iſtos: etſi parentes ſibi quam maxime ea propter gratulati, quod prolem ſcholam iſtam frequentare ac in litteris multum proficere cernebant, Sertorii hanc curam inter humanitatis ſigna referebant; quemadmodum *Britannos* etiam poſthac feciſſe, infra videbimus: quum tamen, ſi dicendum, quod res eſt, *pars ſeruitutis* fuerit licet non fœdæ, duræ ac miſeræ, ſed honorificæ admodum atque profuturæ (v).

Iisdem artibus quin Romani in *Germania* quoque vſi fuiſſent, ſi in *ſtipendiariæ prouinciæ* formam, vt Velleius Paterculus falſo prorſus tradidit, ab ipſis eſſet redacta. At vero factum id non eſſe, teſtes habemus longe grauisſimos: præterquam quod res pro ſe ipſa loquitur. Teſtem primo habemus *Tacitum*, ſcriptorem quam cordatisſimum: qui, tantum abeſt, vt adfirmet, Germanos Tiberio regnante eſſe debellatos, vt *altero Traiani conſulatu ducentos ferme ac decem annos computatos eſſe*, vltro profiteatur (x); *ex quo Germania vinci cœperit a Romanis*. Et poſtquam horum accepta a Germanis damna pluribus verbis commemorauit, & quinque Conſu-

(v) Plutarchus in Sertorii vita.
(x) de Morib. Germanor. c. 37, §. 4.

Consulares exercitus, tresque *Vari* legiones ablatas populo Romano, & *C. Caesaris* minas in ludibrium a Germanis versas esse, conquestus est: hos *a Romanis triumphatos magis, quam victos esse*, addere non dubitauit vir veritatis studiosissimus. *L. Annaeum Florum* testem porro habemus, quippe qui optauit, vt ne *Augustus Germaniam vincere tanti putasset: turpiter enim magis amissam eam iterum esse, quam adquisitam*, fateri necesse habuit (y): si modo *adquisitam* eam a Romanis esse, dicere vere potuit Florus noster. Quo minus vero retinere eam, ac prouinciam facere licuerit principi, *Romanorum vitia* prohibuisse, censet; haec enim *minus, quam imperia ferre potuisse Germanos*, adfirmat: quod aeternae maiorum nostrorum laudi scriptum iudico: Hos *Vari Quintilii libidinem ac superbiam haud secus, quam saeuitiam, odisse*, pergit Florus: & *sub Druso ex aduerso mores Romanorum magis, quam arma, suspexisse, Germanos*, asserit. Breue igitur admodum gaudium fuisse Romanis in Germania, addit tandem, quum huius incolae *victi magis, quam domiti fuerint*: Varique clade factum confitetur, vt *Imperium Romanorum, quod in Oceani litore non stetisse putat, in Rheni flumine steterit*: vltra quod populi Romani

(y) lib. IV, c. 12, §. 21. seqq.

mani magnitudo *reuerentiam* dumtaxat *imperii* protulerat (z): nedum transrhenana Germania in prouinciæ formam a Romanis ſit redacta.

Et ſic breuiter comprobaſſe ego mihi videor, bella ancipiti valde fortuna a Romanis geſta, aliquantum Latinæ linguæ vſus Germaniæ noſtræ intuliſſe. Præter bella *commercia* quoque, & reliqua, quæ Germanis pacis tempore cum Romanis intercesſit, vitæ conſuetudo, eiusdem linguæ vſum promouere potuerunt in Germania, præſertim apud populos, qui ad ripas ac in propinquo incoluerant. *Mercatoribus ad Germanos eo magis aditum fuiſſe, vt qua bello cepiſſent hi, quibus venderent, haberent, quam quo vllam rem importari ad ſe deſideraſſent, Iulius Cæſar* oſtendit (a): qui de *Vbiis* quoque, quorum *ciuitatem amplam* appellat *florentemque, vt captus tum fuerit Germanorum*, adfirmat, ipſos humaniores paullo ceteris fuiſſe, propterea quod Rhenum attigerint, & multi ventitarint ad eos mercatores (b). *Catualtam*, valida manu Marcomannorum fines ingreſſum, in *Marobodui* regia ac caſtello iuxta ſito Romanis e prouinciis lixas reperiſſe, ac negotiatores, quos ius commercii, dein cupido

(z) C. Tacitus de M. G. c. 29, §. 3.

(a) de B. G. lib. IV, c. 2. (b) ibid. c. 3.

pido augendi pecuniam, postremum obliuio patriæ suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulerit, *Tacitus* memoriæ prodidit (c): ex quo itidem constat (d), eosdem *Marcomannos Quados*que *externos* iam tum *passos esse reges*: quibus ex Romana auctoritate vis fuerit atque potentia: hasque ipsas gentes *raro armis, sæpius pecunia*, a Romanis esse adiutas. *Hermunduris non in ripa commercium fuisse, sed penitus, atque in splendidissima Rhætiæ prouinciæ colonia*, idem *Corn. Tacitus* asserit (e): quos *passim & sine custode transiisse* narrat ita, vt *Romani arma atque castra sua ostenderent, domosque & villas iis patefacerent non concupiscentibus*. Latina lingua consueuisse tum etiam Marcomannorum Hermundurorumque ciuitates, coniicere quis facile potest ex tam familiari cum Romanis consuetudine. Quamuis negatum nolim, per interpretes etiam inter Romanos Germanosque crebro actum esse: res sane ipsa per se liquet. Fuisse enim inter Romanos, qui *Germanicam*, siue *Celticam linguam* cognitam habuerint, ex scriptoribus facile probari potest: quemadmodum ab his notatum quoque legimus, fuisse omnino Romanos, qui *Gallicæ linguæ* fuerint admodum periti

(c) Annal. lib. II, c. 62. (d) de Morib. G. c. 42.
(e) ibid. cap. 41.

periti (f). *C. Caligulam coegisse* adeo quosdam, commemorant (ff), *vt Germanum sermonem addiscerent.* *Iulianus* postero tempore in exercitu suo habuisse dicitur, qui *barbarici sermonis*, vt loquuntur eius ætatis historici (g), valde gnari fuerint longoque vsu periti. *Siagrium*, prouincialem quidem inter Gallos hominem, at Consulis pronepotem, ac insignis poetæ semine sæculo V. natum, litterisque egregie excultum, *Germanicum sermonem ita addidicisse*, Sidonius Apollinaris refert (h), *vt immane narratu fuerit, quantum stupuerint* Siagrii populares, *eum sermonis barbari notitiam tanta facilitate rapuisse, & vt barbarus ipso præsente barbarisfimum linguæ suæ facere formidarit, & curua Germanorum senectus epistolas interpretanti adstupuerit, negotiis mutuis arbitrum disceptatoremque Siagrium desumens.* quamquam æque corporibus ac sensu *rigidi* fuerint Germani *indolatiles*que: in Siagrio tamen *amplexos pariter esse & didicisse sermonem patrium, & cor Latinum*, addit Apollinaris. In

(f) Iulius Cæsar. de B. G. lib. I. c. 47, §. 4.

(ff) Sueton. in C. Calig. c. 47. (g) Am. Marcellin. lib. XVIII, c. 2.

(h) Epist. 5. lib. V. conf. eruditisfimas Io. Sauaronis ad epistolam istam notas p. 310, 311, edit. Paris. 1599. 4. & B. Rhenan. Rer. Germ. lib. II, p. m. 366.

In rebus, coniectu non adeo difficilibus, demonstrandis longior esse nolo, qui sic satis me probasse hactenus, opinor, in Germania primo post natum Seruatorem nostrum sæculo, & paullo ante, Romanum sermonem a quibusdam fuisse vsurpatum; non cultum illum atque elegantem, plebeium saltem ac vulgarem, quotidianumque, a Sidonio *vsualem*, ab aliis *prouincialem*, *Latinæque linguæ æmulum* (*), appellatum. Enimuero veterum Romanorum sermonem in vsu quotidiano loquendoue alium longe fuisse, ac qui per ingenii monimenta ad nos propagatus est, viri doctissimi dudum declaratum iuerunt,

B

(*) de *Prouinciali sermone* egregia multa adnotauit D. Erasmus, lib. XXVIII, ep. 9. vbi inter alia ita scribit: *Constat autem apud* Hispanos, Afros, Gallos, *reliquasque* Romanorum prouincias, *sic sermonem Romanum fuisse vulgo communem, vt Latine concionantem intelligerent etiam cerdones, si modo, qui dicebat, paullulum sese ad vulgarem dictionem accommodasset.* & paullo post addit: *Ac ne Romæ quidem eo tempore, quo maxime florebat ea lingua, omnes loquebantur, quemadmodum loquebatur Cicero.* Hinc euenisse etiam, ostendit, quod in *Arnobii* Commentariis in Psalmos Dauidicos tot reperiantur solœcismi, adeo manifesti, vt vix *Holcot* & *Bricot* solœcisset crassius, quum *Arnobius ad vulgarem istam dictionem sese accommodarit.*

runt, argumentis non infirmis (i). Quod ſi vero *Cicero* ſua iam ætate in ipſa vrbe *homines* fuiſſe conqueſtus eſt, *qui impoliti & conſulto rudium ac imperitorum ſimiles videri voluerint:* quis, quæſo, perſuaſurus ſibi eſſet, in prouinciis Romano imperio ſubiectis, Germaniæque finitimis, elegantem illum ac politum ſermonem Latinum a vulgo in communi vſu eſſe adhibitum. Etiamſi *extra vrbem atque in prouinciis plus ſæpe vrbanitatis*, quam in ipſa vrbe, fuiſſe, liquido ſatis a nonnullis eſt oſtenſum (k). At difficulter forſitan declaraturus quis eſſet, veteres Germanos alium, præter plebeium iſtum, ac vulgarem, a prouincialibus, militibusque præſidiariis percepiſſe? quin immo immanibus ac barbaris eorum moribus alter iſte, venuſtus ſcilicet atque vrbanus, parum ſine dubio conueniſſet.

Me de reliquo, ſi de Germanis ſermo mihi hactenus fuit, *Germaniæ Magnæ*, id eſt illius, quæ Romanis trans Rhenum fuit atque Danubium, incolas intellexiſſe, per ſe quemlibet crediturum ſpero. Nam quod ad Germaniam attinet, quæ a Romanis *Cisrhenana* appellata, in duas, ſuperiorem ac inferiorem, diuiſa

(i) vid. Morhof. de Germanor. lingua c. IV, p. 66. ſeqq. & de Patauinit. Liu. c. 6.

(k) ibid. c. 14, 15.

diuisa fuit partes, in Gallico tum solo eam sitam, & ab Augusto in prouinciæ, siue separatæ, siue sub Gallia Belgica comprehensæ formam redactam esse, constat: postquam complures Transrhenanæ Germaniæ populi vel vltro transgressi, vel ab *Agrippa*, aliisque transducti eo fuerant (l). Ex quibus *Vbios experimento fidei supra ipsam Rheni ripam collocatos esse*, *Tacitus* nos docet, *vt arcerent, non vt custodirent: quippe qui origine erubuerint sua, ac Agrippenses, conditoris sui nomine, vocari se maluerint. quum Treueri ex aduerso Neruiique circa Germanicæ originis adfectationem vltro ambitiosi fuerint, tamquam per hanc gloriam sanguinis ab similitudine ac inertia Gallorum separarentur* (ll). Hanc quidem Cisrhenanam Germaniam Romani imperii partem factam veterem ac popularem linguam propter assidua cum transrhenanis commercia retinuisse, putant (m): Romanorum tamen etiam linguam, quin vna admiserit, non dubitant. Nam sermo mores hominum sequi fere solet. Accedit, quod in eam maxime curam incubuerint

 sem-

(l) vid. Cellarii Orbis Antiq. Notit. lib. II, cap. 3, p. 369, seq.

(ll) Tacitus de M. G. c. 28.

(m) vid. B. Rhenan. lib. I Rer. Germ. p. m. 91. & 369. Lehmanni Chron. Spirens. lib. II, cap. 45, p. m. 166.

ſemper Romani, vt ſupra iam a me adfirmatum eſt, vt proprius ipſis ſermo mature traderetur prouincialibus, non ſolum vulgaris ille, verum etiam elegans atque vrbanus, vt iudiciis ipſi intereſſe, leges & edicta Romanorum cognoſcere poſſent (n). Eam ob rem in omni Gallia, æque ac in aliis prouinciis, præter quam quod crebras eo deduxerunt *colonias*, quibus cuncti occidentis cultura debetur, ludos paſſim aperuerunt litterarios; inter quos *municipales apud Veſontium atque Lugdunum ſcholæ* ſatis floruerunt, nec non illæ, quæ *Durocortori in Rhemis*, atque *Auguſtoduni in Aeduis* conſtitutæ, illuſtres maxime exſtitere: quarum illa propter vberrimum ſtudiorum prouentum *Nouæ Athenæ* appellata eſt (o). hanc autem *Conſtantii Chlori Cæſaris* iuſſu reſtauratam a rhetore *Eumenio* laudatam, ſcimus; quam pulcerrimo opere, & ſtudiorum frequentia celebrem quondam ac illuſtrem fuiſſe, perhibet; ſiquidem *nobiliſſima Galliarum ſoboles liberalibus ſtudiis in ea iam tum fuerat operata* (p). Non igitur mirum, quod *Strabo Narbonenſis Galliæ incolas barbaros dicendos eſſe* negauerit,

(n) vid. B. Rhenanus c. l. pag. 368. & Lehmannus c. l.

(o) Cellarius in diſſert. de Initiis cultioris Germaniæ, §. 20.

(p) C. Tacitus Annal. III, c. 43.

rit, *sed plerosque ad Romanorum paullatim se conformasse mores victusque consuetudinem, Latino loquentes sermone*, adfirmauerit: (*)

Idem de *Rhætia*, *Vindelicia*, ac *Norico*, quod de Cisrhenana Germania statuendum est: nam licet prouinciæ istæ hodie non minimam Germaniæ nostræ conficiant partem: Romanos tamen antiquæ Germaniæ fines ab Rheni læuaque Danubii ripa statuisse, neminem fugit: scimus quoque, fuisse inter eruditos, qui statuerint, terras istas, quæ *Illyrici* pars deinceps fuerunt, siue continuatio, gentes prius incoluisse, quam a Romanis sint subactæ, quæ proprium habuerint sermonem, a Germanico diuersum (**). His itaque prouinciis, in quarum altera splendidissima ab *Augusto* condita est colonia, Romanorum ditioni adiectis, vt Latinus sermo propagaretur ibi, barbarique incolarum mores cultiores redderentur, quin sedulo curauerint victores, dubium non est, ita, vt rem pluribus verbis comprobare necesse me habere,

 non

(*) conf. Morhof. de German. lingua, Cap. I P. II.

(**) ita B. Rhenanus statuit lib. II. Rer. German. pag. 369. at eadem fortasse ratione statui posset contrarium, qua nonnulli probatum iuerunt, *Gallorum Germanorumque linguam priscis temporibus vnam fuisse eamdemque, vel dialectis tantum vnam ab altera diuersam exstitisse.* vid. Morhof. de lingua Germanor. c. II, p. 29 seq.

non putem. Satis videlicet exploratum habebant Romani, *si Germanorum & finitimorum, corporibus animisque delicias, luxum atque opes ignorantibus ratio daretur, ac disciplina, fore, vt Romanos mores repetere inde postmodum necesse haberent* (q).

Vt eo, vnde diuerti, in Magnam Germaniam scilicet, reuertar demum; vltra *Albim* Latinæ linguæ vsum, qualiscunque etiam is fuerit, extendendum facile non puto: flumen enim hoc transiisse Romanos, negat Strabo: fac vero transiecisse eos postero tempore exercitum, vt Tacitus de *L. Domitio* adfirmat (r): statim tamen iterum sunt regressi. Quæ quum ita sint, coniicere inde possumus, vltra ipsum hoc flumen summam exstitisse barbariem: quo enim magis à Rheni Danubiique ripis recedebat Germania, eo vastior offendebatur barbaries, eoque horridior squalor occurrebat, sordesque. Nam licet Germaniæ Romanorum prouinciis propinquæ magis ac finitimæ cultus exiguus fuerit, si cum illo comparetur, quem Hispania, Gallia, atque Britannia, postquam in Romanorum potestatem redactæ erant, per priora post natum Christum sæcula præ se tulerunt. in ora tamen & ad fluminum ripas

(q) L. An. Seneca lib. I de Ira, cap. 11.

(r) Annal. lib. IV, cap. 44.

pas consuetudinem atque commercia, quae cum prouincialibus intercesserunt accolis, meliores his finxisse mores, maioremque cultum attulisse, inficiandum non est. *Hermundurorum*, atque *Marcomannorum* ciuitates, quas in exemplum protuli supra, rem probare, mea quidem sententia, satis possunt. De *Cattis* narrat toties a me citatus Tacitus, multum, vt inter Germanos, *rationis* ipsis fuisse *ac solertiae*; & postquam *disciplinam*, qua in bello vti consueuerant, magnopere praedicauit, *alios Germaniae populos ad praelium ire visos esse, Cattos ad bellum iuisse*, confirmat (s).

Maneat ergo *Cattis* sua laus militari disciplina parta: *Marcomannis* quoque, *Hermunduris* ac reliquis, gloria ab ipsis aduersariis ob minus immanes mores impertita, firma stet ac sempiterna. Omnis tamen ratio eorum, ordo omnis, cultus atque disciplina, si cum Gallorum, Hispanorumque moribus, vti dixi, conferantur, tenues adhuc videri queunt, & exiles admodum. Ad *litterarum* vero *studia*, & *accuratiorem sermonis Latini vsum* quod attinet, quae apud laudatos populos floruerunt maxime, & plurimum omnino ad reliquum vitae cultum contulerunt: antiquae Germaniae nullam prorsus laudem re-

(s) de M. G. cap. 30.

lictam esse, fateamur oportet. *Hispania M. An. Senecam* dedit, *Pomp. Melam*, *Iun. Moderatum Columellam*, *M. An. Lucanum* : *M. Fab. Quintilianum* etiam protulit, quo nemo oratoriam artem, si Ciceronem exceperis, inter Latinos melius tradidit, *M. Valer. Martialem*, alios. Quid? quod Latinæ linguæ tantopere studuerunt Hispani, præsertim qui ad Bætim incoluerant, vt patrii sermonis obliti, Latini adeo facti esse dicantur (s). *Galliæ* scholas, studiorumque in ea prouentum supra iam commemoraui: *Rhetores* ipsa Romam misit, ad quos Latine docentes magnus discendi cupidorum fiebat concursus, quum studiosissimus quisque exerceri apud eos cuperet (t). *Oratores* etiam in vrbem misit Gallia, quos rerum gnari magnopere sunt admirati. nec mirum, quum præter complures illustres maxime, quas fouit scholas, *Massiliam* etiam ostentarit, *locum Græca comitate & prouinciali parsimonia mistum beneque compositum* (u). Sic vero etiam (v)

Gallia caussidicos docuit facunda Britannos,

vt horum ingenia ipsis Gallorum studiis anteferenda deinceps putarint Romani

(s) Strabo lib. III.
(t) Sueton. Tranq. de claris Rhetoribus cap. 2.
(u) Tacitus in vita Iul. Agricolæ, cap. 4.
(v) Iuuenal. Sartyr. XV, v. 111.

ni (x); quum, qui Latinam linguam abnuerant ante, eloquentiam concupiuiſſent denique. In ipſa *Pannonia*, quum Romanis vix dum parere cœpiſſet, non diſciplinam modo, ſed linguæ etiam horum notitiam viguiſſe, ſunt, qui teſtantur (y), plerisque litterarum vſum ac familiarem animorum exercitationem ibi fuiſſe, confirmantes. Hæc ſatis teſtificari poſſe mihi videntur, *imperioſam ciuitatem*, vt S. Auguſtinus loquitur (z) *in prouinciis nutu ac poteſtate ipſius adminiſtratis omnibus contendiſſe viribus, vt non iugum modo, verum etiam lingua, imperii quaſi index, domitæ genti imponeretur.* quum non ignoraret, *verba neminem mouere, niſi eum, qui eiusdem linguæ ſocietate ſit coniunctus:* vt Cicero prudentisſime monuit.

Ad quidnam teſtimonii maioribus noſtris, quod ad litteras attinet, impertiatur a Romanis, diſſertationis meæ initio protuli: illud ſcilicet, quod inter omnes conſtat, & parum profecto honorificum eſt: *Litterarum ſecreta viros pariter ac feminas ignoraſſe.* Equidem optime ſcio, fuiſſe omnino, qui verba hæc aliter interpretari volue-

(x) Tacitus c. l. cap. 21.

(y) Velleius Paterc. lib. II, cap. 110.

(z) de Ciuitate Dei, lib. XIX, c. 7.

luerint (a), ac plerumque intelliguntur; vt mitiorem videlicet paullo elicerent inde sensum, qui, maioribus non omne plane studium, nec ingenuas artes omnes abiudicaret. Sed tamen parum abest, quin ab eorum ego stem

(a) *Matth. Berneggerus* hunc Taciti locum non præcipue de ipsis studiis, sed de litteris earumque scriptura, h. e. non de nucleo, sed de putamine, accipiendum esse censuit, quæstion. miscell. ex C. Corn. Tacit. Germania, quæst. 99. *Mich. Beutherus* ex aduerso Comment. in Tacit. de M. G. cap. 35, Germanos litteras habuisse, rationibus probari posse, sibi persuasit; quum tanta potentissimorum populorum multitudo sine litterarum, quibus ipsorum lingua scriberetur, præsidio, neque gubernari, neque in societatis ciuilis recta norma conseruari potuisse videretur. Beuthero *Morhofius* cap. 6, P. II. de Germanor. lingua & poesi, p. 274 assentitur, & ex hoc *Magn. Dan. Omeis* in Introd ad German. Poeticam p. 9: vbi clarissimis viris incredibile plane videtur, Germanos Taciti temporibus litterarum expertes fuisse atque ignaros; huiusque verba *Heigium* non absurde de secretiore litteratura intellexisse, arbitrantur. Cuilibet iudicium hac de re liberum esto. Tantum addo, gentem sine litterarum vsu consistere omnino posse, *Americæ* incolas ab Hispanis subactos suo exemplo satis declarare mihi videri; vtpote qui incognitum sibi antea litterarum vsum certissimum diuinitatis argumentum existimarant, quum chartæ scriptæ occultam vocem inesse animaduertissent: quod *Petrus Cieza* in histor. Peru. tradidit. vid. M. Bernegger. c. l.

ftem partibus, qui, Tacitum verbis iftis confirmare voluiffe, credunt, antiquæ Germaniæ incolas litterarum myfteria nefciuiffe; nec vlla difciplinarum aperta apud ipfos fchola, nulla eos habuiffe litterarum ftudia; ingenuarumque artium imperitos exftitiffe, rudes atque ignaros. qui *quoties bellum non inierunt, multum venatibus, plus per otium transegerunt, fomno dediti ciboque: pigrum & iners prorfus exiftimantes; fudore acquirere, quod fanguine parare posfis* (b). quem etiam pro libertate, qua prius nihil habuerunt, effuderunt plurimum; parum curantes, vtrum commode habitare poffent, ad finitimarum gentium exemplum, an *fubterraneis fpecubus totos dies iuxta focum agendum fibi effet, fomnum in diem extrahentibus* (c): Romanam feruitutem effugere fe, vnice triumphabant atque gaudebant. Tam imprudentes fcilicet non videbantur veteres noftri Germani, quam *Britanni*, qui *humanitatem vocauerant id, quod re ipfa feruitutis pars fuit* (d). Nam quæ in reliquis populis, armis in ditionem fuam redactis, agere confueuiffe Romanos, fupra cognouimus, eadem in Britannis quoque moliebantur, contendentes, vt *homines difperfos ac rudes,*

eoque

(b) Tacitus de M. G. c. 14, 15. (c) ibid. c. 17, 22.
(d) idem in vita Iul. Agricolæ, cap. 21.

eoque bello faciles, quieti & otio per voluptates adsuescerent. priuatim nimirum eos hortabantur, publiceque adiuuabant, vt templa, fora, domus, exstruerent, laudando promptos, castigando segnes; ita, vt discessum paullatim sit apud bonos Britannos ad vitiorum delinimenta, porticus, balnea, conuiuiorumque elegantiam. Quibus singulis perpetuo indigere maluerunt Germani nostri, quam libertatem amittere suam: vtpote quam omni cultui, omnique elegantiæ ac splendori longe præferendam censebant; Romanam libidinem ac superbiam, tamquam sæuitiam, summo prosecuti odio detestatique. Quo acrius igitur pro libertate hac sua propugnarunt, eo diutius & animi & linguæ cultui restitisse videntur Germani, veriti, ne ipso hoc cultu sopiti quasi, libertate demum priuarentur: siue ne committerent, vt remollescerent animi effeminarenturque; & armis rubigo obduceretur denique. Id ne fieret, *Sueuos* in primis, *longe maximam, & omnium Germanorum bellicosissimam gentem* diligenter cauisse, *Cæsarem* testem habemus longe grauissimum (e): quos eam ipsam ob caussam mercatoribus aditum concessisse, negat. Ceterum quam acriter pro libertate sua pugnauerint Germani, Tacitus aliique abun-

(e) lib. IV de B. G. c. 1. seq.

abunde declarant, vbi bella eorum cum Romanis gesta enarrant: *Arsacis regno acriorem fuisse Germanorum libertatem*, vltro fatentur. *Non Samnis*, inquiunt (f), *non Pœni, non Hispaniæ, Galliæve, ne Parthi quidem, sæpius, quam Germaniæ populi, admonuere.*

Talis fuit tempore, quo Romanum imperium maxime florebat, quo plurimis Europæ, Asiæ atque Africæ regnis, quæ vniuersa ferme Latina reddiderat, leges ac iura præscribebat, & quo tot parebant ei in terrarum orbe prouinciæ, vt ipsa magnitudine sua laboraret: talis, inquam, in Germania nostra tum status fuit, talis Latinæ linguæ vsus: qui exiguus licet videri queat, ac tenuis satis; non tamen nullus prorsus exstitit, nec penitus spernendus. immo in istis, quas commemoraui, prouinciis; quæ nempe eo quidem tempore ad veterem Germaniam non pertinebant, nunc autem, & per bene multa iam sæcula ingentem eius constituunt partem, eiusdem linguæ multus sane ac insignis vsus fuit: prout prouinciæ erant, quæ imperio Romano subiectæ vna cum victorum iuribus horum linguam admittere simul necesse habebant. In quibus quum ipsa hæc lingua magis magisque corrupta deinceps sit, & exeunte sæculo quar-

(f) Tacitus de M. G. c. 37.

quarto penitus fere oppreſſa, quilibet ſibi facile perſuadebit, credo, in Magna Germania tribus ſæculis, primum a nato Chriſto inſequentibus, linguæ vſum frequentiorem non fuiſſe, quam ipſo hoc priori ſæculo fuiſſe, oſtendi. Tantum enim abeſt, vt Germania per tria iſta ſæcula deuicta leges, & cum his alienam linguam imponi ſibi a Romanis paſſa ſit, vt eius populi horum prouinciis, ipſique demum Italiæ crudele & exitioſum maxime bellum intulerint, imperii ſede ineunte ſæculo V ab iis occupata. Quo tempore imperioſam quoque linguam conticuiſſe vbique prope ac obmutuiſſe, in præfatione breui iam eſt commemoratum. Siquidem omnium rerum viciſſitudo eſt, & linguarum maxime natura ita comparata eſſe ſolet, vt imperia, quorum fideles ſociæ fuerunt, aſſiduæque comites, ruere non queant, quin earum cultus atque decus concidant ſimul, eodem motu labefactata.

Grauiſſima quidem commemorari a ſcriptoribus per temporis eius ſpatium Romanorum in Germania bella, & ingentes clades legi, quas & Romani & Conſtantinopolitani Imperatores intulerint eius populis, inficias ire non poſſumus: Germaniam tamen ab his ditioni ſuæ adiectam vmquam penitus eſſe, ſi quis putaret, multum falleretur. Nam licet

licet *Traianus* munimenta in ipſo Germanico ſolo a *Druſo*, aliiſque exſtructa olim, reparauerit, nouaque, ſuo appellata nomine, ibi collocarit (g): & licet ſucceſſor eius *Hadrianus Germanis regem conſtituiſſe* dicatur (h). munimenta tamen iſta, quæ Germaniæ non tam ſubigendæ, quam compeſcendæ gratia impoſita erant, diruta iterum ſunt ab incolis; a *Iuliano* poſtero tempore tumultuaria opera partim reparata (i). An porro regi iſti honos ſuus diuturnus fuerit, & an amplas adeo terras regendas a Romanis acceperit in Germania, eſt quod valde dubito. Neque vero felicitas, qua *Marcum Antoninum* in bello Germanis inferendo vſum eſſe, ſcribunt, perpetua fuit: & quamquam ipſius, quod contra *Marcomannos* geſſit, bellum tantum fuiſſe prædicatur (k), quantum usque eo poſt hominum memoriam fuerit nullum: regionem tamen ipſorum in prouinciæ formam, quemadmodum conſtituerat, redigere ipſi non licuit; qui Germanorum auxilia contra ipſos Germanos bello petendos emerat (l).

Ex

(g) Eutropius lib. IIX, c. 2, & Ammian. Marcell. XVII, c. 1.
(h) Aelian. Spartian. in Hadriano, c. 12.
(i) Ammian. Marcell. c. l.
(k) Iul. Capitol. in M. Antonino, c. 17, 21.
(l) Iul. Capitol. ibid.

Ex superbo *Germanici* atque *Alemannici titulo*, quo *Antonino Caracallæ* vti libuit, Germaniam Romano imperio subiectam esse, nemo coniecerit; præsertim qui quam stultus ac demens imperator fuerit Caracalla, meminerit: vtpote qui *Lucanicum* appellandum se decreuerat, si Lucanos vicisset; & cui suaserant nonnulli, vt *Getici Maximi* quoque nomen adsumeret, quod *Getam* occidisset fratrem (ll). *Alexandro Seuero* imperante grauissimum accidebat vrbi, quod *Germanorum vastationibus Galliam diripi* audiret, & quod barbara natio reipublicæ ceruicibus imminere videretur. Alexander igitur contra Germaniam profectus est: at bellum, quod tanto conatu susceperat, conficere non potuit, *barbarico gladio*, vt loquuntur auctores (m), siue *Germani scurræ*, qui cum aliis popularibus in exercitu imperatoris tum fuerat, manu occisus: qui scurra Latinæ linguæ peritus satis fuisse videtur, quum imperatorem alloquentem ipsum intellexerit. *Maximinus* bellum illud contra Germanos ab Alexandro paratum conficiendum suscepit: quorum vires ab eo ita fractas esse, scribunt (n), *vt parum abfuerit, quin omnem Germani-*

(ll) Ael. Spartian. in Ant. Caracalla c. 5, 10.

(m) Ael. Lamprid. in Alexandro Seu. c. 59, 61, 62.

(n) Iul. Capitol. in Maximin. c. 12.

maniam in Romanam redegisset ditionem: sed quo minus id factum sit, in caussa fuisse memorant, quod per amnes, paludes atque syluas aufugerint Germani; quos *persequi paludum altitudinem permisisse sibi negat* Maximinus, in litteris ad Senatum populumque missis (o). *Aurelianum* etiam imperatorem complures Germaniæ populos in speciosissimo isto triumpho suo captiuos duxisse legimus (p). Verum populos istos armis ab Aureliano non domitos satis fuisse atque subactos, posteriora tempora, ut opinor, satis sunt testificata: quæ *Probo* imperatori tam vberem clarissimæ in Germania victoriæ præbuere materiam. Enimuero imperatorem hunc non solum *sexaginta*, quas Germani in Galliis occupauerant, *nobilissimas ciuitates* recepisse, memoriæ prodiderunt (q), *quadringentis* prope *millibus* eorum, qui Romanum solum intrauerant, *cæsis*, & reliquiis vltra Nicrum albimque remotis, sed ipsum etiam vrbes Romanas & castra in barbarico solo posuisse, adfirmarunt. Quæ si quis legat, debellatum denique tum fuisse cum Germanis, conclamatumque de libertate eorum, existimare posset: præsertim si simul cognouerit,

C

(o) ibid.

(p) Flau. Vopisc. in Aurel. c. 33.

(q) id. Flau. Vopisc. in Probo c. 13. seqq.

uerit, *ſedecim millia Germanorum tironum per diuerſas prouincias ſparſiſſe* Probum, *nouemque Germaniæ regulos ad pedes* huius *ſeſe proieciſſe*; quibus Probus imperarit, *vt gladiis non vterentur in poſterum, Romanorum, ſi opus foret, defenſione confiſi.* Verum addunt, id fieri non potuiſſe, quod Romanus limes extenſus non eſſet, nec cuncta Germania Romanorum facta fuerit prouincia. Id tamen eueniſſe tum, *Probi litteræ ad Senatum datæ* (r) indicare videntur: quibus nihil fere ſuperbius, arrogantius nihil legere me memini: ſiquidem ſeribere iis inter alia non erubuit, *ſubactam eſſe omnem, qua late extenderetur, Germaniam*: quum tamen dubitandum adhuc putem, vtrum exploratum ſatis habuerit Probus, quam late extenſa fuerit tum Germania: Hanc ita quidem armis ab ſe ſubactam, ſcripſit, vt *omnes barbari arauerint tum ſeuerintque Romanis.* quibus tamen minus conuenire mihi videntur verba, quæ continuo ſequuntur: *eosdem* ſcilicet *barbaros contra interiores militaſſe tum quoque Romanis.* quod ſi enim omnis Germania in horum poteſtatem redacta fuiſſet a Probo, interior etiam ſine dubio ita parere debuiſſet Romanis, vt propugnatoribus haud indiguiſſent. Hæc ipſa igitur interior Germania eſt,

(r) id. c. 15.

eſt, quæ tam diu & tam vehementer repugnauit poſtea, populares ſuos ita in libertatem vindicans, vt ne hi quidem ſuperati vnquam viderentur. *Immanem enim Germanorum nationem, a primis iſtis initiis caſuum varietate imminutam, ita adoleuiſſe ſubinde, ipſi* hoſtes fateri neceſſe habuerunt (ſ), vt *longis ſeculis intactam eam exiſtimari licuerit*. Quare etiam Probus ſucceſſoribus ſuis immenſum plane in Germania campum reliquit, quo Romanos exercere poſſent milites. At vero Romanorum fortuna tantopere deinceps mutata eſt, vt ſucceſſores iſti Germanos laceſſere porro deſiiſſent forſitan, vltro acquieſcentes, ſi a finibus ſuis prohibere eos valuiſſent: quod autem, vt ex ſequentibus patebit, fieri non potuit.

Nam quamquam *Conſtantinus M.* cum *Alemannis, Francis* atque *Bructeris* ſecundis decertauit præliis, metuque per dira, quibus Francorum reges adfecit, ſupplicia iniecto irruptiones eorum inhibuit poſtquam Pater eius *Conſtantius* deuictas Germaniæ gentes in Romanas nationes transtulerat, vt non ſolum arma, ſed & feritatem ponere cogerentur (ſſ): non tamen ita multa poſt ſe moue-

C 2 runt

(ſ) Ammian. Marcellin. lib. XXVIII, c. 5.

(ſſ) Eumenius in Panegyr. Conſtantino Aug. dict. p. m. 193.

runt iterum, Galliam incursionibus suis denuo depopulantes. Quibus *Constantius* opponere se tum decreuit. in quo vero non tremendus adeo oblatus est Alemannis bellator; dum pacem petentibus minus dura, sed æqua maxime ac tolerabili conditione illam impertiuit: quum in externis bellis fortunam non admodum fauere sibi, vsu compertum satis habuerat. Inde factum est, vt Alemanni conditionibus istis non diu steterint. Accedebat enim id, quod maximum erat, quod imperii Romani fines non præsidiis solum contra Germanos ibi positis, sint denudati eo tempore; sed quod ipsi etiam Germaniæ populi a Constantio contra *Magnentium* in Galliam sint euocati (t): a quibus *quadraginta* amplius *ciuitates* ad Rhenum & in Gallia sitæ, sunt euersæ. Romanas quidem prouincias a depopulationibus huiusmodi defendere properauit *Iulianus* Cæsar, præliis non ita aduersis cum hostibus contendens: quandoquidem *tumentes horum rapinisque dudum adsuetos reges Romano iugo collatum subdidisse*, referunt (u): & ipse Iulianus de se gloriatus est, *se assiduis Alemannorum & Francorum irruptionibus populandique*

(t) vid. Hadr. Valesii not. in Ammian. Marcellin. lib. XVI, c. 3.

(u) Ammian. Marcellin. lib. XXI, c. 5.

dique licentia fractis, Rhenum, quotiescunque libuerit, peruium fecisse Romanis agminibus: postquam videlicet propugnacula Germanis olim obiecta, sed diruta ab his, reparatum iuerat, munimentisque exstructis prohibuerat eos a Romanarum prouinciarum finibus. Sed tamen gaudium hoc Gallis Romanisque minus diuturnum fuit: adflictis horum rebus paullo post citato magis gradu ad interitum ruentibus, dum Franci atque Alemanni mox sub *Valentiniano* & *Gratiano* tritas olim ab se vias calcare iterum cœperunt; *Saxonibus* etiam Romanorum prouincias infestantibus: Donec *Franci* Galliam, *Vandali, Sueui* & *Visigothi* Hispaniam, *Saxones* Britanniam, *Heruli, Osthgothi* ac *Langobardi*, & antea *Visigothi*, Italiam, alii alias prouincias occuparunt denique, ipsa Vrbe, cui tot regna adhuc paruerant, expugnata.

Me bella ab Imperatoribus Romanis contra Germanos gesta iusto verbosius pro instituti mei ratione persecutum hactenus esse, fateor. quod si pronuntiassem, grauissima quidem a Romanis per secula ista illata esse Germaniæ bella, eiusque incolas ingentibus subinde cladibus ab iisdem esse adfectos: Romanos tamen Germaniam deuincere ita non valuisse, vt imperium eorum reuereri perseuerarit; nec prohibere potuisse, quo

minus transrhenanæ Germaniæ populi in Galliam & reliquas prouincias prædatum creberrime exeuntes, vastarint eas, sibique demum subiecerint. Hæc, inquam, si ita pronuntiassem, plurima paucis comprehendere potuisse mihi videor. Quod vero latius paullo, sed tamen ne sic quidem fuse digneque, bella ista enarrauerim, eo spectat, vt facilius coniici possit, Latinæ linguæ vsum tribus sæculis, primum a nato Christo proxime insequentibus, in Germania non fuisse intermissum, sed credendum potius esse, quum non minus grauia ac formidolosa, quam superiori tempore, gesta ibi sint a Romanis bella, vsum linguæ in Germaniæ populis Galliæ, Rhetiæ, & ceteris Romanis prouinciis confinibus æque frequentem fuisse, ac priori sæculo eum supra cognouimus; præsertim quum Germaniæ populi continue in prouincias, quarum incolæ Latinæ, tamquam vernacula, lingua vtebantur, excursiones fecerint atque latrocinia.

Quin vero etiam Germani per eadem ista sæcula in Romanis castris *stipendia* æque *meruerint*, ac antea ab ipsis factum esse, retuli, nemo dubitauerit. In *Alexandri Seueri* exercitu, quem contra Germaniam ducebat, Germanos fuisse, ex superioribus apparet, vbi Imperatorem hunc Germani huiusmodi,

La-

Latinæ linguæ non ignari, gladio occisum, dixi, quum modo commemorauerам, *Marcum Antoninum* a Germanis auxilia emisse, quibus in bello contra ipsam Germaniam gerendo vteretur. Vt de XVI. istis tironum millibus, quæ a *Probo* Imperatore capta per diuersas Romanorum prouincias sparsa esse adfirmaui, nihil dicam. Non omnibus quidem Imperatoribus militasse temere Germanos, sed vidisse prius, quisnam esset, qui auxilia expeteret, satis tum edocuisse ii videntur, quum a *Proculo* ad auxilium rogati, id detrectarint, & *Probo* deseruire maluerint, quam cum *Bonoso* & *Proculo* esse (x). Germanos præterea inter *corporum custodes* stipasse porro Romanorum Imperatores, temporum istorum monimenta satis declarant: singularis enim fidei ac virtutis opinio, quam excitauerant gentibus, tum nondum erat diminuta. quamuis eo tempore, quo *Constantius* in Germania bellum administrabat, Germanos quosdam, quibus honoratioris militis cura in exercitu eius commissa fuerat, in suspicionem incidisse, narrant scriptores (y), ipsos *populares suos Constantii consilia per occultos edocuisse nuntios*. Ipse hic Constantius est, qui *Siluanum*, *Francum* natione, sum-

(x) Fl. Vopiscus in Probo c. 18.
(y) Ammian. Marcellinus lib. XIV, c. 10.

ſummam imperii in Gallia adfectantem Coloniæ Agrippinæ trucidandum curauit (*). quem quidem calumniarum metu, quibus iniquorum factione abſentem ſe irretitum ſenſerat, vt ſalutem ſuam tueri poſſet, ad extrema iſta præſidia progreſſum, ſcribunt; *haud exillum* ceteroquin *meritorum* eum prædicantes *ducem*, & *ingenio blandiſſimo* hominem, qui quamquam barbaro patre genitus, *inſtitutione tamen Romana cultus ſatis* euaſerit *atque patiens*; & cuius pater *Bonitus* pro Conſtantini partibus in bello ciuili contra *Licinianos* ſæpius ſit verſatus (**).

Tantum de *bellis* & *re militari*, quæ vt Latinæ linguæ vſus, ſuperiori tempore in Germania inchoatus, aliquantum continuaretur, efficere potuerunt. Neque *conſuetudo* & *commercia*, quæ Rheni Danubiique ripæ accolis pacis tempore frequentia ſatis cum prouincialibus intercesſiſſe ſupra a me probatum eſt, intermiſſa tum erant atque ſublata. His effectum puto, vt *domicilia ſua Romano ritu curatius paullatim conſtruxerint Germani* (z); quibus ædificandi ſcientia exigua, immo nulla

(*) Ammian. Marcell. lib. XV c. 5.
(**) præter Ammian. Marc. l. l. vid. Sext. Aurel. Victor. de Cæſarib. extr. huiusque Epitom. c. 47.
(z) id. lib. XVII, c. 1.

la potius, fuerat olim, quum *ne cæmentorum quidem aut tegularum vſus apud eos eſſet, ſed informi ad omnia materia vterentur, citra ſpeciem aut delectationem: & quum ſubterraneos etiam ſpecus aperirent, fimo oneratos, vt hiemi ſuffugium eſſent* (a). Nec vero domicilia modo Romano ritu exſtruxiſſe tum Germanos, ego mihi perſuadeo, ſed reliquo etiam vitæ cultu Romanos quodammodo mores effinxiſſe eos, coniecto: & quoniam lingua ad mores ſeſe accommodat plerumque, ſi, Germanos vtrumque fluuium accolentes linguam etiam eodem tempore conformaſſe aliqua ex parte, Latino ſermone in quotidiana ferme cum finitimis conſuetudine multum vſos, adfirmauero, me non grauiter admodum erraturum eſſe, confido.

Quemadmodum autem non cultum, ſed leuem dumtaxat Latinæ linguæ vſum priori ſæculo in Germania noſtra deprehenſum eſſe, adfirmaui: ita in ſequentibus tribus ſæculis diligentiorem quamdam eiusdem linguæ culturam me ſtatuere, nemo arbitrabitur: vtpote quæ in ipſa Italia extremo iſto tempore quam maxime eſt deſiderata. Equidem quum vnaquæque gens Romanorum facta, & verborum & morum vitia vna cum

(a) Tacitus de M. G. cap. 16.

opibus ſuis Romam transmiſerit (b), & quum exteri & ſemibarbari populi Imperatores dederint vrbi, mirati ſunt nonnulli, qua ratione fieri potuerit, vt vrbs non celerius barbara reddita ſit (c): præſertim quum Cicero ſua iam conqueſtus ſit ætate, *multos inquinate loquentes in vrbem confluxiſſe, & infuſam eo eſſe peregrinitatem, & quidem Braccatis tum etiam & Tranſalpinis nationibus, vt nullum veteris leporis apparuerit veſtigium* (d). Quid vero temporibus Ciceronis ætatem ſequentibus acciderit, & quomodo res in deterius quotidie data ſit, in præfatione paucis verbis a me iam eſt oſtenſum. Mores videlicet vna cum lingua tantopere demum corrupti erant, vt *antiquam Romam in ipſa Vrbe fruſtra quis quæſiuiſſet*: ſiquidem viri, antiquitate generis maiorumque gloria celebres alias, inerti ac luxurioſo maxime otio, & turpisſimis, quæ proueniunt inde, vitiis dediti doctrinam tamquam venena deteſtabantur, & plebs omne tempus vino dabat atque teſſeris, libidine ad voluptates & ſpectacula deuocante (e).

Huiusmodi rerum in Vrbe facies erat eo tempore, in quam quo maior exterorum hominum

(b) Iſidor. Hiſpal. Origin. lib. I, cap 31 de Barbariſm.
(c) Dion. Halicarnaſſ. lib. I.
(d) Cic. in Bruto, cap. 5, 74. & epiſt. ad famil. lib. IX, ep. 15.
(e) Amm. Marcell. lib. XXVIII, c. 4.

minum fuit confluxus, eo plus ſordium ac vitiorum illatum in eam recte exiſtimatur. Quum igitur mala ex vrbe in Italiam, & inde in prouincias demum manauerint, non mirum mea ſententia videri debet, fuiſſe qui Romanam eloquentiam exteris plus debere cenſuerint, quam ipſis Romanis, quique ſtatuerint, *ſermonis nitorem diutius in prouinciis, quam in ipſa Vrbe, eſſe conſeruatum* (f). Quare etiam *Eumenium* nulli, qui reputauerit iſta, inſignis adulationis nomine ſuſpectum fore arbitror, quando *Conſtantii, Conſtantini* patris, auſpiciis optimas artes in Gallia celebratas eſſe, prædicauit, liberalium litterarum ſede *Auguſtoduni* reparata: & quando, nemini veterum principum tantæ curæ, vt doctrinæ atque eloquentiæ ſtudia florerent, fuiſſe negat, quantæ *Conſtantio* id fuerit, atque *Herculeo*; vtpote quorum incredibilem erga Galliarum iuuentutem extitiſſe adfirmat ſollicitudinem, quum litterarum honorem omni dignationis genere cumularint (g). Hoc eo tempore, quo Romæ doctrinas, tamquam venena, deteſtatas eſſe cognouimus, eueniſſe in Gallia, ſi quis meminerit, eum neque *Auſonium* falſita-

(f) Morhof. de Patauinit. Liuian. c. 12, 14, 15.

(g) Orat. *pro reſtaurandis ſcholis*, quæ inter XII iſtos Panegyricos eſt IV.

ſitatis arguet, ſpero, vbi *Moſellam* ſua etiamnum ætate his verbis alloqui non eſt veritus (h):

Salue magne parens frugumque virumque
Moſella:
Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Aemula te Latiæ decorat facundia linguæ.

& quando idem Auſonius patriam ſuam *Burdegalam*, tamquam inclitam adhuc litterarum ſedem, mirifice laudat, cuius cathedra, vt teſtatur (i):

Mille foro dedit hæc iuuenes: bis mille ſenatus
adiecit numero, purpureisque togis.

Vt de *Narbona, Toloſa*, & reliquis Muſarum ſedibus taceam. Nam *Valens* ac *Gratianus* Imperatores conſtituerant, vt in frequentisſimis per omnem Galliam ciuitatibus optimi quique erudiendæ iuuentuti præficerentur, liberalibus admodum e fiſco ſtipendiis adfecti. clarisſimæ in primis *Treuirorum* ciuitati fauiſſe videntur laudati Imperatores, quum profeſſoribus, quos alebat, vberiora, quam in reliquis ciuitatibus, ſtipendia deferenda curauiſſent (k). Sed quantuscunque habitus

(h) Moſella. Eidyll. X, v. 380, ſeqq.

(i) Commemorat. Profeſſor. Burdigal. in Tib. Victor. Mineru. Orat. I, v. 9.

(k) vid. Conring. de Antiquitatib. Academic. Diſſertat. p. 17.

tus tum fuerit in Gallia litterarum ſtudiis honor, eum æque ac in aliis Romanorum prouinciis non minutum, ſed ſublatum paullo poſt eſſe, nemo eſt, qui in dubium vocauerit. Fatalia iſta ad bonarum artium interitum tempora ſequenti capite ſtrictim attingere decreui.

CAP. II.

Oſtendit, nulla, vt reliquæ doctrinæ, ſic Latinæ etiam linguæ neque cognitionis neque vſus cuiusdam, per quatuor ſequentia ſæcula in Germania, præſertim qua ad ſeptemtriones ſpectat, exſtitiſſe veſtigia: & illos, qui ex Gallia, vbi Lingua Ruſtica *viguiſſe, monſtratur, in auſtralem Germanicam Chriſtianam religionem propagatum aduenerint, de lingua Latina bonisque litteris excolendis parum cogitaſſe: monachorum enim iſtius ætatis mores fuiſſe longe corruptisſimos.*

EQuidem hoc tempus, quo in Germania nihil, niſi inſcitia, nihil niſi ſumma in moribus diſciplinaque barbaria offendebatur, ita præterire potuiſſe mihi videor, vt argumentum nihilominus recte perſequi licuiſſet,

iſſet, & vt rei, quam declarandam ſuſcepi, nihil decesſiſſet forſitan. Superiori tempore litterarum ſecreta & viros pariter & feminas ignorauiſſe in Germania, & nullum ferme vitæ morumque cultum exſtitiſſe ibi, fateri neceſſe fuit. ſed tamen qualemcunque Latinæ linguæ vſum fuiſſe tum in Germania, per bella ac commercia illatum continuatumque, intelleximus. Rheni & Danubii accolas reliquis Germaniæ populis humaniores cultioresque paullo per conſuetudinem, quæ cum Romanis & prouincialibus ipſis intercesſit, redditos eſſe; eosdemque domicilia Romano ritu curatius exſtruxiſſe paullatim, aduerſarii teſtati fuerant. Iam vero, quum eos, qui linguam atque cultum ipſos nonnihil adhuc docuerant, & qui docere porro debuiſſent, ſi diſcendi fuiſſent cupidi, ſubegerant Germani, omnemque eorum cultum ac ſplendorem ſuſtulerant: a quo quæſo Latinam linguam percipere licuiſſet deinceps? quum victores imperiti, atque omnium ferme litterarum rudes fuerant ignarique. Quare ſi quatuor iſta ſæcula prætermitterem, neminem, cur id fecerim, miraturum crederem. At vero ne rerum ab ipſis primordiis breui hactenus enarratarum ordo turbetur, quam luctuoſus in Germania ſtatus tum fuerit, quam breuisſimis potero, demonſtrare con-

constitui. Quo enim maior omnium rerum exstitit inscitia, eo paucioribus rem absoluere me posse, mihi persuadeo: quum paucissima, immo nihil potius, quod ad doctrinam & liberales artes pertinet, dicendum occurrat.

Galliam nimirum diu a Francis infestatam subactam tandem ab iis esse, quis ignorat? Actum tum ibi erat cum vrbano isto ac eleganti Latino sermone, quem ad inuidiam vsque excoluerant antea incolæ: dum non hos modo, sed omnem etiam studiorum cultum sub iugum mittere contenderunt initio Franci. Qui licet omnes Romanos in Gallia eo tempore habitantes ita exterminarint, vt sub *Hulderico* iam ac *Clodoueo*, Regibus, nullæ ibi inuenirentur amplius istorum reliquiæ: Romanus tamen iste Prouincialis sermo deletus ab iis non est. Ad quem retinendum necessitate quadam adacti videntur: quum tantum absit, vt armis belloque vnice adsuetæ gentis lingua in proprias relata iam tum fuerit litteras (l), ut fieri hoc omnino posse,

(l) Ioach. Vadianus de Monaster. Germ. lib. III inter Goldasti Alaman. rer. scriptor. T. III, pag. 33. Francos, si quid patrio sermone consignarunt, sub *Marcomiro* & *Pharamundo* Gallias subigentes, *Græcis*, earumue similibus, & sub istorum successoribus *Latinis* vsos esse litteris, a multis non ita obscure est demonstratum. vid. P.

posse, per plurima subsequentia saecula diffisi pene sint Germani, vt infra patebit. Nam *Teutonica lingua tam dura tamque barbara tum videbatur, vt ne ore quidem sine magnis sibilis, hiatibus rictibusque exprimi posset* (m). Quamobrem mirum adeo non est, si Franci prouincialem in Gallia repertum sermonem, vernaculo, qui litterarum characteribus excipi commode non poterat, in quotidiano vsu anteposuerunt; ingenua quasi verecundia talem linguae suae barbariem confessi, *quae ciuilitati & humanitati Prouinciali merito submitteretur* (n). Sed tamen Latinum sermonem magis corruptum esse a Francis Galliam occupantibus, ac ita deprauatum, vt minus sui similis deinceps esset, omni caret dubitatione: adeo, vt non in mores solum, sed in linguam etiam incolarum barbariem induxerint. Enimuero *Italorum*, *Hispanorum*

Hachenberg. German. Med. dissert. VI, p. m. 192. & dissert. VII, p. 240, 244. illust. Lynckeri dissert. de Idiomate Imperiali, p. 3 seq. & p. 8, in not. seq. Morhof. P. II, cap. 7. de Germanor. Lingua & Poesi p. 282 seq.

(m) I. Vadianus in epistola ad Henr. Bulingerum de obscuris Alamannicorum verborum significationibus, initio: inter Goldasti Rerum Alamannicar. scriptor. T. II, p. 59.

(n) Idem Vadianus T. III Alamannic. Rer. scriptorum a Goldasto edit. p. 33.

rum, *Gallorum*que linguam, qua vti cœperunt poſtquam Romanis obſequi deſierunt, totam ſuam ſermonis ſtructuram a Germanis populis iugum ipſis imponentibus, accepiſſe nouimus (o): quum hi voces Latinas vtcunque retinuerant, Romanum cultum ſonumque quaſi imitaturi. id quod *Francis* inprimis curæ fuiſſe videtur, quando in Galliam profecti Germanica vocabula Latina norma ac regula creberrime inflexerunt (p): in quibus explicandis *Gloſſariorum* deinceps ſcriptores ingenii ſui vires exercuerunt.

Ruſtica itaque iſta *Romana* lingua, vti appellabatur, perſtitit in Gallia, a polito illo Latino ſermone admodum diuerſa, nec prouinciali Romanorum ſermoni, quo Galli prius vſi erant, quam a Francis ſunt deuicti, plane ſimilis: quippe quæ *Latina quidem nomine, at nec phraſi, nec Grammatica erat emendata* (q), ſiue, vt alii eam definiuerunt (r), *aliquid Latinitatis redolebat: Latina tamen non erat; quum hæc barbara vocabula non agnoſcat, & longe aliis grammaticæ legibus regatur.* Hieron. Bignonius, vir celeberri-

(o) Morhof. de Patauinit. Liuian. cap. VI. & Valeſiana p. 194 ſeq.

(p) du Freſne Gloſſar. præf. § 14, init.

(q) Bœcler. Commentar. de Reb. Sæcul. IX & X, p. 46.

(r) du Freſne c. l. § 13.

berrimus, sermonem rusticum graphice a *Gregorio Turonensi* exprimi censuit (s), vbi scripserit: *Qui nullum argumentum in litteris habes, qui nomina discernere nescis, saepius pro masculinis feminina, pro femininis neutra, & pro neutris masculina commutas, qui ipsas quoque praepositiones, quas nobilium dictatorum obseruare sanxit auctoritas, loco debito plerumque non locas. Nam pro ablatiuis accusatiua, & rursum pro accusatiuis ablatiua ponis. Romana* cur appellata sit, obscurum non est: quod scilicet Romanorum, seu Galliae incolarum, qui Romanis paruerant, lingua fuerat a Francis magis magisque corrupta: *Rustica* insuper nuncupata, propterea quod minus vrbanis ac venustis vocabulis erat adspersa, & quod plebs ac homines rure viuentes ea locuti sunt. Quae quum impolita ac rudis maxime fuerat, *triuialium barbarismorum rubiginem* nonnulli, alii aliis appellauere nominibus. cuius specimina aliquot adfert Carolus du Fresne (f). quorum vnum apponendum decreui, quo ea, quae hactenus strictim commemoraui, firmentur illustrenturque: *Epitaphium hunc quintuis* (quod intuis, pro intueris) *lector bone recordationis agati negutiatoris membra quiescunt, nam*

(s) Praefat. Marculfi Formulis praem.

(f) in praef. Glossar. §. 28 fin.

nam fuit iſte ſtacio miſeris & portus eginis omnebs arts fuit precipue loca ſanctorum adſedue & eicemoſinam & orationem ſtuduit. vixit in pace annis LXXXV.

Qualis fuerit ruſtica Romana lingua, ex hoc epitaphio quodammodo apparere exiſtimo (ſſ); quæ quum deuictæ gentis lingua fuerit prius, non mirum, ſi Francorum Reges ac Proceres, veluti victores, *Teutonica* ſua, tamquam honeſtiore ac nobilium, lingua in occupata ab ſe Gallia per longum ſatis temporis ſpatium vti perſeuerarint. Quorum ſecretarii ex monaſteriis, (horum enim exiguis ſatis finibus omnis eruditio, qualiscunque tum erat, definiebatur) in aulas euocati, clericorum, ſiue *Capellanorum*, vti vocabant eos, munere ſimul perfungebantur. Hi vero ipſi *ſemilatino*, vt nonnulli loquuntur (t), ſermone, nec ita puriori multo ac ornatiori dicendi genere vtebantur in diplomatis, ſiue tabulis litterisque publicis, & legibus conſcribendis, quam ipſam plebem vſam eſſe co-

(ſſ) Notabile *Ruſticæ Romanæ* linguæ exemplum præbet etiam *iuramentum Ludouici* R. Germaniæ, in fœdere Ludouici & Caroli, fratrum, factum, a plurimis ex *Nithardo* adductum illuſtratumque. quod Lipſius etiam luculentisſimæ ſuæ de vetere Germanica lingua epiſtolæ inſeruit, Cent. III ad Belg. ep. 44.

(t) Vadianus l. c. T. III ſcriptor. Rer. Alaman. p. 33.

gnouimus : quandoquidem Latinas litteras parum gnauiter excoluerant, non ipsos fontes, sed turbidisſimos riuulos secuti. Quamlibet fuere, qui *vulgo & plebi, Latinas litteras vtcunque noſcenti, tributum quicquam, nec niſi conſulto ineptitum ab iis eſſe*, exiſtimarunt, *vt tot modis barbari & aſperi videri voluerint* (tt): non ſecus, ac *Auguſtinus, Arnobius*, reliqui; quos ad vulgarem dictionem quam maxime ſtilum ſuum accommodaſſe, nouimus (u). At vero longe plurimos, ſi non omnes, non temporum modo, ſed ſuo etiam vitio rudes ac indoctos, limatiora monimenta dare non potuiſſe, licet voluiſſent, dubitandum non puto. Bignonius certe firmisſime pronunciavit, *quam rarisſimos tum fuiſſe, qui de negotiis, quamquam ſuis, ſcripta conficere, & quæ voluerint, facile litteris mandare potuerint* (v). Monimenta eiusmodi qui videre geſtiet, euoluat *Marculfi formulas* (x): deprehendet ibi, me vere ſcripſiſſe, vbi adfirmaui, non ita multo puriori ac ornatio-

(tt) Vadianus ibid.

(u) vid. elegantisſimam Eraſmi epiſtolam. lib. XXVIII, ep. 9, ſupra citatam.

(v) in præfat. Marculfi formulis præf. conf. cit. ill. Lynckeri diſſertat. de Idiom. Imperial. p. 4 ſeq.

(x) quas Hieron. Bignonius cum commentariis edidit, Capitularibus Regum Francorum, quæ St. Baluzius collegit, adiectas, Tom. II. p. 862. ſeqq.

natiori conſcripta eſſe dicendi genere, quam ipſam plebem vulgo vſam eſſe demonſtraui. Laudatus modo Bignonius non defuturos arbitratus eſt, qui *ſermonis duritiam & ineptam plane ruſticitatem in formulis iſtis exhorreſcerent.* Verum lectores reputare iuſſit, infeliciſſimo ſæculo vixiſſe Marculfum, quo omnes diſciplinæ ac litteræ penitus obrutæ & ſepultæ fuerint, adeo quidem, vt qui melioris doctrinæ quid attigiſſent, veluti nouæ alicuius & prauæ opinionis auctores aut magi & malefici damnati ſint: quod Marculfi ſæculum infelicius iudicauit Bignonius, idque ſummo iure, quam illud, in quod *Gregorii Turonenſis* ætas incidit: qui tamen Hiſtorici operis ſui initio ita ſit deprecatus: *Prius veniam legentibus precor, ſi aut in litteris aut in ſyllabis grammaticam artem exceſſero, de qua adplene non ſum imbutus.* *Teutonicæ* de reliquo linguæ vſum a Francorum *Merouingicæ* atque *Carolingicæ* familiæ Principibus non dimiſſum eſſe in Gallia, multis, ſi neceſſe eſſet, comprobari poſſet, exemplis: ſed ab aliis liquide ſatis id probatum eſt (y): qui

 etiam

(y) vid. B. Rhenani Rer. German. lib. II, p. m. 362 & Lehmanni Chron. Spir. lib. II, c. 45. P. Hachenberg. Germ. Med. diſſertat. VII, p. 242 ſeq. vbi præclara iſta Lipſii epiſtola, paullo ante a me laudata, citatur, quæ ſane multum lucis argumento adfert. Io. Schilteri Comment. in Epinicion Lu-

etiam ostenderunt, *primæ ac secundæ Germaniæ incolas*, quos Romanorum linguam vna cum legibus olim admisisse, supra declaraui, *Teutonicam iterum*, Francis in Gallia dominantibus, *ad vsum reduxisse*, Latina præter pauca vocabula penitus exstirpata.

In *Vindelicia* atque *Norico*, Romanis per aliquot sæcula prouinciis, omnis itidem Romani, & vrbani venustique, & prouincialis, sermonis vsus cessauit, postquam Boiorum regulus *Theodo*, Francorum sollicitationibus commotus, ineunte sæculo post Christum natum V eas occupauit: partemque earum inter socios suos *Hunnos*, *Auaros*, *Angilos*, *Venedos*que distribuit: veteribus incolis contritis penitus atque eiectis (z). Etiamsi vero Boii non ita multo post a sancto *Ruperto*, & iis, qui ex Gallia in Germaniam proficiscentem comitati sunt, ad Christianam religionem instituti perhibentur, & plurima insequenti tempore monasteria apud eos sunt exstructa: monachos tamen ac sacerdotes de bonis litteris & Latina lingua excolenda mul-

douico Regi acclamatum p. 26, & Lynckeri dissert. de Idiomate Imper. p. 5.

(z) Io. Auentin. Annal. Boior. lib. III, p. m. 195. conf. elegantiss. orationem Dau. Chytræi in Scholæ Prouincialium Ducatus Stiriæ introd. hab. B. 2. b.

multum cogitasse, quis credet? quum plerosque eorum *auaros*, *impudicos*, *superbos*, *sordidique quaestus homines*, *libidinis ac popularis gloriae mancipia*, *& fabularum praecones fuisse tunc*, cogitarit, *sub specie & obtentu religionis in gregem Dei grassatos*: qui optimo *Bonifacio* multum negotii corruptisſimis suis moribus facessiuerunt, siquidem *venationibus dediti*, *& aucupiis*, *canes auesque alebant*, *arma deferebant*, *in militiam proficiscebantur*: *bella sectabantur*: *humano cruore*, *caede*, *homicidio sese polluebant*, *& nihilo secius tamen sacrificare*, *Euangelium legere nec erubescebant*, *nec metuebant* (a). Equidem memoratus modo *Bonifacius* vir eruditus fuisse dicitur, veluti *Bedae*, omnium temporibus istis in vniuersa ferme Europa doctisſimi viri, discipulus: omnis porro diuini humanique iuris consultisſimus, & *Germaniae Archimysta* a Pontificibus Romanis constitutus; cui diuersi Episcopatus, & complura monasteria, quorum in numero *Fuldense*, originem suam debet in Germania nostra: & qui omnes ignauos ac rudes homines ab aris arcendos censuit. litterarum tamen & Latinae linguae flori parum consultum ab eo esse, facile quis probauerit: quum monasteriis istis, ad *Be-*

D 4 *nedi-*

(a) talem monachorum istorum descriptionem nobis dedit idem Auentinus l. c. p. 213, & 218.

nedictinam normam erigendis, ideoque parum ad ſcholas in ipſis aperiendas aptis, non tam doctrinæ, quam religionis propagationem ſpectaſſe videatur Bonifacius, ſingularis ceteroquin ſanctimoniæ ac probitatis homo (b): qui bonum *Vergilium*, quum paullo vltra vulgi monachorum ſcientiam progreſſus eſſet, neſcio quorum atrocium in Deum criminum inſimulauit (c): inſcitia enim ſanctitatis quaſi præ ſe ferebat tum ſpeciem. Quam gnari Bonifacii ætate, quæ in medium ſæculum VIII cecidit, fuerint monachi ſermonis Latini: ad cuius cognitionem aliquam acquirendam ſacrorum, ipſo iſto ſermone celebrandorum, neceſſitas eos adegerat, *Boioariæ ſacerdotem* exemplo ſuo teſtificari poſſe arbitror, qui infantem ſacro lauacro his initiauit verbis: *Baptizo te in nomine patria, & filia & Spiritus S.* (d). Sacris non initiatos profa-

(b) Herm. Conringius in Antiquitatib. Academ. diſſert, III, & ſupplem. 32. conf. B. Rhenanus Rer. Germ. lib. II, p. 304, ſeq.

(c) Auentin. Annal. Boior. lib. III, p. 220. vid. etiam paullo ante citata Chytræi Oratio, B. 3.

(d) Auentin. ibid. & Conring. Antiquit. Academ. ſupplem. 35. vbi hiſtoriam ex ipſa Zachariæ Papæ ad Bonifacium epiſtola, *Bonifacian. epiſtolarum* volumini inſerta protulit: quod *volumen non multo Latinius* iſta formula appellat Conringius. Si quis plura de *S. Bonifacio* cognoſcere voluerit, euoluat velim eius *hiſtoriam* a *Io. Letz-*

profanosue homines, *Laicos* vulgo appellatos, litterarum rudes plane atque analphabetos tum fuiſſe, vel vnicum *Tasſilonis* eiusdem Boioariæ Ducis exemplum probat: cuius inſcitia ex his verbis, quibus charta pro *Attone Abbate Saltzburgenſi* concluditur, intelligi poteſt: *Quod manu propria, vt potui, charaƈteres chirographi inchoando depinxi coram iudicibus atque optimatibus meis ✠ Signum manus meæ propriæ Tasſilonis &c.* (e).

Talis in Germania, qua ad orientem occidentemque ſolem, & meridiem vergit, iis temporibus Latini ſermonis fuit vſus, cultus enim dici non poteſt. Qui vſus licet leuis ſatis videri queat: leuiorem tamen multo, vel nullum potius, offenderit quis, ſi ad ſeptemtriones pergens talem inquiſiuerit. Siquidem dira maxime in *Saxonibus* longe lateque dominantibus ad Caroli M. tempora vsque fuit barbaries: ita, vt celeberrimus Conringius Lindenbrogium erroris facile arguere potuiſſe videatur, vbi *antiquarum Saxonum legum & membranas, & manus,*

D 5 *vetu-*

nero Germanice conſcriptam, & Frfordiæ 1603, 4, editam: cuius poſteriorem partem epiſtolæ, quas Bonifacius ad Papas aliosque, & hi ad ipſum reſcripſerunt, conficiunt; quæ ſane ſæculi iſtius genium haud obſcure adumbrant, leƈtu propterea dignisſimæ.

(e) Mabillon. de Re diplom. lib. II, c. XXII § 2.

vetuſtatem Caroli ipſius ætatem antecedere, exiſtimauit (f).

CAP. III.

Lux exeunte VIII, & ineunte IX ſæculo Germaniæ in litterarum Latinique ſermonis ſtudio auguſtisſimis Caroli M. *auſpiciis oborta, paullo poſt ita denuo obſcurata eſt, vt per V amplius inſequentia ſæcula ſumma vbiq; exſtiterit ibi Latinitatis puræ caſtæque ignorantia: cuius haud obſcura adferuntur ſpecimina. in denſisſimis tamen tenebris ingenia quædam puro atque eleganti dicendi genere conſpicua, tamquam lucidisſima effulſere ſidera. Ipſe* Fridericus II *Imperator de litteris eue-*

(f) Conring. de Origine Iuris Germ. cap. XIII. Niſi quis Saxonum leges a Carolo M. immutatas dumtaxat, auctasque eſſe, ſtatuerit fortaſſe, dudum antea latas. Fuerunt enim inter eruditos, qui *Græcos colonias in Saxoniam deduxiſſe, loquendique & ſcribendi vſum eo intuliſſe*, crediderunt; quum & Saxonum antiquæ leges cum Platonis inſtitutis conuenirent, & lingua eorum maximam cum Græcorum lingua haberet adfinitatem. Iudicium hac de re penes prudentiores eſto. vid. Hachenberg. German. Med. diſſert. III, p. 70, & VII, p. 241.

euehendis bene meritus est: cuius Cancellarius Petrus de Vineis *ingenio, doctrina, & eloquentia praestantissimus aetate sua habitus est. Breui simul disquiritur, quo tempore Germanica lingua in publicis litteris tabulisue conscribendis vsurpari coeperit; & quid industriae monachi in describendis libris collocarint. Pauca demum de carminum genere, siue rhythmis, quibus saecula ista mirifice delectata sunt, enarrantur, nonnullorum supra saeculi mores elegantium poetarum mentione iniecta.*

QVod ad inuictissimi CAROLI M. tempora attinet, inficiari nemo poterit, diuinis ipsius auspiciis, & *Alcuini*, eruditissimi, vt tum erant tempora, *Britanni*, quo praeceptore in disciplinis vsus est Carolus, salutaribus consiliis, & in religione & in litteris obortam esse Germaniae lucem: quandoquidem non tantum de patrio, siue Germanico sermone (ff), bene mereri.

(ff) Quum enim sermo in litteras nondum esset relatus, multum operae in tam vtili atque necessaria re collocauit Imperator. Exstiterunt quidem doctorum numero, qui adduci non potue-

reri ſtuduit, verum etiam de Latino adiuuando ſedulo cogitauit optimus Imperator.

quip-

runt, vt crederent, Carolum proprios Germanicæ linguæ characteres primum inueniſſe: inter quos Morhofius P. II, c. 6, de Germanor. lingua & poeſi, p. 274, & c. 7, pag. 282. Plerique tamen fateri neceſſe habuerunt, Carolo ſingulari curæ fuiſſe, *vt ſermo Germanicus non ſolum in litteras paullo fuſius referretur, ſed & populus vniuerſus ad legendi ſcribendique facultatem deduceretur: & natiuas litteras ſero plane apud Germanos cœpiſſe;* quum ipſa linguæ ruditas, quæ ſummam ſpirauerit tum barbariem, non alta aut felicia admodum ſcribendi arguat initia. vid. Hachenberg. German. Med. diſſert. VI, p. 192, & VII, p. 240. Alii Theotiſcam linguam integre recteque ante Carolina tempora ſcribi potuiſſe, negare non dubitarunt: & quemquam eorumdem ſententia fateri oportet, illud ſaltem Caroli M. ſtudio effectum eſſe, *ut ſcripturarum initia, quantum fieri poſſet, complerentur.* vid. ill Lynckeri diſſert. de Idiom. Imperial. p. 6. 7. Equidem neſcio profecto, vtrum temere abſurdeque quis acturus eſſet, ſi ſtatueret, ante Caroli M. ætatem Germanos, ſi omnino patrio ſermone quid conſignarunt, Græcis vel his ſimilibus, & Langobardicis Latiniſue litteris, vti ſupra doctorum teſtimoniis confirmatum eſt, vſos eſſe: Quid quod Auentinus lib. I. Annal. Boior. init. *Germaniam poſt Friderici II fata ſuum ſermonem Latinis litteris depingere didiciſſe*, ſtatuit. quæ verba quo minus in vniuerſum intelligi debere, mihi perſuadeam, *veterum Germanorum carmina* a Carolo M. collecta, aliaque medii æui monimenta, inter quæ *Otfridi Euangeliorum verſio*, prohibent. quæ omnino faciunt, vt, Auentinum verba iſta de moni-

quippe quem, quum monachos *animi sui sensa per negligentiam discendi lingua erudita*

mentis, litteris, epistolis (iisque Imperatorum forsitan nomine scriptis) legibus, tabulis, diplomatibus, intellecta voluisse, existimem: quæ omnia *lingua Romana* scripta prius adseuerarat, quam Germaniam sermonem suum post Friderici demum II fata litteris Latinis depingere cœpisse, confirmauit. Quomodocunque se res habet, omni saltem dubio carere, puto, Carolum M. de commodioribus atque peculiaribus characteribus inueniendis, & de difficultatibus, quæ Germanice scripturis sese offerebant, tollendis sollicitum fuisse. Huc sane Eginharti verba pertinere videntur: *Tentabat* (Carolus) *& scribere, tabulasque & codicillos ad hoc in lectulo sub ceruicalibus circumferre solebat, & quum vacuum tempus esset, manum effingendis litteris adsuefaceret. sed parum prospere successit labor praeposterus ac sero incboatus.* Verba hæc de *Germanica* vtique *lingua* intelligenda puto; quamquam varias variorum huius loci interpretationes a cl. Schminckio, qui Eginhartum superiore anno cum diuersorum animaduersionibus in Batauis emisit, adferri scio: inter quas istam de Germanica lingua sententiam legere me non memini: quæ tamen plane non incongruens mihi videtur. vid. Lehman. Chron. Spir. lib. II, c 33, p. m. 105, & c. 45, pag. 169. vbi Trithemium *patrii sermonis Grammatica*, quam Carolum M. inchoasse, Eginhartus cap. 29 scribit, partem, ac miros linguæ Germanicæ characteres vidisse, ostendit Lehmannus conf. Mart. Crusii Annal. Sueu. dod. II, pag. 13, & Hachenberg. Germ. Med. dissert. VII, p. 245. De difficultate Germanorum linguam scribendi *Otfridus* etiam, Monachus Weissenburgensis, quam ma-

ta exprimere sine reprehensione non valere, cognouisset (g), leges tulisse constat, quibus episcopis serio imperauerit, vt per singula monasteria scholas instituerent in Germania, in quibus *psalmi* traderentur, *notae*, *cantus*, *computus*, *atque grammatica.* Sed tamen neminem etiam negaturum puto, id quod Ol. Borrichius adfirmauit (h): *Conatus horum tem-*

xime aetate sua est conquestus, qui istis Caroli Imperatoris rudimentis vsus est. vid. Boecleri Commentar. de Reb. Saec. IX & X p. 123 & ill. Lynckerum c. l. qui ad plures lectorem ablegat, & diuersos. saeculi IX viros nominat de lingua Teutonica excolenda meritos. it. Mich. Hertzii Biblioth. German. P. I, sect. 5.

(g) sunt ipsa Caroli M. verba ex epistola ad omnes episcopos missa, quam integram ex T. II Concilior. Gall. desumptam dedit Conringius in supplem. 35, Antiquit. Academ. pag. 303 seqq. conf. eruditam & supra iam citatam Dau. Chytraei orationem a. 1574 in Scholae Prouincialium Ducatus Stiriae introductione hab. B. 4. & luculentam cel. Henr. Leonh. Schurzfleischii praefationem, quam Notitiae Bibliothecae Vinariens. praemisit, p. 6. seq. in primis vero etiam conferas velim Conr. Sam. Schurzfleisch. Disput. XXIX de Alberti III vita, pag. 155. in notis, vbi plures citantur auctores.

(h) Cogitat. de Variis linguae Latinae aetatibus pag. 22. vid. Gerh. Io. Vossii praefat. de Vitiis Sermonis lib. praef. vbi scribit: *Carolus M. variis in locis scholas erigendo, praeclare est meritus de studiis vniuersis; melius tamen de rerum doctrina, quam lingua Romana.*

temporum infra operis molem fuisse, & cognitioni rerum aliquid, linguæ Latinæ cultui parum esse attributum. Hoc si quis reputarit, eum haud derisurum puto illos, tamquam ineptos homines, qui in dubium vocarint, an EGINHARTVS, Caroli M. Cancellarius, & deinceps Abbas cœnobii Selgenstadiensis, illius, quem de eiusdem Caroli, Imperatoris, vita habemus, libri verus sit auctor, propterea quod is tanto dictionis conscriptus sit nitore, vt auctor aliquot etiam sæculis ante vixisse videri queat (i). Quum vero posthac dilucide satis ab aliis demonstratum sit, Eginhartum elegantissime pro sæculo suo locutum, haud infelicem *C. Suetonii Tranquilli* imitatorem sese exhibuisse (k): licet *Hermannum Comitem Nuenarium* multa in opere isto, quo floridius passim loquentem induceret auctorem, mutauisse, negare non queant: eo magis in exprimenda veterum dictione industriam eius mirandam censeo, quum primus sine dubio fuerit, qui inter Germanos tale quid tentarit; inter illos saltem, quorum monimenta ad nos peruenerunt. Cuius exemplum & acre in legendis imitandisque bonis auctoribus studium si po-

(i) Gerh. Io. Vossius de Historicis Lat. lib. II, c. 33.

(k) Conring. præf. C. Tacit. de M. G. p. 25. vid. Nic. Hier. Gundling. Otior. P. II. c. 5.

populares poſtero tempore ſecuti eſſent, non haberent forſitan doctisſimi viri, quod quererentur (l), *in Chronicis rerumque Germanicarum annalibus condendis operam inſumſiſſe tum homines ſine prudentia, ſine facundia, qui euentus ſolos in oculis habuerint, cauſſas & rationem parum commentati:* quamuis non ignoro, Eginhartum noſtrum *præconem potius, quam hiſtoricum* quibusdam videri.

Verum quantuscunque huius in Suetonio, aliisque bonis ſcriptoribus imitandis exſtiterit ardor, & quantuscunque ipſius Caroli M. in linguam Latinam prædicetur fauor: qua *æque ac patria lingua orare ipſum ſolitum eſſe*, tradit Eginhartus (m): ſucceſſores eius acceptam in prouehendis litteris gloriam haud obtinuerunt; nec de Latini ſermonis cultu, cui egregie ſatis præluſerat Carolus, promouendo ita, vti par erat, cogitarunt. Nam ad Caroli M. filium & ſucceſſorem LVDOVICVM PIVM quod attinet: ipſum quidem *Latinam linguam, ſicut naturalem, æqualiter loqui potuiſſe*, ſcribunt (n): ſed tamen nimis forſitan ſuperſtitioſa in ſacris muneribus adminiſtrandis ſollicitudo eum impediuit, quo mi-

(l) Bœcler. in præf. de Reb. Sæc. IX & X. Commentar.

(m) cap. XXV.

(n) vid. Conring. Antiquit. Academ. ſupplem. 41 vbi Thegani adducit teſtimonia.

minus Parenti vestigia persecutus curarit, vt litterarum studia propagarentur. In quibus subleuandis licet CAROLVM CALVVM maiorem deinceps curam in Gallia posuisse adfirment: incredibilis tamen ac turpis plane monachorum inertia effecit, vt paullo post in eadem Gallia pariter, ac in Germania, ipsaque Italia nulla ferme apparuerint amplius eruditionis & Latinitatis puræ vestigia, & *rusticus ille sermo locum denuo obtinuerit, vltro vbique sic instauratus, vt, insequentibus sæculis per omnes fere libros, veluti lolium tritico eum adnatum esse*, vere dicere potuerit Bœclerus (o). Quamquam præter plura alia sæculi mala, quæ Germaniam nostram adflixerint tum, *Hunnorum* in primis, aliorumque barbarorum irruptiones barbariem magnopere ibi adauxisse credantur: Monachos tamen inertiæ atque desidiæ merito condemnari, arbitror. Nam quum in monasteriorum canonicorumque collegiorum scholis, præter quas nullæ tunc instituebantur, ingenia studiis & exercitationibus acui debuissent, monachi delitiis, otio, languore ac desidia animos suos inficientes, omne tempus corporibus bene curandis dabant; non minus, quam superiori tempore in Boioaria ab iis factum esse, paullo ante cognouimus. Si

E omni-

(o) de Reb. Sæc. IX & X Commentar. p. 47.

omnino inter eos erant ſubinde, qui iners iſtud ac luxurioſum otium deteſtati in litteras excolendas incumbebant, reliqui apertisſimo eos proſequebantur odio, tamquam inutiles nec frugi homines: perinde ac ſi optimarum rerum cognitio improbitatis flagitiique nomine eſſet notanda. Accidit illud præſtantisſimo clarisſimique nominis viro, *Rabano Mauro*, qui quum omnes ferme & ſua ætate & aliquot ſæculis ante ac poſt viuentes monachos eruditione ac virtute longisſime antecelleret, ita, vt merito ſuo monaſterio Fuldenſi, cui, ipſo iſto IX ſæculo, Abbas præerat, ſingulari ornamento eſſe potuiſſet: perditisſimi homines ex contubernio ſuo eum eiecerunt.

Quæ tempora ſi reſpicimus, non temere quis idem de Germania noſtra adfirmare poſſet, quod Guil. Malmesburienſis de *Britannia* Danorum incurſionibus miſerrime vaſtata conqueſtus eſt (p): *Litterarum & religionis ſtudia obſoleuerant: clerici litteraturæ tumultuaria contenti vix ſacramentorum verba balbutiebant: ſtupori & miraculo erat ceteris, qui grammaticam noſſet.* Eo enim, quis putaret, res in Gallia, Italia atque Germania deducta erat, vt *ſæculo* iam tum *IX* pres-

(p) ap. Conring. in Antiquit. Academ. ſupplem. 32 p. 289.

presbyteri constituendos episcopos interrogare necesse haberent, *vtrum Euangelia legere possent* (q). Id quod an multi eorum præstare potuissent, nisi ad sacra Latino sermone peragenda necessitas istos adstrinxisset, est omnino, quod dubito. siquidem scripturæ S. interpretationes, conciliorum decreta, omniumque rituum instituta ac rationes, Latina lingua, vt inter omnes constat, erant conscripta. Exstitisse nihilominus postero tempore *Abbates* atque *Episcopos*, *sermonis Latini ignaros plane*, multis testimoniis confirmari posset (r). Cel. Mabillonius ostendit etiam (s), homines sacris ecclesiæ ordinibus addictos in tam supinam ignorantiam sæculis istis venisse, *vt nomen suum pingere non valuerint*. Quæ quum ita sint, quemlibet fidem mihi habiturum spero, si adfirmauero, barbaram maxime dictionem quantiuis habitam tum esse pretii: & fuerunt ideo IX sæculo, quibus Germani Latinæ linguæ excolendæ nimium dediti patrium sermonem neglexisse visi sunt. Insimulauit ipsos eo nomine supra nominatus *Otfridus*, Rabani Mauri discipulus: qui ipse parum eleganti

 dicen-

(q) ibid. suppl. 42.

(r) vid. Scriptor. Brunsuicens. illustrant. ab excell. Leibnitio coll. T. II, pag. 412, m. & T. III, p. 372 f.

(s) de Re diplom. lib. II, c. 22, § 3.

dicendi genere vſus, querelam de ſcriptionis difficultate his non ornatis adeo verbis inſtituit: *Huius linguæ* (Germanicæ) *barbaries, vt eſt inculta & indiſciplinabilis, atque inſueta capi regulari freno grammaticæ artis, ſic etiam in multis dictis ſcriptu & propter litterarum aut congeriem aut incongruam ſonoritatem difficilis* (ſ). Niſi forſitan Otfridus de inficetis præſertim concionatoribus, ſiue *indoctis verbi diuini præconibus*, querimonias iſtas inſtituit: quos videlicet Latina verba ita torſiſſe ſcribunt, vt nihil minus, quam Germaniam ſaperent: & quos idcirco homines barbaros, inconcinnos, ineptos, atque inſulſos, Latinæ & Germanicæ linguæ deprauatores vocarunt (ſſ).

Sequenti ſæculo X magis de elocutione ſollicitos fuiſſe clericos, penes quos ſolos erat eruditionis gloria, quam iuſta ac merita, hactenus quodammodo cognouimus, neminem ne coniecturum quidem arbitror: quandoquidem, ipſo Bellarmino vltro profitente, infelix ſæculum fuit, in quo nulli ſcriptores illuſtres, nulla concilia: pontifices parum ſolliciti de eccleſia. Principem Latinis litteris

(ſ) ap. Bœcler. in Comment. Sæc. IX & X p. 123.

(ſſ) Ioach. Vadianus, inter Rer. Alamannic. ſcriptores a Goldaſto coll. T. III, p. 33 ſeq. & Barth. Schobinger ad Vadiani verba p. 104, 105.

ris doctum, optimisque ſtudiis deditum, non mirabilem modo, ſed prodigio fere ſimilem rem fuiſſe, de Duce *Erneſto*, Ottonis M. priuigno, hiſtoria confirmat. quem purpurati, propterea quod linguarum ſcientiam ex Italia ſecum in Germaniam attulerat, animumque liberali doctrina præter temporum iſtorum conſuetudinem excoluerat, acerrimo odio proſecuti, omnem mouerunt lapidem, vt litteratisſimum principem in ſuſpicionem vitrici adducerent, tamquam longe ſceleſtiſſimum hominem, inſidiis ipſum interficere ſtudere (t). Quantopere epiſcopi monachique eloquentiæ ſtuduerint, *Ioannis XII Papæ* epiſtola, &, quibus præſules Romæ congregati ad hanc reſponderunt, litteræ, teſtari etiam poſſunt. Pontificis epiſtola hæc erat: *Nos audiuimus dicere, quod vos vultis alium Papam facere: ſi hæc facitis, excommunico vos de Deo omnipotenti, vt non habeatis licentiam vllum ordinare, & miſſam celebrare.* In epiſcoporum litteris hæc inter alia leguntur verba : *A vobis, non quales temporis qualitas, ſed inconſultorum vanitas expoſcit hominum, litteras accepimus. Non veniendi ad ſynodum rationabilis eſſe excuſatio debuit. Sed & præſentes magnitudinis veſtræ debuerunt nuncii intereſſe, qui aut ægri-*

E 3 *tudi-*

(t) Lehmann. Chron. Spir. lib. V, c. 8.

tudinis, aut certe difficultatis caussa satisfacerent, sanctam vos synodum declinasse. Est & aliud vestris in litteris scriptum, quod non episcopum, sed puerilem ineptiam scribere deceret. - - - Nunc vsque putauimus, immo credimus, duo negatiua vnum facere dedicatiuum (tt).

Quum quatuor amplius continua sæcula densissima etiamnum caligine obruta subsequantur, pluribus verbis argumentum per ista prosequi, atque exemplis & testimoniis illustrare, operæ pretium non duco. Quis enim est, quem fugiat, litterarum studia non in Germania solum, sed in cuncta fere Europa, cum sordibus ac squalore tunc conflictata, & Latini sermonis decus in tenebris vbique gentium iacuisse immersum. adeo, vt Gerh. Io. Vossius scribere veritus non sit (u). *Caroli M. genere exstincto, quod decimo a Christo sæculo fuit, prope omnis eruditio ab orbe est profligata. Totisque annis quadringentis delituit crudeli multata exilio. Itaque duos, vel neminem, dixeris, qui quod Romanam quodammodo saperet dictionem, vel auderet, vel posset.* Breuitati eam ob rem studens, paucis, at disertis tamen, eruditi cuiusdam

(tt) Luithprand. Histor. lib. VI, c. 10. in Reuberi collect. p. 157. seq.

(u) in præfat. de Vitiis sermonis lib.

dam viri (v) verbis generatim ac vniuerſe rem exprimam: quibus ſcilicet de rerum per complura ſæcula in Germania geſtarum *ſcriptoribus*, ab *Vrſtiſio*, *Piſtorio*, *Reubero*, (quibus *Freherum* adde, *Caniſium*, *Schardium*, *Pithæum*, *Goldaſtum*, *Meibomium*, *Leibnitium*, *Maderum*, *Matthæum*, alios) editis adfirmat: *ſua mole eos laborare*, *ſtilo vt plurimum rudes*, *rerum frequenter inanes*, *ex ſomniis & nugis cuculatorum confertos*. In quales ferreos, ſeu lutulentos ſcriptores ſi quis primitus ſeſe abdiderit, crebro euenturum, Voſſius prædixit (x), vt propemodum non magis eos intelligat, quam ſi alium in orbem delatus foret. Quæ ſingula neutiquam ita intellecta volo, ac ſi ea propter ſcriptores iſtos, & ob verborum ſqualorem, flocci pendendos ego exiſtimem. qui a cl. Boeclero (y), aliisque, & re ipſa, meliora edoctus

E 4 ſum:

(v) Sim. Bornmeiſter. in præf. Hadriani Card. lib. de Elegantia Latini ſermonis præfix. edit. Norib. 1681, 12.

(x) c. l. (y) in præf. Comment. Sæc. IX & X. Præclara multa eadem de re monet Phil. Melanchthon. in præfatione, qua *Abbatis Vrſpergenſis* Chronicon adornauit: quæ cum reliquis eius præfationibus reperitur etiam T. II, Declam. p. 187. ſeqq. *Quum lego*, inquit, *Germanicorum ſcriptorum Chronica*, *ſeu hiſtorias*, *non raro deploro hanc infelicitatem noſtræ nationis*, *quod quum optimos Principes genuerit*, *quum res geſſerit pulcherrimas*, *& Stiles*

sum: *illorum* scilicet *voluntatem laudare, tempori ignoscere, monimenta colere, ad omnes pertinere:* licet auctores nec bonas litteras, nec prudentiam idoneam ad hæc concinnanda attulerint. Id quod excellentissimus Vossius ita elocutus est (z): *Non putandum, prorsum negligendos esse eiusce ætatis homines, qui siue tamquam æstu torrentis abrepti, siue desperatione quadam meliorum contenti fuere plebeio & idiotico sermone; scripsereque, non vt debuere, sed vt potuerunt.* Absque iis enim si esset, hiatus multiplex esset in *histo-ria,*

vniuerso Christiano nomini, litterarum lumine res nostrorum hominum carent. Quamquam enim non prorsus ingenia nostris scriptoribus defuerunt, tamen scientia Reip. defuit, & ratio dicendi. Scribebant enim historias monachi plerumque imperiti Reip. qui veteres historicos ne viderant quidem, sine exemplo, sine arte infantes. Quibusdam de Maximiliani I. Imperatoris consilio Germanicam historiam, quantum fieri posset, integram ex fragmentis componendi, interiectis, pergit: *Quamquam igitur iure in nostris scriptoribus desiderari multa possunt, tamen faciendum est scilicet, id quod res fert. Non sunt negligenda hæc, quamquam rudia monimenta maiorum nostrorum, quæ multas pulcherrimas virtutes nostrorum Regum & Ducum, si non satis illustrant, viuis, vt ita dicam, coloribus adumbrant tamen, & homines prudentes hæc ipsa adumbratio multa monere potest.*

(z) in præfat. de Vitiis sermonis lib.

ria, quæ quoquo modo ſcripta delectat, &, licet inſulſe ſcriptam, tamen, quoniam notitiam temporum habere deſideramus, & nos, quidquam, quod vsquam geſtum ſit, latere dolemus, ambabus vlnis amplectimur (a). Omnia hæc vltro concedo: de imperita minusque eleganti ſæculi iſtius dictione, a qua plenam ſubacti iudicii homines mutuantur prudentiam, mihi in præſenti ſermo eſt.

Quamlibet nec illud inficias eo, vixiſſe omnino tum in Germania vnum & alterum, qui in monimentis poſteritati traditis emendatius multo dicendi genus vſurparint, quam ab homine barbaro maxime ſæculo viuente iure quis exſpectare potuerit. Veriſſimum enim eſt, quod idem magnus Voſſius docuit (b): etſi ſæculi vitio vel ipſa facundia pene facta eſſet elinguis, Latine loqui nihilominus dari, non cum illis in Romana dictione infantibus, ſed cum iis temporibus, quibus viguit vis & gratia Latini ſermonis. cuius rei exempla capere licere cenſet ex iis, qui, licet viuerent non defloreſcente lingua Romana, ſed emortua, tamen grandius quid, puriusque ſonuerint ceteris ſuæ ætatis hominibus. Talibus LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS, XI ſæculi hiſtoricus, qui

(a) Rol. Mareſ. epiſt. philol. 2 lib. II p. m. 233.
(b) l. c.

in primis adnumeretur, dignus est. cuius *puram & ornatam orationem*, ac *miram* plane tam barbaro sæculo *eloquentiam* summi inter eruditos viri suspexerunt: prudentiæ non minus, quam eloquentiæ palmam, non suæ tantum ætatis omnibus, sed disertioris etiam æui pluribus scriptoribus præripuisse eum, censentes (c). Vt autem dictionis Lamberti nostri formam, qui hæc legis, cognoscere quodammodo queas, clausulam, quam operi suo addidit, adscribam. *Nos more inertis Poetæ extremo iam in opere languescentes, ingentisque materiæ mole superati, in longum satis, vt videtur, protracto volumini hic tandem finem imponimus, vt si cui forte post nos ad describendam reliquam partem huius historiæ manum mittere libuerit, ab electione Rudolphi Regis congruum scribendi exordium faciat* (d).

Verumenimuero si ipsum hunc *Hirsfeldensem* monachum & supra pluribus a me laudatum verbis *Eginhartum* excepero, per quin-

(c) vid. Vossius de Histor. Latin. lib. I, c. 47.

(d) Pistorium atque Schardium adiecisse Lambertum collectis ab se rerum Germanicarum scriptoribus, constat, postquam Phil. Melanchthon primus eum edi curauerat, & Io. Iac. Grynæus quadraginta annis post cum aliis nonnullis libris Basileensi typographo recudendum dederat: conf. Hertzii Biblioth. Germ. P. II, S. 1. n. 484.

quinque amplius sæcula, a Caroli M. scilicet tempore, vsque ad Caroli IV ætatem, vix in Germania exstiterit, cui ob purum ac copiosum sermonem laudis quicquam debeatur. Nam etsi mundum satis semen vberi solo creditum ibi fuerat, id succedentium agricolarum incuria paullatim spinis atque sentibus peracutis pungentibusque vndequaque inhorruit. & licet candidiores subinde per aliquot sæcula aduentarent, semen istud a vepribus liberaturi, quo cumulatius copiosiusque emergere posset; pigris istis & negligentissimis cultoribus hæc proborum colonorum diligentia erat quam molestissima: qui, vt desidiam suam, veluti aras & focos, tutarentur, cristas erigebant, omnia euertentes armamentaria, & nihil non exquirentes, ne parum acres vecordiæ suæ viderentur patroni (e). Tam paucos vero, quibus ob purum dicendi genus laus impertiri queat, tanto temporis spatio in Germania nostra inuentos esse, in gentis nostræ contemptionem adduci posse, negat Herm. Conringius (f): quum quemlibet fateri oporteat, non ingenii crimine tantum stribliginis situm contra-ctum

(e) rem plane admodum hac ratione expresſit Nic. Gerbelius ep. ad Io. Reuchlin. lib. II ep. illustr. viror. ad Reuchlin. C. 2, b.

(f) in præfat. C. Tacit. de M. G. p. m. 25,

ctum esse, sed temporis. Quo nempe *piaculum purgatoriis flammis expiandum fuit, elegantiori ac puro loquendi genere vti, maxime & eapropter, quod infeliciter plane, (uti somniarant) Hieronymus hanc tentarit aleam, qui, nescio a quo irato genio, in somnio egregie sit dedolatus, quod Ciceronem legerit* (ff). Quali figmento ad socordiam ac inscitiam suam infucandam vsos tum esse monachos, arbitror, continue insequentibus sæculis obgannientes: *quanto melior grammaticus, tanto peior theologus.* Quod ipsum barbariei suæ caussati, singularis forsitan sanctimoniæ præ se ferre potuissent, opinor, speciem, nisi commisissent, vt atrocium magis criminum merito ac iure coargui potuerint: quorum nomine ab supremo iudice magis quondam damnabuntur, quam si Latinitati ingenuisque artibus studuissent.

Quorum sæculorum sordes, & inueteratam barbariem pluribus verbis prosequi nihil attinet: præsertim quum dubitare me iam adfirmarim, an temporibus his immorari operæ pretium facturus forem. quorum ipsius cogitationis, vt vere dicam, me pertæsum est: nedum verbosa eorum commemoratione, & inscitiæ speciminum enarratione quemquam delectatum iri, mihi persuadeam. Sunt vide-

(ff) Sim. Bornmeistet supra cit. l.

videlicet hæc ipsa ista sæcula, in quorum scriptoribus horridam barbariem nihilo magis mirari nos oportere, Henr. Stephanus iudicauit (g),

quam tumidum guttur miremur in Alpibus, aut quam
in Meroe crasso maiorem infante mamillam.

Sunt porro illa sæcula, quibus Græcæ linguæ rudes penitus ignarique monachi ridiculas maxime comminiscebantur *etymologias:* qualis erat illa, qua vocem *Presbyter* interpretabantur, quasi eiusmodi esset homo, qui *præberet suis iter.* vel si Græcismi omnino quicquam subodorabantur in voce quapiam, mirifice sibi gratulabantur, quum post multi velut sudoris laborem exantlatum vocis originem elicuisse sibi viderentur: quo illa in primis etymologia referenda est, criticis istius ætatis non indigna, qua vocem *diabolus* ex *dia*, quasi duo, & *bolus*, deducebant; perinde ac si diabolus *duos* ex homine deuorando faceret *bolos*, vnum de corpore, de anima alterum (h). Stupendam monachorum socordiam vel inde coniicere licet, quod *episcopus* quidam *Traiectensis trecentos diœceseos sua*

(g) in præfatione, quam de Abusu linguæ Græcæ in quibusdam vocibus, quas Latina vsurpat, admonitioni præfixit.

(h) Henr. Stephanus in citato modo loco.

ſuæ ſacerdotes, tamquam indoctos aſinos, adeoque ſacro munere indignos plane, tribus dumtaxat exceptis, *exauctorauerit* (i). quos eius farinæ homines fuiſſe credo, cuius ille monachus fuit, qui ab epiſcopo quodam ad eccleſiaſtici muneris cuiusdam functionem obeundam prælato cuipiam commendatus eſſe dicitur hac epiſtola: *Otto Dei gratia rogat veſtram clementiam, vt velitis iſtum clericum conducere ad veſtrum diaconum.* quæ verba quum compendioſo ſcribendi genere eſſent excepta, commendatus ſic legiſſe fertur: *Otto Dei gram, rogat veſtram clam, vt velit iſtum clincum clancum conuertere in viuum diabolum.*

Quam incredibilem fere ignorantiam non adeo mirabitur, ſpero, qui reputarit, omnia meliorum litterarum exercitia in monachorum canonicorumque ſcholis ſuperiori tempore in Germania & alibi Caroli M. auſpiciis apertis prorſus ſenſim ceſſaſſe, pigriore ſemper pigro ſuccedente: idque non in

(i) Refert id Io. Lomeier ex Eraſmo, lib. I Eccleſiaſt. in ſui de Bibliothecis libri cap. 8, ubi iſtam etiam de Ottonis litteris commendatitiis hiſtoriam narrat: quippe quod caput huiusmodi exemplis eſt refertisſimum. præterquam quod complures ſcriptores nominat, ex quibus plura depromere poterunt, qui eorum lectione delectantur.

in Germania ſolum, ſed in cuncta pene Europa: quandoquidem ſolus immenſæ gulæ atque impudici corporis quæſtus vigebat inter monachos. *Mendicantium* cum primis monachorum *ordini*, qui *ſæculo XIII* florere cœpit, nihil minus, quam ingenuarum artium, & Latini ſermonis cultus curæ fuit cordique. vtpote qui ordo in Philoſophiam Ariſtotelicam excolendam, vel obſcurandam potius, omni ferebatur cogitatione: dum Ariſtotelis aliorumque Græcorum monimenta FRIDERICI II Imperatoris beneficio ex Arabica lingua in Latinam translata ſunt; ſcabra quidem, vt Conringius eam appellat (k), interpretatione: quam ſcholæ Bononienſi examinandam transmiſit Imperator

(k) Antiquit. Academ. diſſert. III, p. 95 ſeqq. & ſuppl. XLIII, p. 337, 349. & Dau. Chytræi Orat. de Scholæ Prouincialium Ducatus Stiriæ Introd. B. 5, b. vbi illuſtria hæc, & id, quod volo, declarantia leguntur verba: *Circa annum Chriſti 1200. Monachi mendicantes ruinam ſtudiorum eccleſiæ collabentium, fulcire ſuis docendi, diſputandi & ſcribendi laboribus ſtrenue conati ſunt. Sed neglectis Græcis litteris, contemptis veteribus etiam Latinis auctoribus, amiſſa linguæ puritate, deſertis mathematis, & veteri ac vera docendi ratione extincta & inanibus argutiis & cauillationibus in omnes artes ac diſciplinas receptis: tetra barbaries & Theologia Monachorum, conflata ex inerudita philoſophia & ſuperſtitionibus enata eſt.*

rator (l). Quo quum per aliquot ſæcula nullus imperantium præclarius de litteris meritus ſit: quippe qui fundatam etiam ab ſe Neapolitanam academiam pluribus ornauit priuilegiis, & quem Italice, Latine, Germanice, Gallice, Græce atque Sarracenice locutum eſſe, adfirmant (m). quin pauca de temporis huius Latinitate proferam, temperare mihi non queo.

Omnium ferme, quos ætas iſta tulit, eruditorum eloquentiſſimus PETRVS DE VINEIS putabatur, Iureconſultus celeberrimus, & laudati *Friderici II Cancellarius:* quem, poſtquam in grauiſſimis negotiis opera eius vſus erat Imperator, longe funeſtiſſimum ac tragicum prorſus vitæ exitum habuiſſe, nouimus. Vtrum vero *Germanus*, an *Italus* fuerit, diſceptant eruditi: Trithemius Germanum natione fuiſſe tradidit: alii *Capuanum* habent; quibus *Sim. Schardius* adſentitur (n): qui ipſe eſt, qui eiusdem Petri de Vineis *Epiſtolarum*, Imperatoris nomine ſcriptarum, *libros VI* iuris publici faciens (o). veritatis hiſtoricæ cultores perpetuo ſibi

(l) Pandulf. Collenutius in vita Friderici II: quam Latine conuerſam Epiſtolis Petri de Vineis præmiſit S. Schardius, p. m. 55.

(m) P. Collenutius c. l. p. 54.

(n) in vita Petri de Vineis, ipſius epiſtolis præfixa.

(o) Baſileæ 1566, 8. ex officina Io. Oporini.

ſibi deuinxit. quas epiſtolas *non tam elegantia ſermonis Latini, quam Pontificum Romanorum inſectatione inſignes* appellat. Enimuero tam inculta atque aſpera in iis conſcribendis vſus eſt præſtantiſſimus vir dictione, vt Italorum magis ac barbarorum, quam Latinorum vocabulorum indicem, quo iſta explicentur, ſubiiciendum iis putauerit Schardius: qui tamen locupletior multo dari facile potuiſſet. Vt breue aliquod Cancellarii noſtri elocutionis habeas ſpecimen, lector, *epiſtolam XIII lib. III* apponam: idque eo magis, quod de *grammatica docenda* agit: illum ſcilicet, qui in *Terra Laboris* ius dicebat, a tradendis Grammaticæ artis rudimentis quemquam prohibere vetat. Ipſa Epiſtola hæc eſt: *Etſi ad perfectionem ſtudii generalis, quod nuper in ciuitate Neapoli prouidimus reformandum, particularia ſtudia vbique per regnum mandauerimus interdici, noſtræ tamen intentionis non fuit, ſic loca quælibet depauperare doctoribus, vt artis Grammaticæ rudimenta nouiciis velut lactantis veſtris vbera famelicis infantibus præcidantur: ſed ad illos tantum extendi volumus veſtræ ſerenitatis edictum, qui auditoribus ſuis ruditate depoſita, in facultatibus aliis ingenia potiora petentibus, cibos iam posſint ſcientiæ ſolidos miniſtrare. Propter quod fi-*

 delitati

delitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus magistris quibuslibet, qui per terras iurisdictionis tuæ pueros in artis grammaticæ primitiis edocent, nullam occasione prædicta molestiam inferas: sed particularia eorum studia regere, sine impedimento quolibet patiaris. Hactenus ipsa Petri de Vineis Epistola: cuius verborum structura licet parum ornata sit: incomptior tamen in aliis eiusdem sæculi monimentis offenditur. Nam si Petrus de Vineis inter ætatis suæ eruditos doctrina, ingenio, ac eloquentia merito suo præstantissimus habitus est: quam doctos, quam eloquentes illos, quæso, faciamus scriptores, quos is non mediocri post se reliquit interuallo? *Gregorii* certe *IX Pontificis Epistola* ad eumdem Fridericum Imperatorem tum, quum eius etiamnum amicus esset, scripta, si non incultior, æque tamen, ac Petri de Vineis Epistolæ, salebrosa mihi videtur: cuius hoc est initium (p): *Gregorius episcopus seruus seruorum Dei, charissimo in Christo filio nostro Friderico, Romano Imperatori, & Siciliæ regi, semper Augusto: salutem & Apostolicam benedictionem. Ad ostendendum viam ligni vitæ errantibus, in inuio mundi huius, posuit te Dominus quasi Cherubim, & versatilem gladium.*

(p) Petri de Vineis Epistolis vna cum *Depositionis Friderici Formula* præmissa est a Schardio, p. 77.

dium. Cum enim diligenti meditatione penſatur ratio in te illuminata dono intelligentiæ naturalis, & imaginatio diſcreta in rei comprehenſione ſenſibilis: quæ quaſi verſatilis, vna facie reſpicit rationem, alia naturam ſenſibilium intuetur. & quæ ſequuntur.

Quod ſi vero monachorum & vniuerſæ Chriſtianæ eccleſiæ caput Pontifex maximo tam exiguum liberalium artium præ ſe tulit ſtudium, fauoremue: & ſi is gregis Seruatori noſtro Ieſu Chriſto in hiſce terris colligendi *lupus rapax, doli Parens, ſanguinum vir, ſchiſmatum amator, lapis offenſionum, ipſe* denique *Antichriſtus* aperte in Petri de Vineis Epiſtolis nominatur (q): qualem quæſo monachorum tum gregem fuiſſe, putas? *ſæculo deditos ac ebriatos, delitiis Deum poſtpoſuiſſe eos*, ipſi, qui a Pontificiorum partibus ſtetere, fateri neceſſe habuerunt: ex quorum diuitiarum affluentia religio ſit ſuffocata (r) nec

F 2 minus

(q) vid. Schardii epiſtolam, qua easdem Epiſtolas Wolfg. Hallero dedicauit.

(r) P. Collenutius in vita Friderici II, pag. 59. Huc pertinent lectiſſima Dau. Chytræi verba ex Oratione ſæpius a me allegata, quam in Scholæ Prouincialium Ducatus Stiriæ introductione habuit, B. 5, b. *Quum opes collegiorum & veterum D. Benedicti, monaſteriorum poſterioribus ſæculis ſtudiorum cauſſa potisſimum ex Regum ac Principum donationibus auctæ, in immenſum creuiſſent: accidit, quod Bernardus inquit: Religio peperit diuitias & filia*

minus omnis ingenuarum artium amor atque ſtudium.

Vt demum crasſiſſimas, quibus in Germania noſtra omnis humanitas circumfuſa latuit, tenebras eluctter, Muſisque inimiciſſimo ſæculo relicto, ad lætiora paullatim tempora progredi mihi liceat: paucis, at luculentisſimis magni Eraſmi verbis, plurima generatim iterum iterumque, corollarii quaſi loco, exponam: quibus prudentiſſimus vir temporis, cui hactenus immoratus ſum, faciem præclare expreſſit (s): *Neglectæ bonæ litteræ, faſtidita Græcanici ſermonis peritia, multoque magis Hebraici, ſpretum eloquentiæ ſtudium, quin & ipſa Latina lingua ſic conſpurcata eſt ſubinde noua barbarie, vt iam nihil minus eſſet, quam Latina, nec Hiſtoriæ nec Geographiæ nec antiquitatis vlla cura.*

Prius vero quam ad tempora, quibus bonis litteris clarior ſenſim exoriri cœpit lux, pergam: non ab re futurum arbitror, ſi breui commemorauero, hoc ipſum *XIII ſæculum* eſſe, quo *Germaniam ſuum ſermonem Latinis litteris depingere didiciſſe*, Auentinus adfir-

deuorauit matrem. Nam canonici & monachi opulenti, regiæ dominationi, luxui & otio dediti, ſtudia doctrinarum & alios labores eccleſiæ neceſſarios prorſus abiecerunt.

(s) in præfat. in Hieronymum: ap. Conring. Antiquit. Acad. ſuppl. 43, p. 338.

adfirmauit (ſ). Nam quum is horridus maxime, & ad animi ſenſa litteris, ſiue certis characteribus, exprimenda parum accommodatus eſſe videretur; omnes ſaltem litteras tabulasque publicas Romana, ſiue ſemi-Latina potius, vti nuncupari eam a quibusdam ſupra vidimus, lingua ad illa vsque tempora ſcriptas eſſe, plurimi demonſtrarunt (ſſ). Nam tametſi *Otfridus* & complures alii, poſtquam Carolum M. opus, quod ad expoliendam Germanorum linguam huiusque characteres pertinebat, non confeciſſe cognouerant, eiusdem denuo rei periculum non infeliciter fecerunt, laudatiſſimi Imperatoris veſtigia ſecuti (t): opus tamen perfici prius non potuiſſe videtur, quam Friderici II temporibus. Quum enim clerus, qui eo, quod ſolus Latini ſermonis gnarus, publicis tabulariis præerat, occaſionem diteſcendi, & principum ſecreta cognoſcendi facultatem dimittere nollet; is, ne Latinum idioma in aulis horum aboleretur, Germanicæ linguæ

 litte-

(ſ) qua ratione Auentini verba intelligi debere ego exiſtimem, initio capitis in notis declaraui.

(ſſ) vid. Conring. de Origine Iuris Germ. cap 27, pag. 161, edit. 1665. conf. Lehmann. Chron. Spir. lib. II, c. 45, p. m. 169.

(t) vid. Beſſelii notas ad Eginharti cap. 29 verba: Inchoauit & grammaticam patrii ſermonis. cui Schminckii animaduerſiones adde.

litteris exprimendæ difficultatem, eiusque horrorem alendo obſtitiſſe adhuc iudicatur. Quod in cauſſa etiam fortaſſe fuit, cur profanis hominibus, ſiue laicis, omnis aditus ad linguarum artiumque ſcientiam ab eodem clero ſit præcluſus; vt videlicet monachi, reliquis, vel nobiliſſimis hominibus, inde detruſis, ipſi ſoli in aulis principum cancellariisque quaſi dominarentur, & præmia atque honores eruditionis nomine reportarent. Inde eueniſſe concludunt eruditi, vt Latini ſermonis vſus in conficiendis publicis legum tabulis, in publicis priuatisque rationibus, in omnibus monimentis, ita obtinuerit, vt principes hac lingua fœdera ſancirent, vt ſacerdotes religiones interpretarentur ea, vt iudices teſtamenta, contractus, cauſſas forenſes eadem explicarent (tt). Equidem *Friderici II* auſpiciis *primam Germanico ſermone confectam conſtitutionem* publicatam eſſe, plerique cum Conringio exiſtimant (u): quam eodem XIII ſæculo plures deinceps ſubſecutæ ſunt. Immo *Rudolphus I Auſtriacus* ſtatuit, *vt poſthac ob inſcitiam nobilitatis, Principum & Pontificum edicta, priuilegia in Teutonum lingua ederentur*, quæ hactenus Romano ſermo-

(tt) vid. Hachenberg. Germ. Med. diſſert. VII, p. 246. & ill. Lynckeri diſſert. de Idiomat. Imperial. p. 9.

(u) Conring. de Orig. Iur. Germ. cap. 27.

ſermone data erant (v): quam quidem conſtitutionem non prohibuiſſe nouimus, quo minus plurimæ Romana lingua conſcriptæ tabulæ poſtmodum ſint publicatæ, ita, vt, clero perpetuo repugnante, Germanicum idioma ante ſæculum XV præualere non potuerit (x).

Neque ab inſtituto alienum porro cenſeo, pauca quoque de *monachorum* per ſuperiora ſæcula *ſcribendi ratione* ſubiicere: etſi per ſe coniicere quilibet poterit, non multum curæ ad recte ſcribendum allatum ab iis eſſe, quum grammaticæ artis rudes pene fuerint atque ignari. Qui quum ex librorum deſcriptione victum ſibi quærerent, nec intelligerent ſæpe, quæ ſcribebant, verborum monſtra, vel litteris, vel ſyllabis, vel vocibus traiectis perturbatisque, non potuerunt non ab iis procudi: quæ criticos probe deinceps verſa-

(v) Auentinus Annal. Boior. lib. VII, p. m. 567 ſeq. & Conring. c. l. conf. Mart. Cruſii Annal. Sueu. P. II, lib. I, c. 8, p. 13 & P. III, lib. III, c. 1, pag. 134. *Rudolphum I Latinæ linguæ* ignarum fuiſſe, & quum Legatum Bohemicum, Latine ipſum alloquentem, non intellexiſſet, voluiſſe, ne quis legatus aliter deinceps, ac Germanice peroraret, ill. Lynckerus ex Huld. Mutio & Gerh. de Rhoo oſtendit, in diſſert. de Idiomat. Imperial. p. 10.

(x) Lyncker. diſſert. modo cit. p. 11.

runt (y). quod quum ita ſit, rectiſſime iudicauerunt nonnulli, *in orthographiam peccata barbariem in Latinam linguam inuexiſſe* (z). Fuerunt adeo inter exteros, qui, quod ſcriptores non modo truncos ac laceros, verum etiam ita deprauatos habeamus, ut, ſi reuiuiſcerent, ipſi nec agnoſcerent ſua ſcripta, nec reſtituere poſſent, *Teutonibus* potiſſimum imputarunt; librariorum ac ſemidoctorum inter hos audacia, incuria, atque inſcitia veterum ſcripta corrupta adfirmantes (a). Quamuis autem ab audacibus nonnullis, ac ſciolis Italis non minus mendorum inuectum eſſe putauerunt quidam: inficiandum tamen non eſt, ineptos plerumque in Germaniæ monaſteriis ad ſcribendum adhibitos eſſe homines: id quod Ekkehartus Iunior cum multis aliis edocere nos poteſt, quando de Monaſterii S. Galli Decano *Ekkeharto minore* adfirmat (b): *Doctor proſper fuit & aſper, nam quum apud ſuum Gallum ambas ſcholas ſuas teneret, nemo præter exiles puſiones quicquam alteri, niſi Latine, auſus eſt proloqui.*

(y) vid. Conr. Ritterſhuſium de cauſſis variantium in auctorib. lection. in Caſp. Scioppii de Arte Critica Commentar. p. 87.

(z) du Freſne Præfat. Gloſſar. præm. §. 7. init.

(a) vid. D. Eraſmus in Ciceroniano p. m. 259.

(b) de Caſibus Monaſterii S. Galli cap. 10. inter Goldaſti ſcriptores Rer. Alamannicar. p. 42, T. I.

qui. Et quos ad litterarum ſtudia tardiores vidiſſet, ad ſcribendum occupauerat & lineandum: quorum amborum ipſe erat potentisſimus, maxime in capitularibus litteris & auro, vt apparet in verſibus fornicis Galli, quos fecit:

Templum quod Gallo Gotzbertus ſtruxerat almo,
Hoc Abbas Immo picturis compſit & auro.,

has ille litteras cultello conciſas illic liniuerat. (c). Quibus cognitis, facilius fidem habebimus adſeuerantibus,& in ipſo iſtoS.Galli & aliis Germaniæ monaſteriis adeo vitioſe tum exaratos hodieque cuſtodiri codices, vt, ſi quis hos in lucem eſſet editurus, temeritatis potius, quam diligentiæ id foret (d). Vnum enim dumtaxat *Sintrammum* barbara ſæcula oſtentaſſe videntur; de quo, ceu artificioſiſſimo homine, Ekkehartus iſte ſequentia memoriæ

(c) de *Salomone*, Conſtantienſi Epiſcopo, idem Ekkehartus l. c. cap. I pag. 21 ſequentia refert: *Erat ſcribendi lingua manuque artifex; lineandi & capitulares litteras rite creandi præ omnibus gnarus, vt in apicibus L & C longi euangelii primis videre eſt: quas Epiſcopus, vt aiunt, probans, quid in talibus adhuc poſſet, lineans aurificabat.* Cuiusmodi ſcribendi & pingendi litteras ſtudium περιεργίαν ſæculi ſapuiſſe, ad grauiora parum adſpirantis, Bœclerus iudicat, de Reb. ſæc. IX & X Comment, p. 241.

(d) Voſſius de Hiſtor. Lat. lib. II, p. m. 303.

moriæ prodidit (e): *Omnis orbis Cisalpinos Sintrammi digitos miratur, in hoc vno, vt celebre est, triumphat. Mirari autem est, hominem vnum tanta scripsisse, quia in nominatissimis locis plerisque harum regni partium Sintrammi characterum libri S. Galli obsides habentur. Sed & hoc in homine mirabile erat, & singulare, quia quum delicata eius scriptura iucunde sit directa, raro in pagina vel vnius verbi mendacium inuenias rasum.* Quum vero magna plerumque monachorum in sacris libris describendis deprehenderetur negligentia, non defuerunt, qui serio eos adhortarentur, vt perfectæ ætatis homines cum diligentia libros eiusmodi scriberent (f). quid, quod seueris quasi imprecationibus describentium incuriæ obuiam ire nonnulli decreuerunt. qualem in *Chronici Eusebiani* codice membranaceo, quem bibliotheca Augusta Wolfenbuttelensis adseruat, legere me memini, quæ ita sese habet: *Adiuro te, quicunque hos descripseris libros, per Dominum nostrum Iesum Christum & gloriosum eius aduentum, in quo veniet iudicare viuos & mortuos,*

(e) l. c. pag. 19. T. I. Scriptor. Rer. Alemann. a Goldasto edit.

(f) C. du Fresne præfat. Glossar. Lat. præmiss. § 6. vbi plurimis exemplis atque testimoniis commonstrat, quid mali ex scriptorum seu antiquariorum incuria atque imperitia sit enatum.

tuos, vt conferas, quod ſcripſeris & emendes ad exemplaria ea, de quibus ſcripſeris diligenter. Et hoc adiurationis genus ſimiliter transſcribas & transferas in eum codicem, quem deſcripſeris. Quæ quidem verba primo ſtatim adſpectu cultioris paullo ſæculi præ ſe ferunt indicia: quippe quæ paullo ante artis typographicæ inuentionem, ſiue non ita multo poſt Fr. Petrarchæ ætatem, ſcripta eſſe, hæc teſtatur clauſula: *Hos de temporibus libros ab exemplari ſcripto per manum celebris memoriæ Franciſci Petrarchæ tranſcripſi fideliter ego Iob Mediolani Non. Quintilibus A. ab exordio eius, qui circa principium operis primus in Hebræorum ordine numeratur* 1430.

Facere denique non poſſum, quin *Poeticæ* etiam *artis* ſpecimina quædam proferam: quam maiores noſtri tanto amplexi ſunt ſtudio, vt vix alia diſciplina maiore animorum contentione ab iis tractata, aut in potiore habita apud eos ſit honore (ff): & quæ ipſis incultis maxime ſæculis mirifice arriſiſſe videtur. Enimuero *Caroli M.* iam ætate in Germania noſtra certatim ſtudiis his operati ſunt (g): quæ ipſe etiam Imperator attigerat, vt

(ff) P. Hachenberg. Germ. Med. diſſert. VI p. 203.

(g) de *Poeſi Latina* mihi ſermonem eſſe, per ſe quilibet intelliget, ſpero: quum neminem fugiat, veteres Germanos fortiſſimorum ſuorum heroum lau-

vt ne vel huius ſuauitatis expers eſſet. quod quum multi non ignorarent, carmina nonnulla, quæ etiamnum ſuperſunt, ei tribuerunt, tamquam auctori; licet, vtrum talis ſit, magnopere dubitent eruditi (h). Cuius filius *Ludouicus Pius poetica carmina gentilia*, quæ in iuuentute didicerat, ita deinceps *reſpuit*, vt nec legere, nec audire, nec docere ea voluerit: vtpote qui ſacris litteris, earumque myſtico inprimis ſenſui vnice intentum ſe videri cupiebat (i). Quemadmodum vero multis ingenium tum haud defuiſſe, negari non poteſt: ita genio ſæculi in minora fere elapſos eſſe, iudicant (k) eruditi. Id quod *Walafridus Strabo*, variorum carminum auctor, & Augiæ ſæculo IX abbas, quem docti, ſapientis, & litterarum ſcientia ante alios illuſtris viri præconio condecorauit Sangallenſis monachus (l), ingenue profeſſus eſt, quando, *ſi in pedum menſura fefellerit, contra nullum luctamen initurum ſe*, ſcripſit, *quippe cui nec ætas ad talia competierit, nec ſcien-*

des carminibus ſua lingua conceptis multo ante celebraſſe. vid. præ reliquis omnibus Morhof. de lingua & Poeſi Germanor.

(h) Bœcler. Commentar. de Reb. Sæc. IX & X p. 47.

(i) Theganus ap. Bœclerum in Comment. de Reb. Sæc. IX & X, p. 91

(k) vid. Bœclerum c. l. p. 47.

(l) Voſſius de Hiſtoricis Lat. lib. II, c. 33, p. 303.

ſcientia ſuppetierit (ll). *Adelmi Scoti Carmen*, cuius litteræ verſibus initium & finem dantes hunc primum eius effecerunt verſum:

Metrica tirones nunc promant carmina caſtos:

magni operis rem exiſtimatum eſſe eo tempore cl. Bœclerus oſtendit (m): quod inuentum *Rabano Mauro*, cuius ſupra mentio a me facta eſt, a nonnullis poſtea attributum eſſe, addit. Quum enim veræ Poeſeos, vti omnis elegantioris litteraturæ, ſatietas cepiſſet ignauos monachos, eamque haud intelligerent, ridiculis & ineptis maxime rhythmis mirum in modum delectati ſunt: donec ſæculo XIV adeo miſerabilis Poeſeos Latinæ exſtiterit facies, vt de exſequiis eius ſollicitæ iam eſſent Muſæ: ſiquidem dudum ab antiqua ſua maieſtate deſciuerat, adeo, vt hic fœdis barbariſmis ſqualida, illic leoninorum verſuum crepitaculis horrida, iſtic dimenſionum vocum colorisque poetici immemor eſſet (n). Id quod quam plurimis exemplis planum facere poſſem. inter quæ illud de *Ottone III* Imperatore in Sangallenſi monaſterio confectum carmen: cuius initium eſt.

Otto

(ll) C. du Freſne præf. Gloſſar. § VIII.

(m) Comment. de Reb. Sæc. IX & X. p. 47.

(n) Ol. Borrich. Diſſert. II de Poetis §. 82. & III, § 83.

Otto Rex, tua lex, quia ſemper venditur auro,
hic gentes fruſtra quærunt iudicia iuſta (o).

De eiusdem Sangallenſis, & complurium aliorum, Conſtantienſis denique cœnobii Præſule *Salomone* Ekkehartus hæc etiam inter alia in laudem eius profert (p): *Erat metro primus, & coram regibus plerumque pro ludicro cum aliis creator. Dicendi, præter quod naturalis ei commoditas inerat, artifex erat.* Quem *ſtudiis ſuis multa in honorem S. Mariæ, nec non Galli ſui patrauiſſe* dicit Ekkehartus (q); *id eſt libros, vaſa, veſtes varias*, in aliquibus ſcribere iubentem:

Tertius hæc hagiæ Salomon dat dona Mariæ
Tertius hæc almo Salomon dat munera Gallo.

quem aliquando ſcholam intrantem, & per iocum pœnam minitantem *paruulos pro noſſe, medios rythmice, ceteros vero metrice, quaſi pro roſtris rhetorice etiam affatos eſſe*, idem Ekkehartus commemorat (r): vnum perorantium dixiſſe:

Quid tibi fecimus tale, vt nobis facias male,
Appellamus regem, quia noſtram fecimus legem.

verſi-

(o) vid. Io. Lomeir. de Bibliothecis lib. c. VIII: vbi plurima eiusmodi reperies ſpecimina.

(p) de Caſibus Monaſterii S. Galli in Rer. Alamannic. Script. T. I, p. 21. (q) p. 20. (r) p. 21.

versificatorem sic locutum, ait,

Non nobis pia spes fuerat, cum sis nouus hospes,
Vt vetus in peius transuertere tute velis ius.

Quibus versibus ineptiores mihi illi videntur, quos Italia circa tempora ista protulit, marmori cuidam in honoratiore Lateranensis templi loco insculptos (s):

Illa stupenda dies mortis, que perdere talem
Ausa fuit, natura sciuit perficere qualem.
Sedis Apostolice fuit iste notarius horis
Omnibus, intus habens speculum celestis amoris.
Nomine Riccardus, sapiens, discretus, habundans
Dotibus immensis, fuit area messe redundans.
Lictera cui queuis simul vtraque nota
Iura fuere sibi, probitas vbi nunc sua tota.
Hunc Anibal genuit magnus prolem quoque totam
Roma tenet mundo famoso nomine notam.
obiit sub Papa Nicolao IV. Anno 1289.

& illi, quos eiusdem Italiæ monachi antiquæ cuidam Seruatoris nostri statuæ, cui nouum Mariæ simulacrum e regione erat, inscripserunt (t):

O Iesu

(s) Ol. Borrichius de Variis linguæ Lat. Aetatib. p m. 23.
(t) Io. Lomeier de Bibliothecis c. VIII.

O Iesu vete, doleo nunc plurima de te,
Iam Maria noua tollit tibi flaxis & oua.

Is etiam circa sæculum XIV mos inualuit inter Germanos, vt non modo singula patrii sermonis vocabula in Latinam terminationem detorta immiscerent versibus suis, vt in postremo isto factum cognoscimus, sed vt Germanicos quoque & Latinos rhythmos alternarent: quemadmodum in hoc epitaphio cernimus

Hier Peter Wiese tumba requiescit in ista.
God geef em Spise cæleftem, quique legis
sta &c.

& in illo, quod Landgrauio Thuringiæ, Friderico strenuo confecerunt, cuius initium est:

Hye lyt ein Fürste löbelich
Quem vulgus flebile plangit
Von Misne Margrau Friderich
Cuius insignia pangit
Clerus, claustralis, laicus &c. (t).

Paulus Hachenbergius itaque verissime scripsit (u): *Post Carolum M. quum Romanas Musas infeliciter primum tentarent Germani, quod linguæ ignorantiæ, & sæculorum barbarie impedirentur: multi patriæ linguæ vocibus versus*

(t) vid. Morhof. de Germanor. lingua & Poesi P. II, c. VII, p. 327.

(u) Germ. Med. diss. VII, p. 204, seq.

versus includere cœperunt, rhythmorum anxia cura illepidos, & rudi dictione inficetos; de quibus illud dicendum est, quod de Saliaribus Romanorum hymnis ferebatur, ceterisque versibus

qualis olim Vates Faunique canebant.

Vt vero inter prosæ orationis scriptores vnum & alterum in Germania barbaris istis sæculis offendimus, quem puræ nec inelegantis dictionis laude dignum diiudicauerunt eruditi: ita inter illos non minus, qui ligata oratione iisdem temporibus scripserunt, reperiuntur, quibus non exigua laus deberi videtur. quorum numero est supra laudatus *Strabo*, & *Villeramus* Abbas Mersburgensis sæculi XI poeta, qui non pie tantum, sed & feliciter ac supra sæculi sui mores scripsisse censetur (x): nec non *Guntherus*, Belga natione: quem poemate, quod *Ligurinus* ab ipso inscriptum est, *Friderici I Barbarosſæ*, etiamnum superstitis tum, res gestas ita celebrasse nouimus, vt *magni ingenii & spiritus atque etiam elegantis pro sæculo illo poetæ* nomen simul meruerit (y). Germaniæ monachis, qui eruditionis gloriam solis sibi tum vindicabant in patria sua, ruborem elicere

G potuit

(x) Ol. Borrich. de Poetis differt. II, § 76.

(y) Vossius de Historicis Latinis lib. II, c. 53, p. 431 & Olaus Borrich. de Poetis Differt. II, § 76.

potuit *Rosuita* siue *Hroswitha*, & genere, & pietate insignis saeculi X Monialis: quando industria, quam in excolendis melioribus litteris collocauit, non *Latino* modo *carmine pollentis*, sed etiam *Graece doctae virginis* gloriam consecuta est (z): qua pauci oppido aetatis eius monachi merito suo ornari potuerunt.

Equi-

(z) Vossius c. l, c. 51, p. 351. *Rosuitam* praeter alia scripta, quae cel *H. L. Schurzfleisch* non ita pridem denuo edidit, *Histriam siue Panegyricum de rebus gestis Otton's I* heroico carmine confecisse, nouimus. Ipse hic *Otto* non modo rebus gestis, sed eruditione etiam *Magnus* ab historicis praedicatur, qui tanta vi ingenii, ac contentione in discendis litteris elaborarit, vt, numquam ante cognitis elementorum figuris, cum priorem amisisset vxorem suam *Edittam*, paucis mensibus bonam Latinae linguae artiumque liberalium & sacrarum litterarum adsecutus sit cognitionem, & hac omnes aetatis suae Principes atque Episcoporum vulgus non solum aequarit, sed facile etiam superarit. Quod si fuerit, Imperatorem singulari priuigni sui *Ernesti* eruditione, de qua supra mentio facta est, ad amandas litteras permotus videri forsitan posset. At Ottonem in collegio *Hildesiensi* educatum ac eruditum iam esse, alibi legere me memini. Mos enim Principum filios in Germaniae Galliaeque Belgicae collegiis erudiendi nondum penitus tum erat sublatus, qui *Caroli Magni* tempore ita passim viguerat, vt huius ipsius aetate in *Leodiensi* collegio viginti quatuor Principum ac Regum liberi in studiis pietatis & litterarum vixisse dicantur.

Equidem plura de linguæ Latinæ in Germania per inculta maxime fæcula fatis dicenda fupereffe, vltro fateor. quum vero argumentum fummatim exponendum me decreuiffe memineris, Lector, te concifam hanc meam breuitatem in bonam partem accepturum effe, confido (*). Erat etiam, quod

G 2 vere-

(*) Quod fi infelicium iftorum temporum barbariem accuratius infpicere volueris, euoluas velim *Io. Zwingeri de Barbarie fuperiorum aliquot fæculorum orta ex fupina Linguæ Græcæ ignoratione* longam eamque egregiam *orationem*, quam an. 1661 Bafileæ habuit. quæ quum in plurimorum fit manibus, poftquam cl. Georg. Henr. Gœtzius eam denuo an. 1704 emifit, *Principi Græce docto* fubiectam; multa tranfcribere nolui, diligentisfime potius elegantioris litteraturæ ftudiofis eam commendaturus. Perquam lepidas cognofcenti inde narrationes, quibus barbarorum hominum indoles, & Germanorum & exterorum, planius eft expreffa. quo hiftoria pertinet, quam de *Theodorico, Abbate Hildesbemienfi* pag. 106 profert, nullarum penitus litterarum, rudi, infulfo atque adeo ad docendum alios minime accommodato homine. qui quum Concilio an. 1431 Bafileæ celebrato cum Capellano fuo interfuiffet, ab aliis Prælatis ad Miffam de Spiritu S. cantandam electus eft. quo facto, gratiofa hominis vox Cardinalem fefellit, vt Doctorem crediderit, inter colloquia mutua Latine eum compellans: quando Abbati ne verbum quidem Latinum, multo minus Græcum, in omnium linguarum ignoratione, fuccurrebat. Capellanus, prout ingeniofus nequam fuiffe dicitur, reuerendum Patrem fuum prifcas aliquot fedes circa Hildeshemium, minime vero

vererer, ne vberiores de inerti Monachorum ſegnitia ac impolito dicendi genere ſermones legendi faſtidium nonnullis mouerent: quod

ipſum Hildeshemium, quippe quæ vrbs nota eſſet, e veſtigio recitare iusſit: quod quum feciſſet Theodoricus, nonnullos Hildeshemienſis territorii pagos intrepida verborum conceptione enumerans: *Stürvvold, Haſſe, Giſen, Vorſche, Kavenſtede, Duſpeeſtede, Itzem.* quas voces quum Cardinalis haud intelligeret, ex circumſtantibus ſciſcitatus eſt, *an Græcus eſſet homo?* Enimuero bonas litteras ex Theologorum ſcholis ita exulaſſe, inquit Zwingerus, vt *omnes Hebræorum deliciæ* ipſis fuerint *titiuilitio, omnes Græcorum* χάριτες ἀχάριτες, & *ingratæ omnes Latinorum gratiæ:* id quod plurimis præterea perſpicuis admodum exemplis, grauisſimisque teſtimoniis declarat; liquide maxime demonſtrans, *linguarum contemptui comitem ſeſe addidiſſe incredibilem omnium rerum inſcitiam, ac plus quam Bœoticam ſtupiditatem,* quæ vniuerſam Europam per aliquot tenuerit ſæcula; *falſamque ex vitioſa grammatica ortam eſſe theologiam:* quod cl. Mareſius peculiari demonſtrauit diſſertatione: ad quam iuxta atque alia monimenta Zvvingerus lectores ſuos ablegat, ſæculi infelicitatem ac ſtribliginem cognituros: quamlibet ipſe ingentes monſtroſorum vocabulorum terminorumque ex ſpelæis ac barbaris gurguſtiis emendicatorum, quæ nonniſi duplicato ſpiritu pronuntiari poſſunt, oratione ſua congesſit aceruos. multum in primis induſtriæ contulit in abſurdis & lutulentis prorſus *etymologiis*, quibus omnes diſciplinas conſpurcarunt ſcholaſtici, percenſendis: qualibus *Iacobi Epiſcopi Genuenſis Sanctorum Hiſtoriam*, quam *Lombardicam* & *Legendam*

quod meliora, & Musis amica magis, quæ insequuntur, tempora forsitan, si non penitus tollere, leuare saltem posse, mihi persua-

 deo.

auream vocant, refertissimam esse, ostendit. Non autem bonas litteras ex Theologorum solum scholis exulasse, monstrat Zwingerus, verum Iureconsultos etiam, Medicos atque Philosophos cum eadem barbarie conflictatos esse, perspicue docet: & quidem *Iureconsultorum* stilum si considerauerimus, *inepte*, vel si mitius loqui malis, *scholastice* eos *scriptitasse*, deprehensuros nos, confirmat. quorum etsi multas, quibus vsi fuerunt, phraseologias, monstrosas & vltra modum barbaras voces, ineptissimasque etymologias collegit quam plurimas. *in Medicam* tamen *artem horribilius saeuitum esse*, probat; barbarorum ac Græcæ linguæ imperitorum scabie ita eam corrumpente, vt squalida maxime reddita sit atque strigosa, tot distinctionibus, tot terminis, tot nominibus, tot verbis, ac participiis ad stuporem vsque vitiatis. *Summam* tandem etiam *verborum in philosophia grassatam esse crassitiem, & tam barbarorum verborum sartaginem*, declaratum iuit, vt verbosa non egeat demonstratione: qualem tamen instituit lectu haud iniucundam; dilucide ostendens, eos, qui pilosophiam professi sunt, *ne nomen quidem artis recte scribere*, *multo minus intelligere potuisse*, sicut nec terminos, vtpote ex Græca lingua desumptos. In horum numero refert *Ioannem Ianuensem*; ex cuius *Catholico*, quod vix dignum iudicat, quod alicui semidocto ludimagistro & semirustico adscribatur, diuersa adducit summæ ignorantiæ specimina, & *Etymologiarum monstra*, fœdiora multo iis, quæ supra a me sunt prolata. Extrema oratione colligit denique

deo. Ad quod Germaniæ noſtræ optatiſſimum ac felix ſæculum, his ita præmiſſis, progredior.

CAP. IV.

Zwingerus: *Melius fuiſſet, nullis, quam eiusmodi doctoribus uti. doctoribus enim nihil erat indoctius, litteratis nihil illiteratius, eruditis nihil ineruditius, & a rudi didaſcalo niſi rudior diſcipulus non poterat exſpectari.* & quamquam dolendum fuerit, tantis ſæcula illa circumfuſa fuiſſe tenebris, vt *inter mille, immo quatuor millia vocabulorum vix vnum fuerit repertum, cui non aliquid barbariei exſtiterit admixtum*; magis tamen dolendum cenſuit, *tot barbariſmos, tot ſolœciſmos ſuos nactos fuiſſe patronos, ſuos tutores, ſuos defenſores*, qui eos probarint ratosque habuerint. Si qui fuerint, quibus neque copioſa ac elegans Zwingeri oratio ſitim expleuerit, duas porro conſulant velim orationes, *Theod. Ryckii* alteram *de Palingeneſia litterarum*, induſtria cl. Ge. Nic. Kriegk. an. 1703 Ienæ recuſam: alteram *de Palingeneſia Studii Philologici a Chriſt. Henr. Ritmeiero* Helmeſtadii habitam an. 1698. quarum vtraque durisſima litteris tempora attinguntur. quæ etiam perſtrinxit *Sixtinus Amama* in oratione perquam erudita *de Barbarie* Franekeræ habita anno 1626, Helmeſtadii anno 1711 iterum typis exſcripta. Conſulant porro *Iac. Thomaſii* disſertationem de *Doctoribus Scholaſticis Latinis*, quæ prodiit an. 1676, & integra Nouæ librorum rariorum Collectionis faſciculo III inſerta eſt pag. 507. ſeqq.

CAP. IV.

Barbaries integro plus sæculo post Germania eiici cœpit, quam Italia penitus erat eiecta: quare Germanorum nomen huius ciui Io. Ant. Campano inimicum maxime fuit atque detestabile. Io. Regiomontanus, Georgii Burbachii *discipulus suo demum Germanos inuitauit exemplo ad Latinæ linguæ bonarumque litterarum cultum ex Italia petendum. Petiit hunc inde circa anno* cIↄ CCCC LXXVI Rud. Agricola, *vir de cuncta Germania præclare meritus: qualis laus etiam debetur* Rud. Langio, Westphalo, *cuius populares fuerunt* Alex. Hegius, & Ludou Dringebergius: *quorum ille Germaniam inferiorem; hic superiorem ad Latinam linguam diligentius addiscendam perduxit: ex cuius schola vna cum pluribus excellentissimis hominibus prodiit* Io. Reuchlinus; *cuius incredibilis in litterarum linguarumque studiis inter barbaros etiamnum Germanos stabiliendis & contra Colonienses sophistas defendendis suscepta cura atque pericula enarrantur; verbosa satis de fidelibus eius in eodem negotio vrgendo sociis facta mentione: quorum haud exiguo numero* Conr. Peutingerus, Io. Camerarius Dalburgius, Bilib. Pirckheimerus, *& complures alii gra-*

uisſimi linguæ Romanæ aſſertores fuerunt. huius vtilisſimum ſtudium ſubleuatum, commonſtratur ſummo Germaniæ Principum, Electorum, *atque ipſius auguſtisſimi* Maximiliani I, *quo litteratos dignati ſunt,* fauore. *qui in vniuerſa Europa communis tum & in Muſas ſingularis plane fuiſſe, oſtenditur : ita, vt* Germaniæ nobilitas, *Principum exemplo incitata,* litteratiſſima *exſtiterit : doctrinæ ſtudio propoſitis, & cum honore artiſſimo vinculo coniunctis* præmiis *magnopere adiuto; gratisſima inſuper* concordia *inter litterarum vindices conſtituta & tam bene confirmata, vt bona ſua inter ſe habuerint communia.* Ratio *denique, quam ſæculum iſtud* in Latina lingua ſordibus purganda *iniit, breuiter declaratur. hanc adinuenta a Germanis* libros typis exſcribendi ars *tam facilem reddidit, vt* Romani ſermonis *in Germania feliciter aſſerti* infantia ac pueritia *non ita multorum luſtrorum ſpatio circumſcribi poſſe videatur.*

VLtima *Ludouici Bauari* Imperatoris ætas, ſiue medium XIV ſæculi erat, quo *humaniora ſtudia, quæ integra nouem ſæcula, & eo amplius cum ſordibus & ſqualore ab Alarici tempore conflictata fuerant, reſpirare*

rare cœperunt, & e tenebris ſuis iterum emergere: quæ Ol. Borrichii verba (a), tantum abeſt, vt de Germania etiam noſtra intelligi queant, vt vix integro plus ſæculo poſt eiici inde cœperit barbaries. tam altas ibi egerat radices. Monaſteria enim & ſcholæ ieiunarum concertationum, minutarumque ſubtilitatum pleniſſimis perſonabant adhuc diſputationibus, quæ hominibus nihil, niſi dubitationes mouebant: quum Ariſtotelis philoſophiam in theologiam inferrent, & *Thomæ Aquinatis* & *Magiſtri Scoti* caſtra ſequi gregatim pergerent monachi: pro quorum doctrinis, tamquam pro aris ac focis, dimicabant, mirabilia vocabulorum in theologiam & reliquas diſciplinas ſimul producentes monſtra; quibus muniti omnes aduerſarios ſuos facile profligare poſſe ſibi videbantur, *Angelicorum* & *Seraphicorum* doctorum titulis inſignes; qui tamen ii erant, quorum ope temporumque infelicitate recta ſtudia proculcata iacebant, diuina theologia ad inutilem loquacitatem, meraſque nugas ac aniles ineptias relegata (b). quamquam in controuerſias ſuas boni & veri plerumque inaniſſimas,

(a) de Variis linguæ Latinæ Aetatib. Cogit. p. m. 23.

(b) Eleutherius Byzenus in Triumphi Reuchlini præfat. quam cum ipſo Triumpho reu. Io. Henr. Maius Reuchlini vitæ inſeruit p. 479 ſeq.

mas, ac diſtinctiones plane mirificas, anxia ſedulitate vim & acumen ingenii omnino maximum neceſſario effudiſſe iudicantur (c).

Accu-

(c) celeb. Perizonius in orat. de Doctrinæ ſtudiis contemptis, pag. 13. 14 elogiorum recenſet honores, quibus iſtius temporis theologos ornauerunt. confer perelegantem Ph. Melanchthonis orationem, quam 1518 de *Corrigendis Adoleſcentiæ ſtudiis* habuit: qua litterarum fata capitulatim exponit, præclara multa proferens, T. I Declam. p. 481: p. 486 ad barbara maxime ſæcula progreſſus, ita rem explicauit: *Deinde vſu res acta eſt, incideruntque homines quidam, ſiue libidine ingeniorum, ſiue amore litium ducti in Ariſtotelem, eumque mancum & lacerum, & Latine ſic redditum, vt etiam Sibyllæ furentis coniecturas exerceret: Huc tamen incauti homines impegerunt. Senſim neglectæ meliores diſciplinæ, eruditione Græca excidimus, omnino pro bonis non bona doceri cœpta. Hinc prodiere* Thomæ, Scoti, Durandi, Seraphici, Cherubici, *& reliqui, proles numeroſior Cadmea ſobole. Accedit inſuper, quod non ſolum contempti veteres ſtudio nouorum, ſed omnino ſi qui in eam ſupererant ætatem, ceu in Lethen ablegati perierunt, vt dubites, num alia re argutiarum auctores plus nocuerint, quam quod vecordes tot millia veterum ſcriptorum ad internecionem vſque aboleri paſſi ſunt. Talibus deinde ſemel iuris diuini ac humani poteſtas facta eſt, ex horum decretis inuentus erudiebatur.* nonnullis interiectis, addit: *Hæc ratio ſtudiorum annos circiter trecentos in Anglia, in Galliis, in Germania regnauit, vt ne quid interea dicam immodeſtius.* Plurima huc ſpectantia idem Melanchthon in non minus eleganti oratione de *ſtudio Artium dicendi* pronuntiauit eod. Declam.

Accuratam ſæculi eius, occupationumque, quibus tempus, rem cariſſimam, perdiderunt monachi, deſcriptionem dedit vir plurimum reuerendus Io. Fechtius (d): quam, licet lon-

Tom. p. 389: p. 415 ita loquitur: *quam aliam ob cauſſam Sophiſtæ ſacris libris ablegatis, nouum Theologiæ genus reperere quam quod illorum* (Patrum bonorumque ſcriptorum) *ſermonem, & diſſerendi rationem non aſſequebantur? Quorum exemplum ſi quem a barbarie non deterret, is fuſtuario, non oratione caſtigandus eſt. Fallitur enim quisquis verbis tantum, non etiam mente barbaros fuiſſe Theologaſtros iſtos cenſet.*

(d) in diſſert. Io. Reuchlini vitæ a cl. Io. Henr. Maio conſcriptæ præm. A. 5. 6. Eadem & multo plura eius generis leguntur in *Io. Zwingeri* paullo ante commendata, & iterum iterumque diligenter commendanda *oratione de Barbarie* ſuperiorum aliquot ſæculorum orta ex ſupina linguæ Græcæ ignoratione, pag. 91, ſeq. vbi multæ aliæ eiusmodi Quæſtiones, ab otioſis barbarorum ſæculorum ſophiſtis formatæ, percenſentur. quas non ſolum ſuperuacaneas, ſed impias etiam nuncupat Zwingerus, in quibus nihil præter arrogantiam, nihil præter nugarum ineptias, & amphitheatralem, ac velut hiſtrionicam verborum ampullatorum congeriem reperire liceat. Nam quum nemo fere Chriſtum noſſet, & chartæ iam obſoleuiſſent, quibus ſacra continebantur, Articulos condebant, quos mundus tamquam diuinas leges adoraret: ita, vt nihil pium eſſet, niſi quod illi ſomniaſſent. vid. Ph. Melanchth. Declam. T. I. pag. 412. Quæ quum ita ſint, quæſtionum & articulorum eiusmodi fabricatores ſimplicitatem fidei in curioſitatem diſputandi conuertiſſe, & ſi quid

longiorem paullo, si adscripsero, non ingratum me facturum puto lectori. *Erat barbaries ista sæculo XV ad fastigium quoddam deducta, regnabat linguarum omnium incredibilis contemptus, contemptus comes ibat supina rerum inscitia, nec quicquam amplius scholæ crepabant præter aptitudinabilitates, componibilitates, passionabilitates, susceptibilitates; differebant de dabilibus, verificabilibus, meliorabilibus, de singularizationibus, effectuationibus, infinitationibus, conceptibilitatibus, attingibilitatibus, dogmatibilitatibus; inquirebant subtilissime in homineitates, femineitates, menseitates, lapideitates, & id genus nominum rerumque portenta, quæ Democrito lacrimas, Heraclito risum, Prisciano lamenta cierent. Quærebatur in scholis: quantum fuerit dolium Diogenis? Quanti consti-*

adhuc superfuerit creperæ lucis, illud densiori nocte sepeliuisse, verissime *Sixtinus Amama* in *oratione de Barbarie* adfirmauit: addens, quæstionarios istos quotidie excogitauisse quæstiones nouas, inutiles, profanas, Prophetis & Apostolis adeo ignoratas, vt si illis lucis vsuram denuo indulsisset Deus, nihil minus futuri fuissent, quam Theologi. Illas vero quæstiones a Magistris in vtramque partem disputatas, ostendit, verbis & terminis tam obscuris & barbaris. vt Erasmus testatus sit, se magni nominis Theologum nouisse, qui negarit, IX annos iis duntaxat intelligendis sufficere, quæ *Subtilis Doctor* in Præfationem Magistri commentatus est.

conſtiterit claua Herculis? Quem pedem Aeneas prius poſuerit in Italiam? Num chimæra bombilans in mari comedere posſit nationes ſecundas? Si aliqua ſtola ſit quintupedalis, & ponatur, quod vna eius pedalitas vetuſtate conſumpta indigeat reſarciri, & reſarciatur, ita, vt ſit quidem tota ſtola benedicta, ſed ſi alio tempore alia pedalitas remoueatur, & reſarciatur, & ſic ſucces ſiue vsque ad quintam pedalitatem incluſiue, an illa ſtola etiam tota ſit conſecrata? An homo ob id non habeat caudam, ne impediatur ſesſio? An Lazarus teſtamentum ſuum ſoluerit reſurgens? An mus arrodens hoſtiam ſit excommunicandus? an a ſacrificulo deuorandus? an adorandus? Græcum aliquid noſſe, erat ſuſpectum, hebraice autem prope hæreticum. Latina exponebantur ridiculum in modum, & nouis ſordibus, quarum partem cl. Fechtius enumerauit, vndique contractis, fœdiſſime iacebant conſpurcata (e). Sermonis ſcilicet Latini elegan-

(e) cel. Perizonius c. l. Enimuero quum belli homines nullas tenerent litteras, vnde ſapere diſcerent, fatuam illam ſophiſticen pepererunt, cœperuntque rixari de commentitiis verborum compoſitionibus, ne non rhetoricarentur, quid interſit inter hæc *Papam vidi*, & *vidi Papam*. verba ſunt Ph. Melanchthonis Declam. T. I, pag. 412. vbi ſimul confirmat, *Pariſienſem* ſuo etiamnum tempore exſtitiſſe *articulum: Ego currit, male Latine dici, hæreticum eſſe, quisquis diſſenſerit.*

gantiam tanti non fecisse videntur *irrefragabiles*, *admirabiles subtilissimi*que doctores, veriti, ne *Realium* nomine, quod tantopere adfectabant, indignos se præberent, si id facturi essent: quam maxime a Cicerone dissentientes, qui illum, *qui veræ eloquentiæ det operam, prudentiæ dare*, existimauit (f). Reputare debuissent boni viri, de rebus constare non posse, si voces, quibus res significentur, non percipiantur; neque scriptorum sententiam diuinare posse lectores, si verba, quibus ea constet, non intelligantur.

Neque vero tum, quum *Fridericus III* regnaret, *XV sæculo* iam procedente, de bonis litteris euehendis diligentius multo cogitare cœpisse Germaniæ ciues, *Io. Ant. Campanus*, *Episcopus Aprutinus*, pluribus verbis declaratum iuit. Quem Pauli II Pontificis M. iussu cum legato Piccolomineo ad comitia Ratisponensia ab ipso isto Friderico III habita profectum, Germanorum mores ita abiecte tulisse, constat (ff), vt iniuriose admodum eos tractasse videatur: id quod his etiam verbis fecisse eum, arbitror (g): *Nihil tam fœtidum, quam Germania, adspectu omnia iniucunda,*

(f) in Bruto, cap. 6. (ff) vid. cl. Io. Burc. Menckenii de Io. Ant. Campani odio in Germanos declamat. quam Campani epistolis an. 1707, 8, ab se editis, subiunxit.

(g) lib. VI, ep. 46.

cunda, tactu refuga, olfactu grauiora : & vbi, inter ſaxa, montes feras profectum ſe, hominem vsquam offendiſſe, negat (h), totam *Germaniam vnum latrocinium* nuncupans, in qua ille inter nobiles glorioſior, quo rapacior. Verum quando ſcripſit (i), *ſe incredibilem ingeniorum barbariem in Germania reperiſſe*, quum rarisſimi litteras nouerint, nulli elegantiam: ita, vt metuendum ſibi fuerit, ne tam Latinus homo, quam ipſe exſtiterit, inter barbaros conſeneſceret, humanitatisue ſenſum amitteret: plurima monimenta grauisſimorum teſtimoniorum loco adducere eum potuiſſe, ego inficias non eo: quibus etiam confirmaſſe ſimul, videri ſibi potuiſſet, Latinas eleganterque ſcriptas orationes, quales Italia tunc legerit, Germaniam non cepiſſe (*). qua in re præter complures alios, quos inter ipſi Germanorum plerique, adſentientem ſibi habuit in præfatione eo nomine citatum *Archintum, Patricium Mediolanenſem*, quem Germaniam adeo barbaram vocare non dubitaſſe, cognouimus, horridamque, vt *Latinorum vocabula ignoraret* (**). At vero, vbi *Germanos perfacile libel-*

(h) ep. 54, eiusd. lib. (i) lib. VI, ep 2.

(*) lib. VI, ep. 18. 44. & ep. 2. eiusd. lib.

(**) præfat. Epiſt. Aen. Syluii præm. Ipſe Aeneas Sylulus non ita multo ante, quam Campanus Germaniam adiit, in epiſtola quadam de *Viennenſi*

libellos comparare, naturam bonis artibus imbuere nequaquam posse; & humanitatis studia eos tam attingere, quam capere non valere, adseuerare haud erubuit Campanus (k): an præter *Steph. Doletum, Bouhursium, Perraltum* & paucissimos alios, qui conspirata veluti ambitione in Germanici nominis inuidia ita consentiunt, vt clam, palam laudes Germanorum imminutum eant (l), adstipulan-

gymnasio scripsit: *Maximum huius vitium est, quod nimis diutinam operam in Dialectica, nimiumque temporis in re non magni fructus terunt. Qui Magisterii artium titulo decorantur, hac vna in parte maxime examinantur. Ceterum neque Musicæ neque Rhetoricæ, neque Arithmeticæ curam gerunt, quamuis metra quædam & Epistolas ab aliis editas, imperite exhibentem Magistrandum compellant. Oratoria & Poetica apud eos penitus incognita, quibus omne studium in elenchis est, vanisque cauillationibus, solidi haud quaquam multum. Qui libros Aristotelis & aliorum Philosophorum habeant, raros inuenies: Commentariis plerumque vtuntur. Ceterum studentes ipsi voluptati operam dant, vini cibique auidi. Pauci emergunt docti, neque sub censura tenentur, die noctuque vagantur, magnasque ciuibus molestias inferunt. Adhæc mulierum procacitas mentes eorum alienat.* An honestius in reliquis Germaniæ gymnasiis vitam eo tempore egerint scholastici, est, quod valde dubito.

(k) lib. IX, ep. 45.

(l) Bœcler. de Fato publico differt. in notis ad Vellei. Paterc. I, 17, 6.

pulantem ſibi quemquam inuenturus ſit, eſt, quod vehementer dubito.

Equidem mirari ſatis non queo, Campanum tam malam de Germanis habuiſſe opinionem; quum tamen ipſius iam ætate optime de ſe ſperandi dederint copiam: & *Beſſarion*, de quo nihil tam amplum dici potuiſſe, adfirmauit Campanus (ll), quod non longe diuinis ipſius meritis ſuperatum ſit, quum in omnibus rebus, quas capere humanum ingenium poſſit, longe maximus fuerit; æquiorem multo ingeniorum a Germania noſtra iam tum prolatorum ſe præſtiterit exiſtimatorem: vtpote qui Viennæ, quo a Papa miſſus erat, excellentiſſimum GEORGII PVRBACHII *in mathematicis artibus ingenium* cognoſcens, vt ſecum in Italiam demigraret, perſuadere ei non deſtitit, quo IO. REGIOMONTANVM ſecum deinceps abduxit, poſtquam Purbachius, fideliſſimus Regiomontani huius per decem circiter annos magiſter, in Italiam cogitans diem ſuum obierat. Ambos hos viros corruptum & acerbum plane iudicium, quod Campanus de Germanis ferre veritus non eſt, reſcindere ac irritum facere iam potuiſſe, arbitror. ſiquidem Purbachii nomen non Germani ſolum celebrabant, verum etiam Galli ac Itali vehe-

H men-

(ll) lib. VI, ep. 19, 32.

menter suspiciebant. cuius eximiam doctrinam Imperatores, Reges, Principes, Cardinales, Episcopi, & qui Campano instar omnium fuit, & quem superis æquauit, Bessarion, admirabantur. Talem virum Europæ dedit *Bauaria*, cuius cœlum ac incolæ delicato Campano tantopere sordebant, vt ad ipsum nomen eius subnauseasse se, iurarit. Dederat quoque iam Germania cultissimæ Italiæ NICOL. CVSANVM, *virum vita clarissimum, eruditione vndecunque maximum*, vt Auentinus eum nominat (m): quem ipsi Itali *profundæ scientiæ, subtilissimaque exercitatione limatæ, virum* nuncupare non dubitarunt; tanti doctrinam meritaque eius facientes, vt *Cardinalis* nomine atque honoribus dignum eum diiudicarint (n).

Ad *Io. Regiomontanum* quod porro attinet, quum is in Italiam abiisset cum Bessarione studioseque operam ibi dedisset, vt *Latinas litteras in studiis præsertim Mathematicis locupletiores redderet:* & tantos anni spatio in *Græca lingua* addiscenda fecisset progressus, vt versus Græce scriberet, & expedite in Græcis philosophis versari posset, illi, quorum

(m) lib. VII Annal. Boior. p. m. 663.

(n) Henr. Wharton Append. ad Guil. Caue Scriptor. eccles. histor. litterar. p. m. 88. conf. B. Rhenani ad Io. Reuchlin. epist. clar. vir. ad hunc epist. pag. 52. & seqq.

rum orationes Germanos capere posse negauit Campanus, Germano vsi sunt *præceptore:* cuius ingenii vim & eruditionem quum coram cognoscerent, stupebant. quandoquidem ipsum *Trapezuntium*, at quantum, cum Bauaro ex Campani sententia collatum, virum, errorum arguere potuit. Quum in Germaniam redux factus Regiomontanus libros, ex quibus Itali ingenium & eruditionem hominis magis magisque perspiciebant, emisisset, Pontificem *Sixtum IV* Romam eum arcessiuisse, memoriæ proditum legimus. Inuidebant scilicet Itali tanta decora Germaniæ: quæ vt perpetuo barbara, sola ex aduerso Italia omnium litterarum genere florentissima existeret, optare videbantur: dum Bessarionem patriam nostram indignam plane censuisse, nouimus, quæ tantum virum, quantus *Purbachius* fuit, ex se natum foueret (o).

Solam igitur *inuidiam* iniquum istud iudicium Campano extorsisse, puto: præsertim quum Regiomontanus in Italia diu versatus, & insigni Bessarionis beneuolentia vsus prius sit, quam Campanus in horridam Ger-

 ma-

(o) quæ de Purbachio & Regiomontano protuli, inuenies in Ph. Melanchthonis Declamat. T. III, pag. 252, seqq. & 281, seqq. vnde M. Adamus narrationes suas de vtriusque vita mutuatus est.

maniam abierat: ita vt *Purbachianum*, *Regiomontanum*, & *Cusanum* in primis nomen obscurum ei esse haud potuerit. Quid quæris? Campani ætate, ipso Italo in Germaniæ laudem id scribente (p), præter celeberrimos istos mathematicos architecti, pictores, statuarii, sculptores, & perargutæ manus artifices, aquileges porro, septempedariique mensores ex media petebantur Germania. Quod si Campanus æquum se præbere voluisset iudicem, communi sensu Germanos haud priuasset, spero, si diuinum tantummodo, vel *inusitatum & portentosum*, vt modo laudatus Italus id appellat, *typographiæ inuentum* cogitasset: quo Germania paullo ante beauerat Europam, quam Campanus eam adiuerat. Circa quod ipsum tempus *Huldericus Gallus*, siue, vti rectius quidam appellari eum putant (q) *Vldericus Han*, *Argentorato* oriundus, mirandam istam, nec vmquam visam Italis artem Romam attulisse dicitur: quem ipse Campanus noster eleganti hoc carmine ornauit (r):

Anser

(p) P. Iouius, Elog. p. m. 279.

(q) Melch. Adamus vitar. Germ. Philosoph. p. 2. conf. Auentin. Annal. Boior. lib. VII, pag. 667. & Mart. Crusius Annal. Sueu. lib. VII, P. III, cap. 2. p. 374.

(r) quod cl Io. Burc. Menckenius Campani carminibus inseruit, lib. VIII, n. 43. quum Ciceronis Phi-

Anser Tarpeii custos Iouis, vnde quod alis
Obstreperes, Gallus cecidit, vltor adest.
Hulderícus Gallus, ne quem poscantur in-
vsum,
Edocuit pennis nil opus esse tuis.
Imprimit ille die, quantum vix scribitur
anno,
Ingenio haud noceas, omnia vincit homo.

Quum igitur omnia ista reputare noluisse videatur Campanus, ne dignum quidem se gessit, eruditissimus ceteroquin vir, qui pluribus refutetur verbis, quod scripserit: *Germani comparare libellos perfacile* (*), *naturam bonis artibus imbuere nequaquam potuerunt. Gens victu aspera, inculta moribus, studio venandi, & militiæ barbaricæ dedita, quæ ad rapinam, quam ad iustum congressum multo etiam paratior, hæc studia humanitatis non tam non attingit, quam non potest capere. Ita mihi visum est, vt quum ceteris artibus magnos haberi & videri cupiant sese, barbari appellari non inficientur* (s). Huma-

lippicis ab eodem *Hulderico Han* impressis subiunctum id inuenisset.

(*) Benedictinorum in primis ordini singularem laudem deberi, quod in istorum temporum barbarie vetustos codices diligentissime custodiuerit, ostendit excellent. C. S. Schurzfleisch. disp. de vita Alberti III p. 165 in not. disp. est XXIX.

(s) lib. IX, ep. 45.

nitatis ſtudia Germanos capere omnino poſſe, Eginhartus, Lambertus Schafnaburgenſis, item Walafridus Strabo, Guntherus, Poetæ, & alii, dudum induſtria ſua oſtenderant: ipſa Rosvita Campanum id edocere potuit, qui tali tempore ingenium acuere tentabant, quo Italia iuſtiore barbariei laborabat nota, quam Germania Campano ætate ſua laboraſſe viſa eſt.

Neque vero huius iudicium tanti ego feciſſem, vt quicquam opponendum ei hactenus duxiſſem, niſi patriæ noſtræ, vt in omni elegantiore litteratura, ſic in Latini etiam ſermonis decore exſuſcitando, obortæ clarioris lucis initia duci inde oportere credidiſſem. Hoc enim felix illud tempus eſt, quo omnis liberalis doctrina in Germaniam tranſire cœpit, cuius nonniſi aliquam vmbram maiorum noſtrorum pauciſſimi viderant. quorum ætate qualis litterarum in Germania conditio fuerit, Io. Caſelius his declarauit verbis (f): *Incognitæ erant politiores litteræ, Latinus ſermo æque ac Græcus ignorabatur: illius erat quædam falſa vmbra in pretio, vſurpata & ab adumbratis eruditis, & a ſapientiæ ſtudioſis, quod ne verior quidem vmbra vſquam appareret.* namque id, quod Imperato-

(f) Prolegom. in Ethicorum Ariſtotel. Interpretat. conf. Laudat. Io. Alberti Ducis Megap.

ratores cum Marte in Germaniam antea intulerint, adeo pauxillum censendum existimauit excellentissimus vir (ss); vt Musæ isto tandem sæculo inuisere Germanos dignatæ, Alpibus transitis ad vlteriores gentes commigrauerint. quo facto, *ipsum Musarum sermonem Germanis non minus familiarem, quam vlli alteri genti, redditum deinceps esse*, lætatus est. Equidem laudatus *Regiomontanus* is fuisse videtur, qui popularibus suis digito quasi monstrauit, quam viam ingredi deberent, si meliores litteras coniunctis viribus in Germaniam deducere vellent. Florentissimam videlicet *Italiam*, quasi ludum quemdam, atque dicendi officinam, ipsis patere, exemplo suo docuit: quam adire eos oporteret, si proficere, & meliora addiscere cuperent.

Optimis auspiciis eam paullo post *Thomæ de Kempis*, præceptoris sui, persuasu adiit RVDOLPHVS AGRICOLA: qui promeruit, vt omnium *primus* existimetur, *qui Latini sermonis genus in Germania emendare cœperit, & rectam discendi Latineque scribendi rationem ciuibus monstrarit suis* (t). Summo certe eius studio factum est, quod ipse fu-

 tu-

(ss) διαγραφ. Magisterii Philosoph.

(t) D. Chytræus in Saxonia lib. V, pag. 80, & 131.

turum denique, ſperauit (tt), *vt Germani inſolenti Italiæ priſcam & occupatam propemodum bene dicendi gloriam extorquere tandem, & vindicare ſe cœperint; ab ignominia, qua ipſos barbaros, indoctos atque elingues, & ſi quid his incultius, eſſe, adhuc inclarant, exſoluentes.* Campanum etiam iudicii ſui tum pœnituiſſe, credo, quum *Agricola Ferrariæ* magna cum laude diſputauit, vtriusque linguæ auctores enarrauit, & orationes ſumma cum approbatione perorauit; cum *Guarino* ſoluta oratione certans, verſu cum *Strozii*. Præſertim vero tum, quum moroſe ac faſtidioſe iudicanti Italiæ non eruditione ſolum, & ſermonis genere, ſed actionis etiam venuſtate abunde ſatisfacere Agricolam cognouerit Campanus, honeſtius de Germanis ſtatuere eum cœpiſſe, credo: cunctæ ſane Italiæ ora ac oculos tum in ſe conuertiſſe Agricolam, legimus (u): & per ætatem ampliſſima-

(tt) in Epiſtola ad Rud. Langium, quæ reperitur inter Lucubrationes eius, quæ coniunctim prodierunt Colon. 1539, 4. pag. 178. & quam Herm. Hamelmann. orationi ſuæ de Doctis Weſtphaliæ Viris integram præfixit.

(u) Melanchthon. Declamat. T. II, p. 450, ſeq. vbi R. *Agricolæ vitam* deſcriptam inuenies: quam Georg. Pflugerus Nic. Friſchlini Orationibus ſubiunxit, quæ prod. 1618 Argent. 8. excerptam eam dedit Melch. Adamus inter vitas Philoſophor. p. 13 ſeqq. conf. etiam H. Hamelmann. Op. Hiſt. p. 106, ſeqq.

marum Agricolæ laudum ſpectator adeſſe omnino potuit Campanus. quem, quum Latinæ gloriæ in Germaniam penitus mox transituræ Italorum quosdam inuidiſſe, alios doluiſſe eam ac defleuiſſe, ſciamus (v), priorum numero fuiſſe, puto. Non autem fruſtra talia ſuſpicabantur Itali: nemo enim ignorat, acccidiſſe deinceps, quod Agricola haud temere ſperauerat (x), vt *Germania noſtra tam docta, tam litterata euaſerit, vt ne vel ipſum quidem Latium Latinius exſtitiſſe videatur.* Quid, quod ipſi *Itali* confiteri neceſſe habuerunt (y), hanc laudem Germaniæ ipſius iam Agricolæ nomine deberi, ſiquidem *Hermol. Barbarum* hoc epitaphium optimo Germaniæ ciui conſcripſiſſe nouimus:

H 5 *Inui-*

(v) M. Adam. c. l. pag. 15. Ex inuidia laboraſſe Italos, tum etiam vel maxime prodiderunt, quum criminis loco eſſe putarent, quo *Chriſtoph. Longolium* accuſare poſſent, quod a Germanis ſubornatus, ac in Italiam delegatus ab iisdem viſus ſit, vt optimos quosque libros deportaret ad *barbaros*, quo poſſent *cum Italis de principatu eruditionis contendere.* vid. Eraſmi Ciceronianus p. m. 389.

(x) in epiſt. ad R. Langium inter Lucubrat. Agricolæ pag. 178.

(y) Def. Eraſmi Adagior. Chil. I, Centur. IIII, p. m. 116, in Adag. *Quid Cani & balneo?* Idem iſtud Hermol. Barbari epitaphium Agricolæ ſcriptum cum multis aliis præfixum legimus ipſius Lucubrationibus.

Inuida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam, Phriſii ſpemque decusque ſoli.
Scilicet hoc viuo, meruit Germania laudis,
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Neque, ſi quis viri merita conſiderauerit, Agricolam ab *Alardo Amſtelredamo* veriſſime laudatum, non fatebitur, vbi *grauiſſimum* eum appellauit *auctorem* (z), *qui ſummam philoſophiæ ſcientiam cum hiſtoricorum eloquentia coniunxerit, vt in eo non ſolum hiſtoriæ fidem, verum etiam auctoritatem & iudicium ſanctiſſimi doctiſſimique philoſophi ſpectare valeamus, qui elegantium verborum delectum cum præſtantis argumenti exacta ſimul & dilucida enarratione coniunxerit.* Nec porro magno *Eraſmo* fidem quis detrahet, opinor, vbi ſcripſit (a), *Agricolam virum fuiſſe diuini pectoris, eruditionis reconditæ, ſtilo minime vulgari, ſolidum, neruoſum, elaboratum, compoſitum, ſed qui nonnihil reſipiat & Quintilianum in eloquendo, & Iſocratem in orationis ſtructura, vtroque tamen ſublimior, Quintiliano etiam fuſior, ac dilucidior. qui id, quod voluerit, præſtiterit, & qui Ciceronis, ſi huc animi vertiſſet ſtudium, figuram effingere*

(z) in præfat. Agricolæ de Inuentione dialect. lib. fin.
(a) in Ciceronian. p. 377.

gere potuisset: & vbi praedicauit (b), *Cisalpinum orbem Agricola nihil vnquam omnibus litterariis dotibus produxisse absolutius, quum inter Graecos Graecissimus fuerit, inter Latinos Latinissimus, & quum in carmine alterum Maronem dicere eum quis potuerit: cuius etiam vel extemporalis oratio adeo pura exstiterit, vt non Frisium quempiam, sed vrbis Romanae vernaculum locutum quis contenderet.*

Idque eo magis mirum cuilibet videri posse, & eo plus Germaniam Italiae debere, existimo, quo minorem ante Agricolae aetatem Latinae linguae cultum inter Germanos fuisse, hactenus cognouimus. Cuius ipsius etiamnum tempore tam corrupto sermonis genere vsa est Germania, tantaque litterarum fuit ibi adhuc inscitia, vt quid esset recte loqui, ne suspicari quidem possent Germani, immo, vt insulsitas etiam admirationem haberet (c); & vt ipse Agricola in oratione, qua *Innocentio VIII*, Pontifici Maximo, pro *Io. Camerario Dalburgio*, Vormacien. Episcopo, ac oratore *Philippi* Comitis Palat. Rh. gratulatus est, ingenue maxime, qua fuit modestia, profiteretur (d), *orationis gratiam & quemuis elo-*

(b) in Adag. Chil. I, Cent. IIII, p. m. 116.

(c) in vita Agricolae Declamat. Melanchthon. T. II, p. 447.

(d) Lucubration. p. 164. vbi integra reperitur Agricolae oratio.

eloquendi cultum atque splendorem ex homine Germano exspectari magnopere neque posse, neque debere. Qui illa etiam oratione, quam *Ferrariæ* anno cIↄ CCCC LXXVI coram *Hercule Estensi*, Ferrariensi duce, in Philosophiæ & reliquarum artium laudem habuit, non minorem præ se tulit modestiam, sic de se locutus (e): *Ego autem ad Oceanum, & prope, ad vltimos rerum naturæ terminos natus, quid est, quod ab isto Germanico horrore ingenii sperem hac in re vel nouum, vel his limatissimis auribus dignum posse proferri?* Protulit autem, vti paullo ante demonstratum est, & noua, & Italorum auribus dignissima; Germanorum vero inaudita plane: qui ipse de his popularibus suis ad *Ad. Occonem* scripsit (f): *Qui eruditi sunt, vel videri volunt, quotusquisque vlla artis præcepta attingit? aut si attingat, nonne tibi videris ad primum protinus* (operis de Inuentione dialectica) *conspectum audire, vnde nobis ex vltima barbarie* Anacharsis *iste, qui post Aristoteles, Cicerones, Quintilianos aliquid inuenturum se credat?* nam *balbos præter balba nihil tum intellexisse*, addit.

Quæ quum ita sint, neminem ne suspicaturum quidem, puto, eiusmodi continuo in Ger-

(e) ibid. p. 145.

(f) in epistola lib. de Inuentione dial. præf.

Germania poſt Regiomontani atque Agricolæ ex Italia reditum factam eſſe rerum commutationem, vt omnes vbique eruditi exemplum eorum ſecuti, ſermonis Latini vitia, quæ Agricola & auribus & animo ſentire prius cœperat, quam Italiam petiit (ff), deteſtati, melioremque ſtatim conſectati ſint orationis formam. Nam licet optimus Agricola noſter fortisſime cum temporum ſuorum iniuria decertarit, & ingenuas humanitatis artes toto niſu conatus ſit amplecti, relinquens poſt ſe, quæ non modo non ſpreuiſſent priores, ſed quæ poſteri etiam quam maxime probauerunt. ei tamen ad ſummam laudem obſtiterunt quædam (g) *regionis* ac *temporum*, quibus politioribus litteris vix honoris quicquam ibi habebatur, *infelicitas*, & nationis parum frugalis vita. Tantam enim barbarorum impuritatem atque horrorem ita occupaſſe tum Germaniam conqueſtus eſt Agricola, vt clamarint ac inſaniuerint eius eruditi, ſi modo eruditi vere appellari queunt, contumeliæ ducentes loco, quod auſus ſit Agricola *ſcita illorum conuellere, & conatus docere, pueros ipſos ſuperuacua ac deprauata, ſenibusque dediſcenda rurſum, didiciſſe*

(ff) vita Agricolæ in Decl. Mel. II, p. 447.

(g) Eraſmi Ciceronian. p. 377.

dicisse (h). Frequens nihilominus Wormatiæ auditorium habuisse se, ipse confessus est Agricola: verum eiusmodi homines operam sibi dedisse, addit, *qui propensius meliora studia cupiuerint, quam qui commode operari iis potuerint.* nam maximam auditorum suorum partem *magistros* aut *scholasticos*, vt appellabantur tum, fuisse adfirmat, quibus necesse fuerit, omne tempus *cauillationibus* suis impendere, & quibus angustissimum ac subcisiuum dumtaxat diei fragmentum quoddam in humaniora studia patuerit (i). Quum enim plerique loquaces & inani strepitu crepitantes artes sibi vendicare perseuerarent, & perplexis disputationum ambagibus, vel ænigmatibus potius, quæ tot sæculis, nullum, qui soluisset ea, inuenerant Oedipodem, diem tererent: miseras adolescentum eiusmodi rebus onerabant aures; & dum eas perpetuo ingerebant inculcabantque, meliorem in plerisque ingenii spem atque frugem, tamquam in herba, enecabant (k). Nimia scholasticorum istorum pertinacia offusum, timidius paullo opus aggressum esse Agricolam, fuerunt, qui opinati sunt (l). Ipse certe,

(h) Agricola in ep. ad Ant. Liberum Susatensem: Lucubrat. p. 175, & ep. ad Al. Hegium p. 186.

(i) ep. ad eumd. Hegium. (k) Lucubrat. p. 194.

(l) vid. Hamelmanni Oper. hist. p. 97.

certe, ea re, præsertim quum molliori fronte fuerit, factum esse perhibuit, vt *auditores minus potuerint, & magister segnius sit conatus*: quamquam se inarsisse nonnumquam, & bilem feruentioris stomachi quandoque acerbius effudisse, simul profiteatur. ita, vt haud Agricolæ culpa, sed sæculi vitium potius fuerit, si is inter Germanos suos tantum non profecit, quantum pro exquisitissima sua potuerat omnino eruditione, & pro præclara sua, omnique laude dignissima voluntate vehementer exoptauerat: & si Reuchlino & reliquis bonarum litterarum in Germania restauratoribus tantum sordium expurgandum reliquit. Qui postquam ex *Italia, vbi summus*, Erasmi testimonio, *esse potuisset, nisi patriam prætulisset* (ll), in Germaniam rediit, magnum litterarum damnum se fecisse doluit (m), quum ex eo tempore auctorum memoria labi, historia excidere sibi videretur, verborumque proprietas, copia, atque decor adeo defluere cœperit optimo viro, vt metuendum putarit, ne oratio sua horrida, disiecta, & incomposita denuo redderetur, propterea quod studiorum stimulus ipsi deerat in Germania, eorumque exactor atque socius. Omnia sua, & se ipsum ante omnia adeo sibi displi-

(ll) Erasm. Ciceronian. p. 377.

(m) Lucubrat. p. 187.

displicuisse tum, questus est, vt studiorum, si non amorem, vsum certe, & ob id ipsum amorem etiam paullatim in animo suo perire senserit. Non tamen Germaniæ fortunæ vel suo nomine gratulari non potuit Agricola: quem summi & illustres viri, qui plurimum apud *Maximilianum* Imperatorem gratia valebant, tanta prosecuti sunt beneuolentia, vt ipse ad fratrem suum *Ioannem* scribens, adfirmarit, eos summopere conatos esse, *Imperatoris familiæ ipsum inserere :* qui crebram idcirco apud eum fecerunt de Agricola mentionem, cum tanta rerum eius prædicatione, vt *se ipsum laudum suarum puduisse*, scribat (n). Neque male de Germania sua sperare licuit optimo, & de litteris optime merito ciui, quum præclaros quosdam viros tam laudabili exemplo excitatos, vestigia sua sequi, & ex diuersis patriæ prouinciis suppetias venire cognouerit.

Inter hos in primis fuit RVDOLPHVS LANGIVS, *Westphalus natione* , in templi Monasteriensis Collegio Præpositus. qui quum ingenio primum atque iudicio, multa deinde eruditione, & exacta Latinitatis cognitione eloquentiaque excelleret, & auctoritate simul polleret , Agricola ingentem istam , cuius in superioribus mentionem inieci,

(n) Lucubr. p. 184.

inieci, fiduciam de eo concepit, fore aliquando, vt Germania insolenti Italiæ occupatam bene dicendi gloriam extorqueret : quam ipsi *Itali* vltro concesserunt Langio : siquidem tum, quum Episcopi sui caussam grauiter aliquando ornateque coram Pontifice Romano perorasset, mira Germani hominis facundia non minus, quam Agricolæ lepore, obstupuisse eos, legimus. Quum igitur is æque, ac idem hic Agricola, eodem magistro *Thoma de Kempis* suasore in Italiam profectus sit, ibique meliorum litterarum studiis animum formarit suum, & in subleuandis deinceps per Germaniam litteris consors Agricolæ exstiterit : amplissimæ quoque ea re comparatæ laudis socius merito suo existimatur : qui *vna cum Agricola profligatis barbararum vocum tenebris, absurdorumque sophistarum libris scholis paullatim eiectis rectiorem discendi & Latine scribendi rationem Germanos docere cœperit.* Cui hæc insuper laus manet, quod ipsius Agricolæ & Alex. Hegii iudicio *primus Germaniæ Poeta* fuerit (o), ad veterum imitationem versus com-

 ponens,

(o) In hac laude, quæ *Conrado Celti* alias impertitur, R.° Agricolæ & R. Langio vindicanda H. Hamelmannus multus est in oratione sua de doctis Westphaliæ viris a pag. 109 - 111 Oper. histor. qui demum ita finit : *Stat firmum, & studia litterarum & simul poetices omnium primo a duobus Westphalis*

ponens, vulgari illo, ac rhythmico carminum genere, quod ſolum per tot ſæcula viguerat inter Germanos, exploſo: Vbi notandum id, quod Ph. Melanchthon diligenter obſeruare iuſſit Germanos (*): quemadmodum Romanis temporibus poetices contemptum incredibilis inſcitia rerum omnium, infantiaque ſecuta ſit: ita tum, *quum* eruditisſimi iſti Germanorum *verſiculos facere coepiſſent*, hos *cum melioribus litteris in gratiam rediiſſe*. Langius hoc nomine ab Hegio ita laudatus eſt:

iam ferre poetas
Barbarie in media Weſtphalis ora poteſt.
Langius hanc decorat, maiorum ſanguine clarus,

Mona-

(Langio atque Hegio) *& vno, qui eſt in vicinia Weſtphaliæ natus, & cum iſtis duabus familiaritatem habuit, exſuſcitata eſſe.* Hæc omnia firma ſtare poſſe, arbitror, ita, vt Celti quoque laus ſua ſarta ſimul atque recta conſeruetur; ſi nempe ſtatuerimus, eruditisſimis iſtis Weſtphalis laudi ducendum eſſe quam maximæ, quod poetices ſtudia ſuſcitauerint; *Conrado Celti* vero nomen *primi* in Germania *poetæ Imperatoris manibus coronati* deberi; qui ita de ſe ſcribit:

Primus ego titulum geſſi nomenque poetæ;
Cæſareis manibus laurea nexa mihi.

vid. M. Adami Vitæ Philoſophor. p. m. 29. ſeqq.

(*) Declam. T. I. p. 409.

Monasteriaci lausque decusque soli.
Primus Melpomenem qui rura in Westphala duxit.

Eiusdem huius Langii consilio bonarum litterarum, ac Latinæ cum primis linguæ, purius nitidiusque ad veterum imitationem elaborandæ, *scholam* exeunte *sæculo XV Monasterii* apertam esse, scimus (p); Coloniensibus & reliquis insitæ barbariei patronis contra frementibus, tot sæculis vsitatam instituendæ iuuentutis rationem, libellosque adhuc in scholis tritos retineri, nouas ex aduerso mutationes, & studiis & disciplinæ periculosas caueri oportere. Quam sententiam ineptam plane, consilium vero suum sanum esse prudensque, & re ipsa & grauissimo Italorum testimonio confirmauit Langius, & ita denique vicit, vt paullo ante obitum suum, quum quædam Lutheri scripta legerat, tamquam verissimus vates prædixerit: *Iam tempus instat, vt tenebræ ex ecclesiis & scholis extirpentur, & redeat puritas in ecclesias, & mundities Latini sermonis in scholas.* Quum ædes eruditissimi prudentissimique Præpositi doctorum hominum per bene multos annos ex-

I 2 stitis-

(p) Dau. Chytræus, Saxoniæ lib. III ad an. 1497 seq. p. m. 80. edit. Lips. 1611. conf. H. Hamelman. Op. histor. p. 97 seqq. p. 257 seqq. inuenitur *Oratio*, quam idem Hamelm. *in laudem R. Langii* conscripsit, eaque perelegans.

ſtitiſſent receptaculum, complures periti admodum euocati ſubinde ex iis ſunt ludorum, pasſim in cuncta Saxonia inſtituendorum, moderatores. quales Monaſterienſi etiam Langii conſiliis fundatæ ordinatæque ſcholæ præerant; quorum fama bonarum litterarum cultores permoti, ex longinquis maxime locis eo confluxerunt.

Ipſa tamen hac ſchola politiorum litterarum ac linguarum ſeminarium, quod *Dauentriæ* conſtitutum erat, antiquius fuit. Hoc non ita multo ante citatus ALEXANDER HEGIVS triginta circiter annos optime adminiſtrauit: quem Langius cuius popularis, & in eadem Dauentrienſi ſchola condiſcipulus is antea fuerat, præſtantisſimis libris misſis vrgere non deſtitit, vt exſtirpata barbarie diſcipulos ſuos humanioribus litteris erudire perſeueraret. Quum igitur genuinus Agricolæ fuerit diſcipulus, nec minus ſegniter, vt barbaries profligaretur tentarit Hegius, in laudum, quas vtrique iſti Rudolpho deberi vidimus, ſocietatem iure venit, dum magnam omnino eorum meritorum partem eſt adſecutus, & nihil plane in eo, Eraſmo teſtante (q), reprehendi potuit, niſi quod famæ plus

(q) Chiliad. I, Cent. IV Adagior. p. 116. Adag. *Quid Cani & balneo?* & in Ciceronian. p. 377. conf. Hamelmann. op. hiſt. p. 94 ſeqq.

plus æquo negligens nullam posteritatis habuerit rationem: eruditus ceteroquin vir, sanctus atque facundus. Quantopere Agricola Hegium hunc suum dilexerit, quantamque de ipso conceperit spem, & quam fidelis etiam præceptoris munere & in Hegio & in aliis per litteras docendis perfunctus sit, plurimæ eius declarant epistolæ: quarum vna confirmauit (r), *se, Hegium quotidie politiorem limatioremque fieri, intelligere, & in summam eapropter adduci spem, litteras cultiores aut ipsius Hegii ductu, monitis ac institutione, aut nullius præterea viribus, in Germaniam peruenturas, & arcem aliquando occupaturas.* Qua in re optimum vatem sese præbuit Agricola, quandoquidem longe excellentissimos viros, optime de litterarum studiis suscitandis promeritos, ex Hegii schola prodiisse, infra patebit. præterquam quod *Westphali* Hegii maxime atque Langii, optimorum ac eruditissimorum ciuium, exemplo certatim inducti videntur, vt barbariem ex Germania penitus profligatum irent.

Quod quum ita sit, *Herm. Hamelmanno* materia deesse non potuit, quum *de quibusdam Westphaliæ viris scientia claris, qui, explosa barbarie, puritatem Romanæ linguæ toti Germaniæ attulerunt,* orationem conscripsit

 suam

(r) Lucubrat. pag. 185, conf. 187 seqq. & p. 193.

ſuam (s): cui etiam alia præterea oratione oſtendere facile licuit, *quomodo hominibus Weſtphalis potisſimum debeatur & adſcribendum ſit, quod Latina lingua & politiores artes per Germaniam ſint reſtitutæ* (ſ). Quam Weſtphalorum laudem ab obliuione atque ſilentio hominum quam maxime vindicatam voluit *Dau. Chytræus* (sſ); & *Eraſmus*, etiamſi Weſtphalus populus rudior vulgo haberetur, multos tamen ſummis ingeniis minimeque vulgari doctrina præditos viros eum dediſſe, faſſus eſt; quum nullum mortalium genus aliud laborum patientius, quodque fide & morum ſinceritate, ſimplici prudentia & prudenti ſimplicitate magis commendandum putarit. Multa porro, quæ ad Weſtphalorum laudem, litterarum ſtudiis, & ſingulari Latinæ linguæ cultu partam pertinent, idem Hamelmannus ſex iſtis libris protulit, quos *de Viris ſcientia, virtute, pietate & ſcriptis illuſtribus; qui vel Weſtphali fuerunt, vel in Weſtphalia vixerunt*, conſcripſit (t). Qui in *Apologia* etiam *pro Weſtphalis contra Iuſti Lipſii calumnias* idem iſtud argu-

(s) Lemgou. 1563. inter Opera eius genealogico-hiſtorica, quæ nuperrime, ab Ern. Caſim. Waſſerbach collecta, prodiere, ibid. 4. pag. 85, ſeqq.

(ſ) Lemgouiæ a. 1580. p. 315 ſeqq. Oper. hiſtor.

(sſ) Saxoniæ ſuæ lib. III, p. 75, & 81.

(t) 1564. p. 131 ſeqq. Oper.

argumentum attigit (tt). Huc denique spectant binæ eius *orationes*, vna *de Rodolpho Langio* (u), *de Herm. Buschio* altera (v): vtroque Westphalo. Eiusdem nationis viros etiam aliquot, qui non vulgari doctrina præditi, de bonis litteris & pueritia in *Cisueseranis* prouinciis circa medium *sæculi XVI* cum primis bene meriti existimantur, *Io. Caselium* Epistola quadam ad Io. Reccium data (x) laudasse neminem fugit: quum ea semel atque iterum recusa in omnium sit manibus (y). quorum nonnullos vt in sequentibus nominem, rerum temporumque postulabit series.

Integro enim fere sæculo ante, eodem scilicet tempore, quo Hegius Dauentriæ docebat, ex eadem Westphalia *Selestadium*, superioris Germaniæ oppidum, emigrauit LVDOVICVS DRINGEBERGIVS: ex cuius schola, quam R. Agricolæ consilio ibi aperuit, longe excellentissimi & celeberrimi

(tt) 1591. p. 1382. (u) 1580, p. 257.

(v) pag. 279. Eamdem H. Buschii vitam ab Hamelmanno conscriptam Io. Goes Opusculis de Westphalia, Helmst. 1668. 4. editis, inseruit p. 29.

(x) Helmst, 1600. 4.

(y) Eam enim Io Goes modo citatis opusculis inseruit p. 165. & nuper admodum eamdem denuo emisit Reinh. Henr. Rollius in Memor. Philosophor. Dec. I, p. 437 seqq.

progresſi ſunt viri, qui optimarum artium ſcientiam & elegantioris præcipue Latinitatis ſtudium per ſingulas ſuperioris Germaniæ prouincias diſſeminarunt (z). Quid enim, quæſo, Germania noſtra celebrius habuit *Io. Reuchlini*, ſiue *Capnionis*, *Io. Camerarii Dalburgii*, *Conr. Celtis*, *Henr. Bebelii*, *Beati Rhenani*, *Io. Sapidi*, *Iac. Wimphelingi*, *Bilibaldi Pirckheimeri*, nominibus. Optimi enim hi Germaniæ ciues, Rud. Agricolæ in primis, cui ſuperſtites erant, & quem communem ſuum venerabantur præceptorem, conſilio & exemplo inflammati, melioris litteraturæ hoſtes magno animo coniunctisque viribus in ſuperiori Germania aggresſi ſunt, quibuscum *Vlr. Huttenum*, *Hermannum Comitem Nuenarium*, alios, conſilia ac arma ſua deinceps conſociaſſe, audiemus.

De quorum ſingulorum præclaris in Latinam linguam aſſerendam meritis quum ſtrictim agendum decreuerim: primus locus IO. REVCHLINO, *Phorcenſi*, deberi videtur: cui ipſius gloriæ neminem ſociorum iſtorum, reliquorumque amicorum, inuidiſſe, præconia, quibus certatim ornatum eum

(z) H. Hamelmann. in vita H. Buſchii Op. hiſt. p. 285. & in Goes. Opuſc. p. 32. conf. Eraſmi epiſt 10 lib. XXIII, p. 1260, edit. Lond. & D. Chytræi Saxoniam, lib. III, p. 76, 81.

eum iuerunt, abunde declarant, qualia qui cognoſcere cupiuerit, ei quam plurima ſubminiſtrabunt *clarorum virorum ad ipſum Reuchlinum Latine, Græce atque Hebraice ſcripta*,& a *Io. Hillebrando*, cui iſtas tradiderat Reuchlinus,emiſſæ *Epiſtolæ:* qualium deinde nouus liber ſecutus eſt. iſtarum vna Henr. Bebelius confirmauit Capnioni (a) eam de ipſo famam tum fuiſſe apud omnes Germaniæ bonarum artium ſtudioſos, vt ipſum coluerint, amauerint, & venerati ſint, quaſi aliquod *numen a ſuperis in hanc terrarum calamitatem elapſum:* nihil enim rarius iſta tempeſtate eſſe potuiſſe, addit Bebelius,quam virum adeſſe in noſtra Germania,qui *Græcam linguam calluerit, & cui Latinus ſermo tamquam natiuus famulatus ſit.* Conr. Leontorius, poſtquam *quinquilinguem Sueuum* eum nuncupauerat, Romano Tullio ipſum nonmodo æquauit, ſed prætulit : qui ex tanta barbarie in tantam eruditionem emergere valuerit (b): & qui feliciſſimo auſpicio in lucem editus videri potuerit, quique Germanum nomen barbarum adhuc exiſtimatum immortali illuſtrarit gloria : & in quo denique tantum optimarum artium, tantum eloquentiæ, & tanta non Latinarum ſolum, ſed

I 5 Graia-

(a) pag. 32, b. edit. Tigur. Froſchouer.

(b) p. 44.

Graiarum etiam Musarum familiaritas fuerit, vt nec ipsi barbari venerari ac obseruare eum non potuerint. Alii *litterarum decus & asylum*, *Germaniae*que *dexterum oculum* appellarunt nostrum Reuchlinum (c): *litteratorum caput & columen* alii (d); qui perinde ceteros superarit, vt stellas restinguere soleat *exortus aerius sol.* Huc illa elogia pertinent, quae Erasmus ei impertiuit, & quando *totius Germaniae vnicum decus*, & *ornamentum incomparabile* eum vocauit, testatusque est (e), omnem Germaniam Reuchlinum ceu *Phoenicem* & vnicum suum decus suspexisse, quum trium linguarum, *Graecae*, *Latinae*, & *Hebraicae* pene *ex aequo* peritus, ad haec, in nullo non doctrinae genere versatus fuerit, ita, vt cum primis certare potuerit. Erasmum in insigni hac laude Reuchlino suo tribuenda nihil amori dedisse, *Henr. Stromer. Aurbacchius* eruditissimus aeui sui medicus, testatur quasi, vbi doctum eruditorum exercitum non minus recte, quam vere iudicasse, censet (f), Reuchlinum vniuersam *Germaniam* atque etiam *Latium*, Graeco, Latino, & Hebraico sermone, *tribus summis eloquiis*, *illustrasse*. quippe qui bonas litteras marcescentes in pristinum nitorem sustulerit; quique

(c) p. 46, b. (d) p. 52. (e) ep. 1, lib. 2, p. m. 94.
(f) lib. II illustr. viror. ad Reuchlin. z. 4, a.

que solus omnibus Germanis ingenii decus & gloriam prætulerit, & patriam litteris vbique gentium ornauerit: atque ita a Melanchthone *Germanorum studiorum antesignanus* vere nominari potuit; cuius singulari studio, in Germano homine inusitato, ipse *Fridericus III* Imperator valde delectatus esse dicitur (ff).

Nec vero quicquam Reuchlini laudibus Camerarius detractum voluit, vbi eum *elegantioribus litteris penitus excultum fuisse* negauit (g): nam præterquam quod statim addidit summus vir, *ipsum tamen doctissimum hominem fuisse, liberaliumque disciplinarum cupi-*

(ff) Melanchthon in præfat. quam claror. viror. ad Io. Reuchlin. epistolis præmisit: vbi de his ita loquitur: *Germaniæ nostræ clarius contingere nihil potest, quam si auctore Io. Reuchlino exterarum gentium monimentis laudetur splendide. hoc namque epistolæ istæ fere omnes notantur argumento.* vid. eiusd. Melanchthonis Declamat. T. III, p. m. 295. vide M. Adamus omnia, quæ de Capnione in Vitis Philosoph. p. 37 seqq. profert, desumpsit. Integram Reuchlini vitam ex eisd. declamationib. desumptam vna cum R. Agricolæ & D. Erasmi vitis Nic. Frischlini orationibus subiunxit Georg Pflügerus: quarum vitarum ipsum Pflügerum auctorem esse Teisserius in Catalogo auctor. & bibliothecar. tradidit, idque cl. Morhofio persuasit, Polyh. litterar. I, c. 19, § 37 vbi Reuchlini vitam, quam a Pflügero scriptam dixerit Teisserius, se vidisse negat.

(g) in vita Ph. Melanchthonis p. m. 19.

cupidisſimum : res ipſa pro Reuchlino loquitur, Melanchthonis, de quo ſermo eſt Camerario, vbi id ſcripſit, ætatem in feliciora multo, quod ad litteras attinet, incidiſſe tempora, quibus & ipſi Melanchthoni & Camerario ad maiorem in elegantioribus litteris peruenire licuit ſcientiæ gradum, poſtquam tot eruditi viri viam ipſis communiuerant, ſalebris remotis : absque quorum opera ſi fuiſſet vterque, valde dubito, an eo adſcendiſſent. quemadmodum ipſi Melanchthoni veriſimile viſum non eſt (*), pingendi arti tantum ab Apelle venuſtatis gratiæque adiici potuiſſe, niſi fingendorum lineamentorum rationem multo ante oſtendiſſent ii, qui primum μονοχρώματα deinde & κατάγραφα pinxerunt. Idem reputauerit is, qui illud Eraſmi de Reuchlino iudicium legerit (h): *Germanorum eruditorum princeps eſt Capnion: Vir magnus, ſed oratio redolebat ſuum ſæculum adhuc horridius impolitiusque.* Ad talia iudicia ipſe Reuchlinus in anteceſſum quaſi reſpondiſſe videtur his verbis (i): Scripta mea erunt *aliis forſitan melle & lacte nutritis, propter incultum dicendi genus, ama-*

(*) Decl. T. I, p. 399.
(h) Ciceronian. p. 379.
(i) quæ leguntur in præfat. lib. III Rudimentor. Hebr. Phorce in ædib. Tho. Anshelmi an. 1506. in fol. impr.

amara. qui secum cogitent omnem auditoribus orationem esse commodandam, non mihi vitio dabunt, quod vernis vernacule loquor. Nam qui fieri potest? vt per insuetum loquendi morem & domi paratam, adque lucernas elaboratam dictionem rudes facile doceantur, quibus tum esset opus ad praeceptoris eloquentiam plus animum aduertere quasi ad sphingis aenigmata, quam ad eius illa ipsa praecepta. Longe rectius me iudice sensit Aristoteles, in disciplinis doctorem oportere per vsitatissimam sermonis consuetudinem & nobis notiora quaeque procedere. Dedita igitur opera soloeco saepe & barbaro sum vsus ad quorumdam vocabulorum proprietatem explicandam. Huc accedit tamen, quod & senecta, & barbarorum quotidiana conuersatio non solum linguam hebetat, sed et stilum obtundit. quibusdam interiectis ita pergit: *& haec erat vna ex caussis non parui momenti, vt putarem mea singula viris politioribus litteris praeditis explosa fore, quod cernerent in eis nullum florem, nullam comitatem. sed omnia triuialia & inurbana quaeque.*

Vt appareat quodammodo, vnde evenerit, vt Reuchlinus primis annis sub laudato *Dringebergio*, & *Ioanne Hiltebrando* patriæ scholæ moderatore, atque *Georg. Symlero* in bonis litte-

litteris educatus, doctrina, linguarum notitia eloquentiaque tantum postea valuerit, ipsius iterum verba apponam (k): *Posteaquam anno*

(k) ex præfatione lib. I eorumd. Rudimentor. ad Dionysium fratrem: cui singulos tres Rudimentorum istorum libros peculiaribus eisque verbosis satis dedicauit præfationibus: quæ singularem in istum ostendunt amorem: in epistola fini III libri subiecta ita ad eumdem fratrem scribit: *tandem motus ego, Dionysi amatissime, postquam ad percipiendam Græcorum linguam annis superioribus te puerum adiuncto pædagogo Florentiam, tunc optimarum litterarum altricem, non sine meo magno impendio trans Alpes e Sueuia misi, quatenus biennium penes egregia sanctitate virum illum Georgium Vespucium assiduus mensæ suæ ac hospitii socius, Angelum Politianum, Marsilium Ficinum, & Demetrium Chalcondylen, ceterosque doctissimos homines quotidie audires, nolui etiam huic decori tuo deesse, quin Hebraica nunc sacerdos addisceres: præsertim quum nostrates Iudæi vel inuidia vel imperitia ducti Christianum neminem in eorum lingua erudire velint.* Præclaram vero etiam exquisitissimamque, vt omnia diuini ingenii monimenta, produnt eruditionem, & multa de excellentissimi viri studiis satisque nos edocent; ita vt idem de his præfationibus dici posse mihi videatur, quod Cicero olim de Euripidis versibus dixit: *singulos eius versus singula eius testimonia puto* immo ego singula præfationum istarum verba non tantum singula puto testimonia, sed *pondera.* in primis inuidis istis hominibus, quos *Dictionarium* suum Hebraicum taxaturos præuidit, quod multorum interpretationes censere atque perstringere in eo ausus sit, quam prudentissime re-

anno ætatis meæ duodeuigesimo Prisciani Cæsariensis litteraria studia in schola Parisiorum aggressus sum. biennio post apud Rauracos dictionarium collegi. quem appellaui Breuiloquum. eo tempore atque eodem Basileæ cis Rhenum in loco sub Andronico Contoblaca natione Græco linguam Græcam didici. quam elapsis inde quatuor annis inter Gallos primo apud

spondisse mihi videtur: *Quamquam Hieronymum sanctum veneror vt angelum, & Lyram colo vt magistrum: tamen adoro veritatem vt deum.* Valde etiam memorabilis est *Georgii Symleri* ad *Thomam Anshelmum epistola* calci operis adiecta: cuius finis hic est: *Propter librariorum quorumdam temeritatem in iuratissimos quosque auctores perditissime libidinantem; qui spe lucri ab archetypis diuersiss. tumultuantur opera. ne sycophantæ illi, chartariæ simiæ, operi nostro supparasitantes identidem molirentur. iussit* (Reuchlinus) *in calcem libri suppingi ex munificentia imperatoriæ maiestatis, quibus donatus est, arma sublustria* (insignia), *qua in re certiores reddantur amœnitatis Hebraicæ studiosi, a codicibus vti abstineant, qui non illis muniti fuerint insigniis* (insignibus) *perinde ac spuriis atque ex mera danistarum libidine opera furtiua & subsecundaria perditiss. quoque litterarum iactura abortatis* Opus hoc, quum nuper admodum salsamentario discindendum quis tradere vellet, ab interitu vindicaui, non vbiuis obuium. quod Reuchlinus, quum, vt G. Symlerus in citata epistola confirmat, *Phorcen reuisens, in manus hilariter ingenti cum illecebra, ceu vigilias suas, recepisset, velut paruulo auctus filiolo, salutariter est exosculatus.*

apud Genabum, quas nunc Aurelianas vocant, seminaui. vbi tempore protracto & Iuri Ciuili dedi operam, & fui a doctoribus honore Papinianistarum decoratus. An. M CCCC LXXIX. Vide, mi frater, quanta circumspectione vitam duxi. Nam vniuersam stipem quam discendo impendi: docendo acquisiui. simul enim & didici Latinorum iura & docui Graecorum praecepta. de quibus tunc artem grammaticam Graece conscripsi: cui titulus extabat Micropaedia. eam anno post Pictonibus Galliae Aquitanis publice legi atque illic in Iure Ciuili Cathedram merui. Regressus inde in Sueuiam vxore mihi ducta sumpsi Doctoris insignia. populares caussas apud tribunalia & iudices exercens. Quumque me ad serenissimum Imperatorem Fridericum tertium (legasset) *inclytus princeps Eberhardus Probus, is qui postea in splendidissimis Vangionum Comitiis a Max. Aemiliano Romanorum rege vno imperii consensu Dux primus Wirtenbergensium auctoratus est. de cuius patriciis ego quoque Consul eram. Tum reperi ea in legatione Iudaeum doctum simul atque litteratum nomine Iacobum Iehiel Loans imperiali munificentia & doctorem Medicinae & Equitem auratum. Is me, supra quam dici queat, fideliter litteras Hebraicas primus edocuit. Post vero legatus Rhomam ad Alexandrum sextum, qui reliqui*

liqui fuerant ea in lingua canones. eos a Cesinatensi Iudæo scilicet Abdia filio Iacobi Sphurno petiui, qui me quotidie toto legationis tempore perquam humaniter in Hebraicis erudiuit non sine insignis mercedis impendio. Quod idcirco, germane frater, ad te scribo, vt animaduertas, & sæpius cum tua mente reuoluas, quantis laboribus, temporibus, & impensis Hebraicæ linguæ sola initia sortitus sim. Alibi ad eumdem fratrem suum sic scripsit (1): *De præceptoribus meis hanc rationem affero. non me piguisse, vllo tempore abs quolibet Iudæo semper aliquantula corradere, quæ ad doctrinam aliquam librorum Hebraicorum conducerent. Sicut enim non apud Ionas neque vlla in Græcia, sed Basileæ primum ab Andronico Contoblaca. deinde Parisii a Georgio Hermonymo Spartiate, post Romæ ab Argyropylo Byzantio publice in Vaticano Thucydidem legente Xysto IV Pontif: ad extremum Florentiæ Mediolaniique a Demetrio Chalcondyle, Græcorum linguam frustillatim & quasi micas de mensa domini cadentes accepi. connumerarem illis Hermolaum Barbarum Innocentio VIII insignem & mei amantissimum. nisi plus ex eo Romæ Latinitatis, quam Græcitatis, hausissem. ita Hebraicam ego quoque ac sanctam linguam non Hierosolymis, neque in* K *publi-*

(1) præfat. lib. III Rudiment. pag. 547 seq.

publicis ſynagogis: ſed a litteratisſimis Hebræis penes Cecios quidem Iacobo Iehiel Ioans. in Latio autem Abdia Ceſinate atque alias a ſingulis ſingula expiſcatus ſum.

Hactenus Reuchlinus: cuius verba quod attulerim, tibi non ingratum fore, confido, lector; quum inde breuiter cognoſcere queas, ex quorum ſchola tantus Germanorum doctor prodierit. comprobatur ſimul iis, tamquam grauisſimo teſtimonio, id quod ſupra adfirmaui, Germaniam Latinæ in primis linguæ cultum Italiæ debere. Neque immerito huius palæſtræ optimarum artium nutrices habebantur tum, non Germanicis modo, verum totius orbis palæſtris anteponendæ (ll) quas qui non frequentauerat, nec Italorum diſciplina emendatus fuerat, eruditus recteque inſtitutus haud exiſtimabatur (m). quali opinione per integrum XVI ſæculum fuerunt Germaniæ eruditi, *Italos* eam iudicantes nationem, a qua humanitatem acceperint Germani, & quæ *antiquæ ſapientiæ cuſtos* ſemper fuerit atque *procuratrix.*

(ll) cl. viror. ad Reuchlin. epiſt. p. 13. (m) vid. præf. Conr. Peutingeri Sermonib. Conuiu. præm. & Io. Caſelii διάσκεψιν, quas gentes potisſimum adire debeant, qui doctrinæ virtutisque gratia peregrinari animum induxerunt, lucubrationi eius, quæ Κερσιάδης inſcripta eſt, adiuncta Helmſt, 1609, 4. & ſeparat. 1618, 8.

trix. Regiomontanum certe, Agricolam, Langium atque Reuchlinum multum Italiæ acceptum retulisse, humaniora studia inde in Germaniam deducentes, hactenus cognouimus.

Pluribus de reliquo verbis referre nihil attinet, quantopere Reuchlinus Germaniam sibi deuinxerit, quod omnium primus *Hebraicam linguam* grammaticorum more Christianos docuerit, siue *legibus*, vt ipse loquitur, *manciparit Latinis*; sic, vt primus post Hieronymum, vndecim ferme sæculorum spatio interiecto, Hebraicas litteras tanto restituerit studio, vt, qui alter *Hieronymus* appellaretur, dignus sit diiudicatus (n). Neque referre porro attinet, quanta cum laude in *Græcis litteris*, sine quibus neminem politum satis censeri posse, arbitratus est, resuscitandis, & in saniori harum ope producenda *philosophia*, sit versatus. quanta etiam cum nominis sui celebritate doctoris in *iurisprudentia* sustinuerit titulum. Neque denique instituti ratio pluribus verbis declarare patitur, Reuchlinum tam egregiis linguarum subsidiis instructum, eum ipsum esse, qui in *religione*,

(n) quum opus in se susceperat, quod ante ipsum tentauerat nemo inter Latinos, sperare omnino poterat, *se inde gratiam haud mediocrem & apud posteros laudem absque inuidia non intermorituram consecuturum fore*. præfat. lib. I Rudiment. Hebr. præm.

gione, a superstitionibus, Monastici regni, vt Melanchthon eas nominare consueuit, neruis, falsisque traditionibus purganda, facem beato *Luthero* prætulisse, merito suo existimetur. siquidem ipse Lutherus ad Reuchlinum, quem *præceptoris sibi venerabilis* nomine compellauit, vltro professus est (o), *in huius ipsius firmitate non parum taurorum istorum cornua fracta esse: idque Dominum egisse in Reuchlino, vt tyrannus sophistarum & tardius & mitius veris Theologiæ studiis resistere, & Germania respirare cœperit.* Erasmus etiam postquam in epistola quadam ad Wolfg. Fabricium Capitonem (p) declarauerat,

(o) lib. II epist. illustr. viror. ad Reuchl. c. 3, b. & M. Crus. Annal. Suev. P. III, lib. X, c. 7. p. 569.

(p) Ep. 4, lib. I, p. 13. Temporum istorum *theologiam* egregie plane adumbrauit Bilib. Pirckheimerus in epistola apologetica Luciani Piscatori præfixa, cuius verba hæc sunt: *Absque deprauata illa* (dialectica s. sophistica) *concertatione, ac argutiarum fuligine sanctissimam Theologiam consistere minime posse, existimant. hinc est, quod vetus testamentum negligitur, nouum quasi idiotis scriptum vilipenditur. Apostolorum doctrina vix lectione digna putatur. Hinc diaus Hieronymus tamquam grammaticus contemnitur, beatus Augustinus etiam ignorantiæ damnatur, quem dicaculi illi nec argumenta sua, si in vitam reuerteret, intellecturum somniant, non propter rudem illam & insignem barbariem, sed quia instantiarum, relationum, ampliationum, restrictio-*

uerat, quid fuerit, cur in re Theologica emendanda tantum negotii oblatum sit: quod hanc scilicet ad suam vsque ætatem homines professi sint, qui a melioribus litteris pertinacissime abhorruerint, quique istam suam inscitiam eo felicius tueri consueuerint, quod id fecerint pietatis prætextu. rem tamen successuram denique, confidere se, ostendit, *si trium linguarum cognitio publicitus in scholas recipi pergeret.* Vt vero in Germaniæ scholas recipi cœpta sit huiusmodi cognitio, Agricolæ cumprimis atque Reuchlino deberi, nemo inficias inerit. Reuerendus certe Io. Henr. Maius luculentissime id commonstrauit (q), certis confirmans testimoniis

K 3 hunc

num, formalitatum, hæcceitatum, quidditatum, & reliqua id genus portentosa vocabula ignoraret. quicquid enim syllogismorum spinositate non intorquetur, id penitus a Theologica eruditione alienum putant.

(q) in *Vita Io. Reuchlini* magna cum cura multaque industria conscripta, ed. Durlaci an. 1687, 8. cui adde eruditum Io. Cunr. Dieterici Programma de *Restauratione Græcarum litterarum per Germaniam auspiciis Io. Reuchlini Ingolstadii & Tubingæ cœpta*, Giessæ propos. 1661, & a cl. Georg. Henr. Gœtzio Principi Græce docto, quem an. 1704, 4, edidit, adiectum, p. 61 seqq. Ph. Melanchthon linguarum donum Apostolis collatum magis nouum sibi videri negauit, quam quod hæ a tanto squalore receptæ ex tenebris plusquam tartareis in lucem reuocatæ sint, Declam. T. I, p. 413.

hunc longe dignisſimum fuiſſe, qui præclarus haberetur *philoſophus*, *iuris* & *eloquentiæ* laudaretur *conſultus* & diſertus denique coleretur *theologus* (r) ſiue qui Petri Galatini, Apuli, iudicio (s), prædicaretur *vir Chriſtianæ religionis integerrimus*, *diuinæ humanæque philoſophiæ indagator ſolertisſimus*, *Pontificii Cæſareique iuris peritisſimus*, *omnium bonarum artium eruditisſimus*, *Romanæ eloquentiæ facundisſimus*, *trium linguarum*, *quibus Deus arcana ſua mortalibus reſeruauit*, *interpres diſertisſimus* (ſ), *qui tot præclara edidit opera*, *vt eius nomen ſæculis cunctis immortale permaneat*, *cuique parem numquam tota produxerit Germania*: Quæ omnia doctisſimus Henr. Lor. Glareanus paucis quidem comprehendit verbis, ſed neruoſis admodum, quando Reuchlinum *omnis doctrinæ parentem*

(r) iudicium hoc de Reuchlino tulit ſummus vir Conr. Peutinger. lib. II, epiſt. illuſtr. viror. ad Reuchlin. A. 2, b.

(s) ibid. C. 4, b.

(ſ) In epiſtola, qua *Athanaſii* de variis quæſtionibus librum Alberto Archiepiſcopo Moguntino dedicauit, ita de ſe ſcripſit Reuchlinus: *Theologiſtæ variis picturis nomen meum pro roſtris ac vbilibet locorum ſuffixerunt*, *quibus me bilinguem delineabant*, *quum ſim quinque linguarum peritus*, *Germanicæ*, *Gallicæ*, *Latinæ*, *Græcæ ac Hebraicæ*, *nec non & Chaldaicæ ſcripta mediocriter calleam*. *Quinquilinguem igitur me depingi oportuit*, *non bilinguem tantum*.

rem nuncupauit (ff), *Germaniaeque eruditorum decus.*

Breui tantum, eodem cl. Maio praeeunte, in praesenti ostendam, Reuchlinum adhuc tum adolescentem, quum asperam & rudem saeculi philosophiam Basileae meditaretur, ad *cultum* atque *aequabile Latinae* & solutae & ligatae *orationis genus* animum adiecisse; idem enim sentiebat, quod Rud. Agricolam statuisse infra videbimus, *ornate dicendi posteriorem esse debere curam:* neque a Germanis suis quicquam amplius, quam vt *grammatici magis* haberentur, *quam elegantes*, requiri initio posse, existimabat; postquam per tot saecula nihil aliud moliti erant, quam vt barbari essent, et in sordibus persisterent suis. has igitur vt tandem aliquando eluerent populares, instigare eos perseuerabat, praeclaro Agricolae, Langii Hegiique exemplo sine dubio impulsus. Qua ipsa opera sua, vt purius & scripserit & dixerit Germaniae iuuentus, effectum esse, seque arduae rei manum non frustra admolitum, mirifice laetatus est. In cuius etiam iuuentutis vsus vt Lexicon siue *Onomasticon* istud *Latinum*, *Breuiloqui* titulo insignitum, cuius in superioribus ad fratrem mentionem fecit, conscriberet, ab *Amerbachiis* fratribus, eruditissimis typographis, ad-

(ff) lib. II epist. illustr. viror. ad Reuchlin. X, 3, b.

duci se passus est (t), vir, qui omnem suam ætatem iuuandis litteris dicauerat (tt). Quo Lexico tum, quum nulli adhuc eiusmodi exstarent libri, nulli saltem meliores (*), non tantum linguæ consuluit cultoribus, sed eos quoque, qui talem molestiarum plenissimum laborem postea in se susceperunt, quodammodo adiuuit, exemplo certe inuitauit: quin opera, quam in conscribendo isto collocauit, præclaram plane promeruit laudem; qualis omnibus, qui rei, antea a nemine adhuc tentatæ,

(t) Orat. de Io. Capnione in Declamat. Ph. Melanchth. T. III p. m. 300.

(tt) qui de se ipse in præfat. R. Iosephi Hyssopæi Parpinianensis Lanci argenteæ ex Hebraico in Latinum ab se translatæ præm. Tub. 1512 ita scripsit: *Ego vero ea conditione natus, vt optimarum artium, quas & summo labore & grauissimis impensis, multo quoque tempore acquisiui, non sim inuidus distributor, instar Apollonianæ volucris effusum triticum ceteris auibus renunciantis, quo lautius pa cerentur, vt est apud Philostratum libro quarto, mirifice gaudeo lectiones, quas vel ferula magistra, vel meopte ingenio didici, aliis communicare. Nullum est enim bonum, inquit Manlius Seuerinus, quod non pulcrius elucescat, si plurimorum notitia comprobetur.*

(*) Nam in illo Lexico, quod antea *Salomon Episcopus Constantiensis* ediderat, vel quartum vocabulum barbarum & vitiose scriptum fuisse, Io. Zwingerus in oratione de Barbarie superiorum sæculorum ostendit.

tatæ, periculum primi faciunt, denegari non poteſt. Singulari etiam laudi Reuchlino noſtro & hoc ducitur, quod eius in primis cura factum ſit, vt *Tubingenſis academia*, cuius eximium per complures annos ornamentum exſtitit, & quæ eos ſemper deinceps humaniorum litterarum habuit doctores, quorum eruditione vniuerſa Germania exculta eſt, priſcam *Latinæ linguæ* barbariem & *aſperam* plane eiusdem *pronunciationem* tollere cœperit: quæ in Sueuis tam horrida, tamque inculta prius fuiſſe dicitur, vt ii Italis & aliis exteris gentibus pronunciationem iſtorum audientibus ludibrio fuerint; interrogantibus: *Putantne hi homines, ſeſe linguam loqui Latinam?* Summi itaque inter gentes iſtas viri Capnionis orationem libentius multo audiebant, quam reliquorum, qui patrium retinuerant ſonum. quo etiam nomine is a Principe ſuo dilectus eſt, quum Latine dicendi vſum, & pronunciationis minus horridum haberet ſonum (u).

Tam præclara Reuchlini, cuius nomine in Gallia nihil celebrius tum erat, merita reputans ſupra citatus Conr. Leontorius, Germanis perpetuum fore putauit pudorem, tantum ciuem non omnibus opponere

(u) Declamat. Melanchth. T. III, p. 301 & cl. Maii Vit. Reuchlin. p. 171.

Italis (v). qui ipſi inſignem eius doctrinam tantopere ſtupuerunt, vt quum coram oſtendiſſet, quam accuratam Græcæ linguæ ſibi comparaſſet cognitionem, *Argyropylus*, Græcus natione, in Italia degens, exclamauerit: *Eheu Græcia noſtro exilio transuolauit Alpes* (x)! Quam fortunam *Demetrius Chalcondyles*, eruditisſimus Græcus, Germaniæ noſtræ minus inuidiſſe videtur: ſiquidem Reuchlinum græciſſare, & pulcram admodum epiſtolam Græce conſcribere cognoſcens, non parum ea re lætatus, & ipſi Reuchlino & patriæ eius congratulatus eſt, quod talem virum produxerit, qui decus ei exſiſteret (y). Quid, quod anno cIↄ CCCC XCVIII a *Philippo* Electore Palatino Romam miſſus, vt coram Pontifice cauſſam ipſius ageret, tam luculenta ac eleganti id perfecit *oratione Latina* (z), vt ſummi Italiæ viri magnopere eam ſint admirati, & quidam eorum ipſum Reuchlinum flagitare prius non deſierint, quam publici iſtam fecerit iuris: quum dignam

(v) ibid. p. 430.

(x) Melanchthon. Declamat. T. III, p. 305.

(y) cl. viror. ad Reuchl. ep. pag. 71, b.

(z) ab Aldo Manutio editam olim cel. Maius Reuchlini vitæ integram inſeruit pag. 195, ſeqq. præmiſſa etiam eſt lib. II epiſtolar. illuſtr. viror. ad Reuchlin. conf. Petri Iacobi Arlunenſis epiſtolam inter clar. viror. ad eund. Reuchlin. epiſt. p. 18.

gnam eam existimarent, quæ propter summam elegantiam, dignitatemque verborum, & sententiarum grauitatem vbique terrarum legeretur; adeo diserte, prudenter, apposite omnia oratione hac explicuisse Reuchlinum, iudicarant (a). Non minus docte eleganterque scriptam diiudicauit quamdam Reuchlini Apologiam *Hadrianus Cardinalis:* cuius quum nasum nossent Germani, non parum mirati sunt, quum intellexissent, non sine summæ eruditionis admiratione eam a Cardinale lectam esse (b). Reuchlinum vt de facie nosceret, inter eximia desideria penitus insedisse sibi, testatus est *Io. Franciscus Picus*, Mirandulæ Dominus (c), princeps ob ingenii quamdam diuinitatem & eruditionis profunditatem pro naturæ miraculo habitus (d): posteaquam pridem in litterariis operibus suspexerat virum, & dudum de eo iudicauerat, quod fuerit

Latiæ donatus lumine linguæ:

quanti eum in Hebraicarum etiam litterarum cognitione fecerit Picus, illa epistola docere nos

(a) cl. vir. ep. ad R. p. 58.

(b) Christoph. Welser. ad C. Peutinger. epist. lib. II ep. ad Reuchlin. B. 3.

(c) cl. viror. ad Reuchlin. ep. 7.

(d) Rittershus. in Comment. de Vita Bilib. Pirckheimer. p. 23.

nos poteſt, cuius extrema verba ſunt (e): *quæ de re conſulere te accuratiorem omnibus in litteris hominem, & in Hebræis longe lateque verſatum, operæ pretium. duxi.* Decreuerat etiam aliquando *Roffenſis Epiſcopus*, poſito cultu epiſcopali, hoc eſt, linea veſte, qua ſemper vtebantur tum in Anglia epiſcopi, niſi quum venarentur, traiicere; hac præcipue cauſſa impulſus, vt cum Reuchlino colloquendi facultas ſibi daretur. tanta habebat epiſcopum diſcendi Germanorumque eruditisſimi cognoſcendi ſitis (f). Hanc Reuchlini celebritatem atque eruditionem cogitans *Marſilius Ficinus* ad ipſum Reuchlinum noſtrum & Ludouicum Nauclerum, Ioannis fratrem, ſcripſit (ff), ſe mirari, Germaniæ Principes Florentiam adoleſcentes erudiendos, tamquam ad Academiam, mittere: quum tamen Reuchlinus, eiusque ſimiles ea ſcriberent elegantia, vt Germani non ad academiam, ſed ex academia filios ſuos mittere viderentur, atque apud exteras nationes perquirere ſibi iam *domeſticam diſciplinam:* ita exclamans: *Quæ rerum vicisſitudo eſt*! Qua ipſa in re Germani Romanos imitari videbantur *Demetr. Chalcondylæ:* vtpote

(e) lib. II epiſt. illuſtr. viror. ad Reuchlin. t. 2, b.

(f) ibid. f. 4, b. (ff) cl. viror. ad Reuchlin. epiſt. p. 5 ſeq.

pote qui, tametsi terra marique domini fuerant, suos tamen filios Athenas & ad aliam Græciam miserunt, disciplinæ Græcæ & sermonum rhetoricorum philosophicorumque dogmatum participes (g). Venetorum etiam legati, quum aliquando Reuchlinum nostrum *Nouum Testamentum* expedite admodum interpretantem coram cognoscerent, alter alterum sic allocutus esse dicitur: *Ecce! quam, qui has litteras norunt, grati acceptique in Germania sint; apud nos vero non adeo magni æstimantur, immo spernuntur.*

Verum non putandum est, vniuersæ Germaniæ gratos acceptosque fuisse tum honestissimos excellentis Capnionis conatus. illi dumtaxat, qui bonis ingeniis præditi, nec corrupta ista & perturbata disciplina infecti erant, conatus viri approbabant; eodem aspirantes, quo Reuchlinum peruenisse animaduertebant. His sic carum adamatumque eum fuisse, confirmat Erasmus (h), ut si pater fuisset, omnibus intimius carus esse haud potuisset. At quemadmodum Rud. Agricolæ plurima impedimenta obiecta esse vidimus: dum optimis litteris infensi, & doctissimum quemque perosi monachi clamaue-

(g) ep. clar. viror. ad Reuchlin. ep. pag. 71. b.
(h) *lib. II epist. illustr. viror. ad Reuchl. t. 1, b.*

mauerant, ac insaniuerant; contumeliæ ducentes loco, quod is scita ipsorum conuellere ausus sit: ita Reuchlino per totam vitam accerrime decertandum fuit cum quadam *inhumanissimorum hominum specie, qui Theologos se vocabant, & neminem extra se doctum putabant, ecclesiæque sibi videbantur columnæ; grauissimos iureconsultos omnesque poetas taxantes:* cuiusmodi characterem ipse Reuchlinus posteritati scriptum reliquit (i); contagionem in *Agrippina Colonia* cœpisse commonstrans. Quam planissime etiam ætatis eius mores expressit doctissimus, clarissimique inter Germaniæ eruditos nominis vir, Nic. Gerbelius: id quod fecit verbosa plenaque eruditionis ac suauitatis ad ciuem suum Reuchlinum epistola (k) cuius initium est: *Quem vero non pudeat scelerati huius sæculi? Quem ferre non pigeat mores ætatis huius, plus quam ferreæ? quæ quum sementem facere voluissent omnes bonæ litteræ, astris etiam ipsis feliciter aspirantibus, repertæ sunt fœdissimæ Harpyiæ, quæ florem commodum emergentium frugum pestilentissimo*

(i) ibid. v. 2, vbi elegantissima ad Iacob. Fabrum epistola molestias, quibus a Coloniensibus adfectus est, multis verbis explicat: vnde non pauca ego sum mutuatus.

(k) lib. II epist. illustr. viror. ad Reuchl. C. 2, b.

ſimo attactu adurere ſunt commolitæ. Verba, quæ ſequuntur, egregia plane ſunt, & lectu quam dignisſima, ſed plura, quam quæ excerpta adferri a me poſſe videantur. Plurimis interiectis, ſic pergit Gerbelius. *Quod ſi quis alius extra ipſorum ſepta poſitus, vlcera verrucasque eorum vel ſumma acie tetigerit, proh Deûm fidem, quam os illud impudentisſimum in arcum diſtorquent, quam rugis ſuſpendent naſum? in omnia conuicia parati, occiſuri etiam ob vnum aut alterum verbum, ſi quis timidior eorum obſequatur tyrannidi.* Hæc licet formidoloſa ſatis videri poſſet: animoſe tamen aggredi eam auſus eſt Reuchlinus, quum non tolerandum porro putaſſet, vt in ſcholis non impura tantum, ſed pernicioſa etiam docerentur a Theologiſtis. Horum gregi bonus Reuchlinus cum ſociis ſuis ob id ipſum nihil fuit, quod bonus eſſe ſtuduit; ac nihil ſcire iis viſus eſt, propterea quod aliquid recte ſciuit (l), vel quod He-

(l) Vlr. Huttenus in præfat. quam *Nemini* ſuo præfixit, B. 3, a. -- Vbi feſtiuisſimum hoc ſcriptum ex eo ipſo natum ſibi, confirmat, quod ætas ſua in ea inciderit tempora, quibus illi, *qui optima ſtudia ſtudioſisſime ſectati erant, nihil didiciſſe, & ipſi homines* nihil *dicebantur palam.* Sibi ipſi accidiſſe in eadem præfatione conqueritur Huttenus, vt, quando inter ſuos verſatus ſit equites, haud ſit numeratus; ex iactatoribus vero leguleis & ſuperciliofis Theolo-

Hebraicarum litterarum semina in Germania primus iecit, & Græca elementa populares docere perseuerauit. Quare pusilli & ipsa maleuolentia ieiuni atque inanes eorum animi inuidia contra Reuchlinum exarserunt, quum paria cum ipso facere se posse desperarent; optimarumque litterarum studiosos, se Græca & Hebraica primario Reuchlino auctore didicisse animaduerterent: nec non Latinæ ciuitatis senatum eidem triumphum contra humanitatis hostes decreuisse cernerent (ll). Cuiusmodi Reuchlinianæ famæ præconia aduersariorum barbarorum superbia ferre non poterat, quum satis coniicere iis liceret, ornatioribus doctrinis imbutam posteritatem puerilia ipsorum stu-

gistis, siue indoctis doctis, nemo ipsum agnouerit: quo factum dicit, vt nesciuerit, an ipse alicuius eorum vmbra esset, & vt se ipsum haud senserit, quoties isti studia sua prædicare, eruditionemque suam ac ingenia ostentare cœperint. quicquid enim in Reuchlini similibus erat, omni contemptu contemptius iudicabant. Sapere scilicet istis temporibus extrema videbatur dementia, & de his dici recte poterat:

Summa rudes asini rerum fastigia scandunt:
Maximus hoc illis tempore venit honos:
Et nisi sis asinus, nullum tibi nomen habebis,
ac omni spretus destitueris ope.

(ll) Eob. Hessus lib. II epist. illustr. viror. ad Reuchlin. y. 2, b.

ſtudia, & aniles, quæ per tot ſæcula vigue-rant, diſciplinas contempturam fore. quando non vilius quid melioribus ſtudiis tractare ſe putarant, quoties pro concione ſordidam aliquam fabulam, aut anile deliramentum, vulgi credulitate abuſi, deblatrauerant (m). Inde quum omne id, quod extra farinam ſuam videbatur, contemnerent ac aſpernarentur, factum eſt, vt deteſtandus liuor homines iſtos adegerit, vt conatibus Reuchlini coniunctis ſeſe opponerent viribus, laudique eius omni ratione, ac nefando & abominabili calumniarum facinore detractum irent, eiusdem *euerſionem naſcentis eruditæ doctrinæ oppresſioni prætendentes*; quum ægerrime & iniquisſimis ferrent animis, exiſtimationique ſuæ magnopere ſimul timerent, quando eiusmodi doctrinam exoriri & conualeſcere iam conſpiciebant, quam ipſi penitus ignorarent (n). Satis verborum re-

(m) Huttenus in iam citata præfatione Nemini ſuo præmiſſa B. 2, a. licet auctor hunc *Neminem* ſuum in ſubiecta ad Iulium Pflugk epiſtola *nugamentum* adpellet, ſcriptum tamen & eruditum & lepidisſimum ſimul deprehendet, qui illud cognoverit. Albert. Molnar inter Luſus poeticos excellentium aliquot ingeniorum Hanov. 1614, 8. recudendum curauit, at eruditisſima præfatio & elegans iſta epiſtola ibi non apparent.

(n) Camerar. in Vita Ph. Melanchthonis p. 17.

perire haud potuit Buſchius, quibus Reuchlino Theologiſtarum furorem exprimeret, quem iureconſultum falcem in Theologorum meſſem miſiſſe fremebant (*). *O ſi*, Colonia ad Reuchlinum ſcribit Buſchius (o), *videres ora & vultus Theologiſtarum, talis eſt furientis inuidiæ ſpecies, talis eſt inſaniæ delirantis viua effigies, inflatis buccis contrahunt ſupercilia, caperant frontem, lumina tragica quadam toruitate horrificant, pallent, rubent, ſtupent, gemunt, ſtriduntque dentibus. Quid, quod tanta bile tantaque perturbatione concitantur, vt etiam impiis quandoque vocibus non abſtineant.*

Nam quum in humanas & politiores litteras ita male animati eſſent homines, vt philoſophiam humani atque diuini iuris ſapientiam, vel alias etiam ſcientias, nec Latine dici nec explicari poſſe, ſtatuerent; non ob linguæ egeſtatem (licet barbara & non Latina indies fingerent vocabula) quum alias Latialia ad promptum habuiſſent, ſi modo perſpicere & cognoſcere ea voluiſſent, vel etiam potuiſſent: ſed quod *humanas litteras*, vt ha-

(*) *Moleſte ferebant*, ſcribit excell. Pirckheimerus ad Wenzeslaum Lincum Dedicator. epiſt. lib. p. 231 *quum laicos ſancta manibus verſare, cernebant, tamquam committerent piaculum, ſi Chriſtianus Chriſtiana tractare auderet.*

(o) lib. II epiſt. illuſtr. viror. ad Reuchlin. x. 4. b.

harum ignari, *doctrinas maiores impedire* putauerant (p). mirum ideo plane litterarum genus a Romana pietate alienum tractari a Reuchlino, palam vociferabantur veternosi sophistæ: *Græcum* porro *schismaticum* eum declarantes, quo magistro interdictæ disciplinæ contra ecclesiæ decreta proderentur. Et hæc ipsa per tot barbara sæcula *furoris atque inuidiæ iacula, turbidorumque affectuum fulmina & tonitrua* exstitisse, quæ non in eos, in quos necesse fuerat, sed quos sibi molestos esse senserant, eiaculati sint, & quibus bonis auersis & perterrefactis soli rerum potiri voluerint vaferrimi hominum, eruditi verissime adfirmarunt (q). Quare vt primum Reuchlini & sociorum ipsius scriptum conspiciebant, accurate id legebant, inuestigantes, num hæresin saperet, & statim, si quid minus placebat, enotabant. inde errata in articulos digerebant; vt erant pensiculandis hominum sermonibus acutissimi iudicii. si quid vero offendebat, frontem contrahebant, labra exporrigebant, nasum suspendebant, nonnunquam *ad ignem, ad ignem* ingeminabant (r). Atque ita quum priscis tempori-

 bus

(p) Conr. Peutinger. elegantissima ad Mutianum epistola, lib. II illustr. viror. ad Reuchlin, A, 2, b. & Hutten. præf. Nemini præm.

(q) ibid.

(r) Hutten. in præf. Nemini præm. B, 1.

bus *hæreticus* haberetur, qui diſſenſerat ab *euangeliis*, ab *articulis fidei*, aut his, quæ cum iis parem obtinent auctoritatem: tum, ſimul ac quis a *Thoma* diſſentiebat, *hæreticus* vocabatur. Quicquid non placebat, quicquid non intelligebant Theologiſtæ, *hæreſis* erat, Græce ſcire hæreſis erat: quicquid iſti non faciebant, hæreſis erat (s). At prudentisſime ab ſeueris huiusmodi inquiſitoribus, rigidisſimisque exactoribus quæſiuit ſuo tempore Peutingerus (ſſ). *Vbi ergo illa Hieronymiana, Ambroſiana, atque Aureliana eruditio? Quis ex iſtis* (Pſeudotheologis) *Hilarium*

(s) Eraſm. ep. 10, lib. XII, p. m. 588. Ipſius *Eraſmi ſcripta* Thomiſtis ita inuiſa fuiſſe, Huttenus tradidit, in præfat. Nemin. A. 2, b. vt, licet ſummi viri laboribus nihil magis Chriſtianum ætas iſta habuerit, atque viderit, ſuſurrarint tamen homines iſti contra ea, fremuerint, ſtrinxerintque ſupercilia, & naſos ſuſpenderint: adeo, vt Ilia rumpi iis credere quis potuiſſet, quoties Eraſmi ſociorumque eius ſcriptum viderint; ignauiæ ſuæ conſcientia excruciati: qui hac ſua arrogantia Herm. Nuenarium eo perduxerunt, vt hanc inſtituerit querimoniam in epiſt. ad Io. Reuchlin. cum huius, & Buſchii Huttenique epiſtolis nonnullis exc. *O calamitoſam fidei ſortem! o deplorandum eccleſiæ ſtatum! ſi hæc illi eueniant, ſi non alios propugnatores, non alia præſidia conſequi posſit, quam eiusce conditionis, male ſanos quosdam & phreneticos ſycophantas, ſophiſtica non catholica imbutos doctrina!*

(ſſ) lib. II epiſt. illuſtr. viror. ad Reuchlin. A. 2, ſeq.

rium Pictauorum episcopum imitandum sibi proponit? quis Leonem Pontificem Maximum, Cyprianum Martyrem, Lactantium Firmianum, Florentem Tertullianum, Aurelium Prudentium, Prosperum Aquitanicum, Ioannem Damascenum, Cælium Sedulium, Iuuencum Hispanum, Aratorem Subdiaconum, Seruium Sulpitium, Gregorios vtrosque Nazianzenum & Nyssenum, Basilium, Athanasium, Origenem Adamantinum? Quærendo pergit Peutingerus ad suæ ætatis eruditos progressus, nominatim ad Mirandulanos comites: *quis Ioannes duos, Picum & Franciscum eius ex fratre nepotem, quis Marsilium Ficinum, vel alium quemuis politioris litteraturæ Theologum imitari inter Germanos cogitat?* Hi videlicet omnes ac singuli pii eruditissimique viri hæreseos crimine insimulandi fuissent, si sophistarum nostrorum de bono Reuchlino iudicium verum exstitisset atque incorruptum: qui diuini ingenii sui monimentis abunde declarauerat, se sanctissimorum istorum hominum virtutem atque eruditionem ante oculos sibi proposuisse. Damnauerunt itaque Theologistæ, vt vere de iis Erasmus pronuntiauit, in recentium libris, quod in Augustino aut Gersone non damnabant: quasi veritas cum auctore mutaretur: illos, quibus fauebant, si legerunt, nihil non excusarunt, omnia

torquentes: eos econtrario, quibus infensi erant, sic legerunt, vt nihil non calumniarentur. Quid quæris? grauissimus doctissimusque sæculi sui Iureconsultus refert (t), eumdem Reuchlinum summo ingenio & singulari doctrina virum, præclarum philosophum, Iuris & eloquentiæ consultum, de bonis litteris optime meritum a Coloniensibus sophistis *diuinæ læsæ Maiestatis esse postulatum.* præter enim quam quod grauissimam in sedem Romanam instruxerit calumniam, eum *in biblia blasphemias effutire* ausum esse coarguebant (tt).

Plurimi igitur omnino euehendorum studiorum ratio constitit tam præclare merenti viro: donec per maxima fortunarum vitæque suæ discrimina effecerit, vt Germania resipiscere, & pueriles scholarum nugas deserere inciperet. Enimuero quum par esset, tempusque id postularet demum, magno Erasmo iudice (u), vt Reuchlinus, venerandæ senectutis homo, pulcerrimis suis studiis frueretur, & ex honestissima iuuenilium sementе laborum suauissimam caperet messem: quum conuenisset, vt vir tot linguis, tot

(t) Conr. Mutianus lib. II epist. illustr. viror. ad Reuchlin. A. 1, b.

(tt) H. Buschius in epistola quadam ad H. Nuenar.

(u) ep. 2, lib. II, p. m. 98.

tot disciplinis instructus isto velut ætatis autumno diuitem ingenii prouentum in uniuersum orbem effunderet: ad quod laudibus fuerat exstimulandus, præmiis inuitandus, studio inflammandus. exorti sunt, quemadmodum vidimus, improbi isti homines, qui quum ipsi nihil præclarum efficere potuerant, peruersissima ista via gloriam adfectarant; ex friuolis nugis tantas concitantes tragœdias: vt peruersis, Pirckeimero id referente (v), & sycophanticis istis sceleratisque machinationibus mirum in modum vexarint inclitum, & optime de Germania, optime de litteris meritum Capnionem: immo tantopere eum vndique oppugnauerant, vt tandem miris fraudibus Principis indignationem in eum concitarint: & vt alii Principes, nec infimi nominis primates eius miserti miserabilem ipsius rerum statum vix sine lacrimis & vaticinati sint, & congemuerint (x): quum optime nossent, Reuchlinum litterarum parentem & Hebraicæ, Græcæ & Latinæ litteraturæ apud Germanos instauratorem esse, de omnibus bonis patriaque sua optime meritum, & pacatiori tempore ob nobilissi-

 mum

(v) ep. ad Erasmum, inter huius epist. lib. XII, ep. 11. & lib. IV, ep. 12.

(x) Io. Huttich. lib. II, ep. illustr. vir. ad Reuchlin. D. 3, b.

mum ingenium, quo posteritati recte consulere posset, dignissimum. Quamobrem caussam habuisse videtur Huttenus, cur ipsum in Italia *Germanorum puduerit*, quoties, de Capnionis afflictione orto cum Italis sermone, hi percontarentur: *tantumne licet in Germania fratribus* (y)? Nam licet vir fuerit Reuchlinus, cunctis virtutibus omniumque disciplinarum genere non solum excellens, verum extra fortunae quoque aleam ita positus, vt nemo Thersites seu Zoilus candidam eius famam dignitatemque violare posse initio visus esset: accidit tamen, vt omnes boni timerent deinceps, ne in extremam denique calamitatem coniiceretur optimus vir; quum a tyranni faucibus neminem, nisi Deum, eripere eum valere, cernerent (z): quem omnino in partibus fuisse crediderunt; mirificas postremo ei agentes gratias, quod innocentem virum ex ore leonum & draconum liberauerit, vindictam sibi reseruans, quam opportuno tempore grauius fulminaret (a). Et vere quidam praedixerunt (b), fore, vt posteritas Capnionem ab animi magnitu-

(y) Hutten. in epist. ad H. Nuenar.

(z) clar. viror. ad Reuchlin. ep. p. 59 b.

(a) B. Pirckheimer in epist. ad Huttenum in Rittershus. Commentar. de Pirckheimeri vita p. 25.

(b) Hutten. in praefat. Nemini praem. B 1, b. & Eob. Hessus lib. II ep. illustr. viror. ad Reuchlin. y, 2 b.

gnitudine admiraretur, qui descendere cum audacissimis hostibus in aciem, ac pugnam capessere ausus sit. idque mira plane præter omnium opinionem felicitate: & fore propterea, vt omnibus deinceps commemoraretur sæculis, quod Capnio contra tantam veræ sapientiæ ac meliorum studiorum hostium multitudinem in aciem progressus, tam fortiter tamque animose decertarit, vt semel atque iterum superior discesserit. Euenit enim id, quod ipse Reuchlinus futurum sperauerat, postquam viuus ea iam de se senserat testimonia, quæ paucis prius mortuis contigerant, & ipse posteritati suæ interfuerat (c); vt post *validam manum* magna ætatis suæ *poetarum atque historicorum* accederet *copia*. qui dum Reuchlinum ita, vt par fuit, præceptorem suum venerati sunt, insignem aduersariorum eius iniquitatem perpetuæ tradiderunt memoriæ, optimum virum innocenter passum demonstrantes, cum æterna *Coloniensium* ignominia (d). Superiorem autem fuisse

(c) Hutten. lib. II epist. illustr. viror. ad Reuchlin. A. 1, S. 1.

(d) id fore, Eob. Hessus Reuchlinum confidere iussit, lib. II ep. illustr. viror. y, 3, ita scribens: *Coëgi nuper iambos quosdam satis feruentes in istos Colonienses diabologos, & cogam multo plures & omnis generis, tibique transmittam, tunc quum tempus erit; magnum enim animum mihi facit, quod neque solus*

isse Reuchlinum, plurimi eo magis mirandum putarunt, quod ei cum *inexpugnabili hominum genere* res fuerit, qui omnia habebant,

neque alter futurus sum. spero enim & Huttenum, & Buschium, & Crotum, & Spalatinum, & tuos conterraneos Philomusum & Melanchthonem, & praeterea multos mecum futuros huius victoriae buccinatores. Et ego quosdam hic Herfurthinenses excitabo, qui mecum istuc tamquam crabrones conuolantes, ista terriculamenta, & monstrosissima monstra ita exagitent, vt requies illis nulla prorsus nec terra nec mari relinquatur Tum Gallos, Francos, Persas, & si quid amplius vspiam est malorum nominum, licet innocent. Agite igitur o vos,

Teutones emensi Latialia regna poetae,
vestrum decus viriliter defendite.
Impia molitur certamina Capniomastix,
Tam nobilem ferens inique gloriam.
Heu quibus ille odiis, heu quanta exaestuat ira
vir barbarus, vir omnium stultissimus.
Quod tibi cum doctis bardo signate cucullo
Hostrate nate pessimis auguriis.
At vos Capnionem vates defendite vestrum;
vobis comoediam ille primus obtulit.

Ad defendendum Reuchlinum excitasse Eobanum *Thuringos* praeter multos alios grauissimos testes *Crotum Rubianum* adducendum censui: qui verbosa & disertissima ad Reuchlinum epistola abunde id confirmauit lib. II illustr. vir. ad Reuchlin. epist. 2, a. Ex qua vt excerpta quaedam tecum communicanda decreuerim, Lector, summa effecit eius elegantia, non indignae profecto, quae ab omnibus hodieque legatur: quum saeculi istius genius viuis quasi in ea depictus videatur coloribus. Postea-

bant, quum nihil habebant. eam ob rem ipse *Alexander VI* Pontifex dixisse aliquando fertur, *se cum potentissimo quodam rege, aut princi-*

quam Reuchlini *generosum & alacrem ad pugnandum animum* ex ipsius ad Mutianum data epistola cognouisse se scripsit Crotus, pluribusque declarauit verbis, se, licet *sanguisugae Theosophistae* terribilia maxime per Vulcani Neptunique minas minati fuerint, Reuchlinianarum tamen partium socium, ipso Reuchlino nesciente, se addidisse; commemorat, se eamdem istam ad Mutianum a Reuchlino exaratam epistolam interpretando multis *Theologistis, Arnobaraistis, Thomistis, Scotistis, Occanistis, Canonistis* stomachum mouisse, quod eo libentius fecisse se, ait, quo citius ad vomitum cum satellite suo *Pepericorno* perduci potuerint. Multis verbis interiectis, ita pergit: *Scribant, si Diis placet,* (homines isti) *commententur, inuehantur, propositionibus propositiones suas accumulent, dummodo sciant tardae & languidae pecudes doctis se praebere materiam ridendi. Tu quoque si volueris, tibi non deerunt in respondendo auxiliatores. Habes doctissimum virum Mutianum, habes totum Mutiani ordinem. Sunt in eo philosophi, poetae, oratores, theologi, omnes tibi dediti, omnes pro te certare parati. Eobanum Hessum coeleste ingenium beat, scribit carmen summa felicitate. Vidisti credo eius ludicrum Bucolicum, in quo ostendit ille, quid possit, si velit. In Hutteno meo exultat ardor & subtilitas, vno impetu conficiet aridum Ortuinum. Non attinet, plura promittere. Manda & iube, quando voles, praesto erimus.* Hactenus Crotus Rubianus; quem Petreius Aprobacchus in epistola ad Reuchlinum lib. II ep. y, 4 *antistitis aulicum* vocat, & qui

principe, malle sibi bellum esse, quam cum vno ex mendicantium ordinibus (e). Eo certe Coloniensium istorum Theologistarum contra Reuchlinum furor processerat, vt quidam eorum aperte iactare auderent, *se*, nisi contra Capnionem in vrbe secundum se pronuntiatum fuerit, *ab ecclesia & summo eius pontifice defecturos, nouumque suscitaturos fore schisma* (f). Alii dicebant, *quicquid contra ipsos*

is ipse est, cui Vlr. Huttenus *Neminem* suum longe eruditissima ista præfatione inscripsit. Quid de *Mutiani* in Reuchlinum amore sperandum esset, ipse Mutianus coniunctissimo huic amico suo spopondit, quando lib. II epist. illustr. vir. A 1, b. scripsit: *Non feram, quantum in me est, non feram, tametsi probe noui, quam sit mihi curta supellex, tantum Germaniæ lumen indicta caussa extingui: quasi vero Joannes non habeat sententiæ suæ subscriptores bis mille.* Et Mutianum & Eobanum, vt Reuchlini fauorem sibi conciliarent, studiose operam dedisse, *Erycius Cordus* suauissima ad ipsum Reuchlinum epistola professus est, lib. II ep. ad Reuchl. A. 4, b. qua eum blandissime alloquitur: *Salue, Salue igitur, Salue, inquam, omnium optime & doctissime Capnion, integerrimæ integritatis homo. Immo aduersus, aduersus tot deterrima monstra ex olida barbariæ palude emergentia inuictissime Hercules. Iterum salue, maxime litteratorum patrone & assertor, dulcissimum Musarum delicium.*

(e) Hutten. in præfat. Nemini præm. B. 2, b. & in cl. Maii vita Reuchlin. p. 464. it. in epistola Erasmi ad Pirckheimer. lib. misc. ep. 25.

(f) lib. II ep. illustr. vir. ad Reuchlin. y. 1.

ipsos statuerit Papa, id nullius se existimaturos momenti; neque illum pro Papa habendum esse, qui ab ipsis ipsorumque sententia dissenserit. Adeo cæca atque præceps peruersissimorum hominum erat arrogantia, vt non secus, aut honorificentius de summo suo *Pontifice* loquerentur, quam de *puero sub ferula adhuc viuente*, cui nihil, nisi ad pædagogi sui nutum, integrum aut liberum loqui: & vt augustissimum Imperatorem *Maximilianum I*, & complures *Germaniæ Principes* carpere auderent, temeraria vsi ratione (ff). Audacissimus temerariorum hominum antesignanus *Io. Hochstraten* in Pontificis, & Imperatoris Romani, cunctæque Romanæ ecclesiæ contemptum adfirmare non dubitauit (g); *se arcem molitum, quam vniuersus mundus infringere non posset.* Nactum scilicet erat ignarum & atrocissimum hominum genus aliquot *Pfeffercorni* cuiusdam, Christianistæ, siue Iudeastri, ineptissimos libellos: quorum auctorem, crudelem Reuchlini calumniatorem non solum fouebat, sed subsidia etiam ei ministrabat, quibus innocentissimi homi-

(ff) lib. II epist. illustr. viror. ad Reuchlin. c. I. & F, 2. vbi ipsam Imperatoris epistolam ad Leonem X P. scriptam, qua homines istos accusat, inuenies.

(g) H. Nuenarius in epist. ad Reuchlin. cum diuersis opusc. huc spectantibus excus.

hominis virtutem oppugnaret (h). *Tanti erat*, exclamat Conr. Mutianus (i) *vilis Iudaici sanguinis transfuga, vt Theologorum examen indocto, fallaci atque insidioso faueret.* Ipsius nimirum virtutis ac eruditionis aduersarii pessimis *Pseudochristomystae* istius, vt idem Mutianus eum appellauit, libellis, tamquam firmissimo fundamento innixi, egregia illa calumniarum suarum castra, cum perpetua sui infamia superstruxerant: & atra Pseudotheologorum acies, *aerumnosa*que *Fraterculorum conuentio*, vt Stromerus loquitur (k), *dementulato isto signifero*, tamquam alteram *Troiam* expugnaturi, *decennale* contra Capnionem *bellum* gesserat: quo omnis illorum doctrina, robur, vires, honor, & fama simul occiderunt (l).

Tantae molis erat, Germanis *condere* templum
Palladis.

tantique Reuchlino subeundi idcirco fuerunt labores, vt Conr. Rittershusio dignus visus sit (ll) qui *Hercules Germanicus Alexibarba-*

(h) H. Stromer Auerbachius lib. II epist. illustr. vir. ad Reuchl. z. 4, b.

(i) ibid. A. 1, b. (k) eod. libro II, z, 4, b.

(l) Corn. Henr. Agrippa in epistola ad vrbis Colon. Senatum: quam inuenies in Reuchlini vita a cl. Maio conscr. p. 251.

(ll) in Commentar. de Vita Pirckheimeri.

barbarus vocaretur, & *innumerabilium monstrorum domitor*, quæ barbarorum & obscurorum quorumdam hominum ignorantia atque malitia ei obiecerint. Nam quemadmodum vespertiliones, noctuæ, & bubones, aliæque infaustæ aues lumen solis ac lucida diei tela ferre non queant, sic inertes atque ignauos istos homines, barbariei tenebris diutissime adsuetos, renascentium litterarum, linguarum, bonarumque artium lucem, quam rectis oculis intueri non potuerint, auersatos; ideoque in illarum studiosos & instauratores infestis animis, minis, & armis insurrexisse, & clausis quasi incursasse oculis, idem Rittershusius pluribus verbis probat. Et hoc ipsum hominum genus fuit, in quod magnus Erasmus summo iure his verbis inuectus est (m): *Quid non moliuntur hostes deuoti bonorum studiorum? quas non technas, quas non sycophantias, quas non insidias comminiscuntur? quibus non cuniculis conantur obrepere? quas non admouent lacrimas? quæ non tela in nos torquent, mortali veneno tincta? quæ conspiratio, quodque artum inter istos fœdus ad profligandas litteras, quas, qui pueri non didicerunt, pudet senes discere? quod mino-*

(m) in epistola ad Fridericum Saxon. D. infra nominatim citanda.

minori pene opera discere poterant, quam impugnant. quam hic concordes sunt, qui nusquam consentiunt, nisi ad lædendum? quam hic habent ingenium, ad meliora stupidi? quam hic vigilant, ad bene merendum oscitabundi?

In grauissimo hoc Erasmi effato eruditissimorum hominum testimoniis comprobando iusto longiorem me fuisse, fateor, qui breuitati studere constitueram. Verum tam egregie de Germania meritus omnino est Reuchlinus, vt laudari satis non queat, nec vlli ætati de eximiis eius dotibus & incredibili plane bene merendi voluntate conticendum vmquam videatur. Singularem viri doctrinam, generosam facundiam, & infatigabile studium *Mutianus Rufus* cum primis admiratus, sperauit, breui fore, vt Reuchlinus id, quod omnes boni polliciti tum erant, *examussim perficeret* (n): vtpote quo duce nobilis veterum doctrina resurrexerit: siue in quo, vt aliis videbatur (o), vetustus ille *Pythagoras* reuixerit, *Plato* reuiguerit, diuusque *Hieronymus* refloruerit: Germanis tanto veterum istam doctrinam amplexantibus studio, vt Mutianus ad Reuchlinum scripserit (p), bonos quotidie ad se confluxisse adolescen-

(n) clar. viror. ad Reuchlin. epist. p. 65, b.
(o) lib. II epist. z. 3, a. b.
(p) ibid.

lescentes, quibus Capnio in ore fuerit & in pectore: hunc Græcum se probasse, illum Hebraicas & vere arcanas litteras ita admiratum esse, vt, quantum ab insulsis præceptoribus ad nugas vel emendas, vel discendas trahi se senserint, tantum vtroque pede ad Reuchlini vestigia prosiluerint. Atque ita *litterarum meliorum hostes reluctando nihil aliud, quam quod Reuchlini sociorumque illustrarint victoriam, suam ex aduerso denobilitarint stultitiam, adsecutos esse,* Erasmus rectissime adfirmare potuit (q). Eius vicem Rud. Agricola etiam valde ideo gauisus est (r), quum animi ac naturæ Reuchlini felicitati, tum vero in primis *Germaniæ* nostræ fortunis gratulatus: quam *si vmquam, tunc aliquando expergefieri oportere putauit, & a barbarie ista, qua tot sæculis, velut stupido sopore, vel potius ληθάργῳ, oppressa fuerat, excitari.* Ea re *Erycius Cordus* Reuchlini verborum, quibus amicos compellare consueuit: *Vincam, & vos triumphabitis:* fidem (licet patrocinante contra pecunia) certam, immo certissimam pronuntiauit (s): & *Eleutherius Byzenus Triumphum* suum adaucter decantare potuit

(q) ep. 36, lib. V. (r) clar. viror. ad Reuchlin. epist. p. 65, b. & in Agricolæ Lucubrat. p. 179.

(s) lib. II epist. illustr. viror. ad Reuchlin. A. 4, b.

tuit (f). Neque vero etiam ſperare, ſed certiſime confidere eidem Cordo licuit: *Præſto iam Reuchlino aliquem eſſe Iolaum, qui iamdudum inciſam excetræ ceruicem inſequenti face, ne repullulet, inurat.* Nam non vnus & alter præſto paullo poſt fuit, ſed tota *agmina*: quandoquidem hominum ceruicem iſtam inurendi ſtudium ita in Germania excitatum eſt, vt exeunte *XV*, & ineunte *XVI ſæculo*, *Maximiliano*, Pio, Felici, Auguſto, imperante, plures numerauerit Latine doctos ciues; quam integro inſequenti *XVII ſæculo.*

Qui temere id a me adfirmatum putauerit, euoluat modo elegantisſimam *Pirckheimeri apologeticam epiſtolam Luciani Piſcatori* præfixam; quippe cui longum ſatis exquiſitæ ſapientiæ doctrinæque ætate iſta viuentium virorum indicem inſertum inueniet: quem mirabitur, credo. Inſpiciat porro, qui in adfirmando temerarium me putauerit, *Clarorum virorum ad Reuchlinum* ſcriptas & toties citatas a me *Epiſtolas.* me vere dicere, deprehendet, ſpero. Nam etiamſi Reuchlinus eruditos *Romæ* ætate ſua verſantes feli-

ces

(f) qui ſine anno & loco in forma quarta impreſſus initio, integer a cl. Maio vitæ Reuchlini inſertus eſt, p. 479. ſeqq.

ces prædicauit (sſ), qui inter doctisſimos tam Hebræos, quam Latinos atque Græcos, multorum auctorum volumina verſare potuerint, quibus in omnium gentium atque nationum ritu euaſerint eruditiores: *Germanos* ex aduerſo *fucum & ignauum genus*, inter *Hamadryadas* iaculatricemque *Dianam*, *Faunos*, & *Pana* ſola *bucolica* meditatos, queſtus eſt; ſeque medium inter *Bacenas* & *iugum Harcynium* absque Muſis & ſine Apollinis clementia vitam degentem, ſolaque Sueuorum conuerſatione contentum, inter barbaros βαρβαρίζειν coactum fuiſſe, doluit, quum circa ſe nemo fuerit, qui vel Græca exquiſitim dilexerit, vel Hebræa ſtudioſe amauerit (t): in Latinis tamen litteris excolen-

M 2 dis

(sſ) in epiſtola ad P. Galatinum, lib. II epiſt. illuſtr. viror. ad Reuchlin. D. 2;

(t) in præfat. lib. III Rudiment. Hebr. circa an. 1506 ſcript. parum etiam honorifice de popularibus ſuis ſentit, vbi ſcribit pag 546. *Solus ergo quum in hoc Diogenis dolio totos dies deliteſcam: nec mecum viuat vllus hominum, cui verborum elegantia & eloquentiæ ſtudium ſit in pretio. ſed agricolæ tantum & ſacrificuli, aut ſi qui accedant,* [*vt ſit quotidie*], *qui me non de muri legulis nec auro coronario: ſed de cloacis, paludibus, tigno, itinere aliisve popularibus iurgiis tam prætoriis, quam ciuilibus conſulunt. quibus de iure pro mea profesſione reſpondere debeam, non Latinorum, ſed Sueuorum obſeruato dicendi vſu. nihil vltra mireris, mi frater, me poſt virentia prata iam ſcabros calles ambulare.*

dis populares ſuos ignauiæ coarguiſſe ibi non videtur Reuchlinus, quum Græca & Hebræa propter *fanaticos* & *deliros philoſophaſtros* Germanis exulaſſe dicat: hosque litterarum auidos alioquin fuiſſe tum, teſtetur; ita, vt in ſola *Alberti* Archiepiſcopi Moguntini aula complures repertos eſſe adfirmauerit (tt), qui *ſuauiter, erudite, integre, ample, ornate, copioſe, cum admirabili facultate valuerint rem amplexari.* Accidit etiam paullo poſt, vt, magnam & Hebraicæ & Græcæ linguæ diſcipulorum in *Anglopolitana* academia copiam ſibi fuiſſe, lætandi habuerit copiam (u). De Germanorum certe ſingulari tres iſtas linguas perdiſcendi ſtudio ſcriptæ ad Reuchlinum epiſtolæ tam luculenter mea ſententia teſtari queunt, vt nulla plane relinquatur dubitatio. Quas ſi quis euoluerit, præter multas eruditisſimorum *Italorum, Gallorum, Græcorum*que, & clarisſimorum iſtorum Dringebergii diſcipulorum, mox denuo laudandorum, *Camerarii Dalburgii*, puta, *Pirckheimeri, Bebelii*, reliquorum, epiſtolas, inueniet ADOL-

(tt) in epiſtola nuncupatoria Auguſtini de variis Quæſtionibus libro Latine ab ſe verſo præf.

(u) epiſtola ad Io. Forſterum in vita Reuchlini a cl. Maio conſcr. p. 542. & in epiſtola ad B. Pirckheimerum, libro huius familiar. epiſt. miſcell. ep. 13. de Reuchlini in Anglopolitanam academiam migratione dicendi infra erit mihi occaſio.

ADOLPHI OCCONIS, *Frisii*, Rud. Agricolæ, assidui eorumdem studiorum collegæ (v), medicorumque ætate sua eruditissimi, & *Sigismundi* Archiducis Austriæ archiatri, litteras. cuius viri doctrina eo pluris æstimanda videtur, quo maior reliquorum eiusdem ætatis medicorum fuit imperitia (x). de eo Celtes cecinit:

Clarus per oram nostram Alemanicam:
Doctus Pelasgis disciplinis,
Et Latiis pariter Camœnis.

IO. NAVCLERI, *Sueui*, porro epistolas ibi inueniet. qui quum *Eberhardo*, *Ludouici* comitis Wurtenbergici filio, ephorus datus esset, vt & mores & litteras eius formaret: purpurati tutoresque Latinam linguam adolescentem comitem doceri interdixerunt, ne diu in litterarum studiis retineretur: cuius etiam vsu eorum iudicio princeps facile carere poterat (y), quid, quod praua atque peruersa inualuerat ea tempestate opinio, *litteras hominibus militaribus & aulicis dedecori atque ignominiæ esse* (z). Licet vero optimus

(v) vid. Alardi Amstelred. præf. Rud. Agricolæ Lucubrat. præm.

(x) cl. viror. ad Reuchlin. epist. p. 11, b.

(y) Mart. Crusius in Annal. Sueu. P. III, lib. VII, c. 9. p. 395. & Declamat. Melanchth. T. III, p. 160. add. M. Adami Vit. philosoph. p. 28.

(z) C. Rittershus. in vita Pirckheimer. p. 4.

comes adultior factus, & imperii Romani principum, siue Ducum, numero deinceps adscriptus; qua tamen dignitate paucos admodum menses per mortem frui ipsi licuit; male sibi ab hominibus istis consultum esse conquestus sit, deceptumque se ab iis valde doluerit: Ipsius tamen successori *Vlrico* non melius a ministris eadem in re consilium datum legimus (a): nam neque tunc nobilibus, vt Princeps aliquis Germanus Latinis litteris admodum operam daret, placuit (b): quum has indignas plane iudicarent, quibus Princeps studeret; quippe quem *palaestricis* tantummodo ac *venationibus* vacare deceret, vt vires ad belli labores suscipiendos augeret, corporisque tueretur colorem. Animum litterarum scientia exercitare, non solum non necesse habere principem, existimabant consiliatores ii, sed litterarum studia noxia etiam esse persuadere conabantur domino, quae animos effeminarent. Idem hac in re censentes, quod *Gothorum* principes olim, ad *Amalasuntham*, prudentissimam *Theuderichi* viduam, optimam *Athalarici* matrem, venientes

(a) Io. Pedius Tehtinger. in Commentar. de reb. Wurtenberg. Hulderico Principe gestis in Schardii Collect. T. II, p. 57.

(b) M. Crus. Annal. Sueu. Part. III, lib. IX, cap. 10, p. 516.

tes, expostulabant (c) *non recte puerum Athalaricum, neque, vt regem deceret, educari, multum abesse a virtute litteras: & institutione deiici plerumque, & ad metum incuruari indolem. Qui magna ausurus, qui bello decora sit quaesiturus, debere liberum a magistrorum metu, armis tractandis erudiri.* Cuiusmodi iniquis & minus intelligentibus existimatoribus dudum ipsi principes atque reges responderunt: ipse etiam iste *Eberhardus* adseuerasse fertur (d), *doctrinae linguarumque cognitione nemini magis opus esse, quam Principi.*

Vt eo, vnde diuerti, ad clarorum videlicet virorum ad Reuchlinum epistolas, redeam. Inter has sunt etiam, quas SEBASTIANVS MVRRHO, *Colmariensis*, ad eum scripsit, quem primum iis sese opposuisse nouimus, qui de Germaniae limitibus, Francorumque origine ac sede peruersam fouerunt opinionem (e). *Io. Cuspiniani* praeterea, *Ioach. Vadiani, Georg. Spalatini,* eruditissimorum eloquentissimorumque offendimus ibi epistolas: nec non tales, quas MVTIANVS RVFVS, saepius in superioribus a me citatus

M 4 testis,

(c) Procop. Histor. Goth. lib. I, p. 143, edit. Elzeuir. 1655, 8.

(d) Declamat. Melanchth. p. 160.

(e) praefat. Peutingeri Sermonib. praem. p. 7. cuius auctor cel. Georg. Schubartus traditur.

teſtis, ad Capnionem ſcripſit (f). cuius emendatum dicendi genus complures magnopere prædicauerunt; ſententioſo & inciſo orationis genere eum vſum eſſe, quibusdam cenſentibus (ff): quale Politiani fuerit; ad quod in Italia adſuefactum eum arbitrantur, tam excellenti deinceps eruditione virum, vt Germanorum doctisſimum, ſæculi ſui *Varronem* atque *Ciceronem*, ac totius Germaniæ ornamentum eum vocarint (g). ipſe Mutianus de ſe ita ſcripſit: *id ſcio, nos omni doctrinæ genere, nedum in ſacris litteris & iure, tantum profeciſſe, quantum ab homine barbaræ nationis fieri poteſt* (h). Neque vero CONR. PEV-

(f) Ex nobili Hasſiæ familia ortus fuit *Mutianus*, in vrbe Gothana haud vulgaris pietatis deinde *Canonicus*.

(ff) Ioach. Camerarius in vita Eob. Hesſi.

(g) vid. Vdalr. Zaſii, & citat. præfat. Peutingeri Sermonib. præm. *Bibliothecæ conſtituendæ rationem* quum petierit Mutianus a Reuchlino, lib. II epiſt. illuſtr. vir. ad Reuchl. z. 3. Satis inde apparet, librorum, quos collegerit, numerum haud fuiſſe exiguum, eo magis tum mirandum, quo pauciores artis typographicæ inuentioni & Mutiani ætati interceſſerunt anni, & quo tenuiores conſtitiſſe ei dicuntur ex Canonicatu ſuo reditus; in vita, quam M. Adamus dedit vit. Iℓtor. p. 27. vbi is *omnium ſtudioſorum vnicus patronus & hoſpes in re quidem tenui admodum fuiſſe*, oſtenditur.

(h) in epiſtola ad Henr. Vrbanum, quam M. Adamus vitæ Mutiani addidit vna cum Aldi Manutii ad

PEVTINGERVS, vir nominis celebritate, *Patriciæ Auguſtanæ* ſtirpis origine, meritorumque magnitudine conſpicuus, nullas ad Reuchlinum ſcripſit epiſtolas: quem ob ſummam vitæ morumque integritatem, & maximam eruditionem amaſſe, obſeruaſſe, ac veneratum ſe eſſe, ipſe teſtificatus eſt (i). Nihil de incomparibili viro, a plurimis merito ſuo laudato, proferam in præſenti, niſi, quod eum *Italiæ* diſciplina egregie formatum, inter poſtremos, qui meliora ſtudia ope & conſilio in Germania iuuerunt, cenſendum negent eruditi: cuius exemplo multi humanitati atque litterarum ſtudiis ſeſe dederint (k): ſiquidem ea magnificentia in litteris verſatus dicitur, vt non ciues ſolum, ſed exteri etiam magno in pretio eum haberent, & ipſæ *Muſæ Gratiæ*que *communem* quaſi *patronum* ſibi delegiſſe tum viderentur (l). *Filiam Peutingeri Iulianam*, quum adhuc quadriennis puellula eſſet, *Maximilianum* Cæſarem Auguſtam venientem *Latina* acclamatione,

M 5 quaſi

eumd. Vrbanum epiſtola, qua Mutiani doctrinam & humanitatem magnopere laudat Manutius.

(i) lib. II epiſt. illuſtr. vir. ad Reuchlin. A. 2, b.

(k) præfat. Peutingeri Sermonib præm.

(l) Nic. Baſſelius ap. G. I. Voſſ. lib. III de Hiſtor. Lat. c. X, p. 652. conf. Rittershuſ. Commentar. de Vita Pirckheimeri p. 25.

quasi rei publicæ nomine salutauisse, scriptum reliquerunt (ll).

Tantum de priore *clarorum virorum ad Reuchlinum Epistolarum* libro. Ad alterum librum quod attinet (m); quo cultiori sæculo

(ll) Mart. Crusius Annal. Sueu. P, III, lib. IX, cap. 13. p. 526: qui p. 561 *Isabellam, Georgii Fuggeri filiam*, Villingerano Baroni deinceps nuptam, nominat, *quæ lingua Latina exactissime loqui potuerit.*

(m) Prodiit *Hagenoæ* ex officina *Anshelmi* an. 1519, 4. priore etiam isto libro præmisso; quo extremo hæc leguntur verba: *Mox, lector amice, selectarum adest Capn. epistolarum liber secundus, hactenus typis ac formulis minime aratus. Tertius liber*, quem typographus & in præfatione & in calce lib. II promisit, an emissus sit, confirmare non queo: nusquam certe citatum eum me legere memini; neque a cl. Maio eum editum esse, docemur: qui duorum dumtaxat librorum mentionem facit, quantum ego quidem recordor. *Thom. Anshelmi* ad lectores *præfatio* hæc est: *Annis superioribus epistolas non inelegantes illustrium quorumdam virorum vobis diuulgauimus, quas illi ad Io. Reuchlinum virum doctrinæ singularis scripserunt, quibus vos mirifice delectatos esse accepimus, non solum ob earum elegantiam, sed rerum quoque, quas tractant, miram concinnamque varietatem. Qua re cognita, secundum librum ex Chartophylacio Capnionis nostri adiecimus. Quem si vna cum prioribus placuisse vobis, cognouero, non pigebit me reliquas etiam in communem studiosorum omnium vtilitatem publicare.* Præfationi *acerrimorum Capnionis defensorum, virorum totius Germaniæ litteratissimorum splen-*

culo pleræque epiſtolæ, quæ ipſo continentur, ſcriptæ ſunt, eo elegantiores doctioresque eas eſſe, per ſe quilibet coniecerit. Enimuero præter complures celeberrimorum Italo-

didisſimorumque ſubiungitur *catalogus*, qui in ipſo ſtatim libri titulo promittitur; qui hic eſt: *Illuſtrium virorum Epiſtolæ, Hebraicæ, Græcæ & Latinæ, ad Ioannem Reuchlin Phorcenſem, virum noſtra ætate doctisſimum, diuerſis temporibus miſſæ, quibus iam pridem additus eſt liber ſecundus numquam antea editus. Reuchliniſtarum exercitum pagina inuenies mox ſequenti.* Horum agmen ducit *D. Eraſmus Roterodamus*: pleroſque eorum in Commentatione hac mea hactenus iam nominaui, quidam nominandi reſtant. In calce II libri ſequentia verba leguntur: *Finis additionum ad Epiſtolas clarorum virorum ex Chartophylacio ſecundo viri noſtræ ætatis celeberrimi doctisſimique Io. Reuchlini Phorcenſis. Sequetur tandem liber tertius, qui erit rerum Romanarum ex Chartophylacio tertio.* qui an emiſſus ſit, me plane dubitare, modo profeſſus ſum. neque vero etiam exputare queo, quid cauſſa ſit, quamobrem *Chriſtoph. Froſchouerus*, quum Tiguri lib. I an. 1558. typis ſuis exſcripſit, lib. II non addiderit; quum tamen hoc non minus elegantes diſertæque comprehendantur epiſtolæ, a viris longe celeberrimis conſcriptæ, quam priore. vtrum poſterior liber Froſchoueri notitiam fugerit, equidem ignoro: dummodo Froſchoueriana lib. II editio notitiam non fugerit meam. ſi illud fuerit, haud leue ſingularis libri raritatis ſignum videri poterit. Ego certe in quam plurimis, & publicis & priuatis, bibliothecis librum fruſtra inueſtigaui. nec in copioſisſimarum celeberrimarumque bibliothe-

Italorum atque Græcorum quorumdam doctisſimas epiſtolas non paucæ ibi occurrunt, quas *Deſid. Eraſmus*, *Herm. Buſchius*, *Herm. Comes Nuenarius*, *Vlr. Huttenus*, *Io. Cæſarius*, *Henr.*

carum catalogis eum reperi. Quid, quod clarisſimus Morhofius, quem diligentisſime de Epiſtolographis commentatum nouimus, neque prioris neque poſterioris libri mentionem fecit: id quod ſane miror; quum vterque dignisſimus mihi videatur, qui inter recentiores epiſtolographos, ſi non primo loco, inter primos ſaltem ponatur; præſertim a Germanis, quum temporum, quibus litteræ in Germania renatæ ſunt, hiſtoriam quam maxime illuſtrent: controuerſia in primis, quæ Reuchlino cum Colonienſibus fuit, optime ex iis cognoſci poteſt. Quod *Eraſmi Epiſtolas* ad Reuchlinum ſcriptas, quarum quinque libro II reperiuntur, eæque elegantisſimæ, *Londinenſi editioni* haud inſeruerint; cui tamen præfationes Eraſmi adiectas eſſe nouimus, eſt etiam, quod mirer: teſtari id ſimul poſſe arbitror, librum inuentu ſatis eſſe difficilem. Vtrum quinque iſtæ epiſtolæ augmento, quo *Batavi* Eraſmi Epiſtolarum editionem nuper locupletarunt, acceſſerint, confirmare non poſſum; quum nitidisſimam iſtam & pretiosisſimam Eraſmi Operum editionem in terris his inuenire non potuerim. Vtcunque ſe res habeat: clarorum virorum ad Reuchlinum epiſtolas, præſertim poſteriorem harum librum in paucisſimorum manibus eſſe, ſcio. Quod quum cogitarem, me non ingratum amicis lectoribus facturum, arbitratus ſum, ſi plurima inde excerpta darem, quæ ad argumentum, quod tracto, pertinere quodammodo videbantur: vt vel ex his ipſis excerptis de Epiſtolarum elegantia ſtatuere illis liceret, quibus euol-

Henr. Glareanus, Eob. Hessus, Er. Cordus, Nic. Gerbelius, M. Lutherus, Ph. Melanchthon, alii, ad Reuchlinum scripserunt: quorum grauissima de eiusdem meritis iudicia atque testimonia hactenus a me sunt adducta: & de quibus singulis plenior paullo post iniicienda erit mentio: quoniam mirifica eorum in purioris Latinae linguae studio inter Germanos concitando exstitit opera, plurimi a posteris perpetuo facienda.

Quum

uere eas haud contingit. Rectissime de istis statui posse, ego mihi persuadeo, quod olim magnus Iureconsultus, *Matth. Wesenbecius*, de non ita multis Victor. Strigelii, & aliorum clarorum virorum, epistolis, quas *Papiniano* suo Witteb. an. 1569, 8. edit. subiunxit, statuit: *Magna pars eruditionis, multaque sermonis festiuitas, in eiusmodi piorum hominum schedas est recondita: eaedemque latere mores cuiusque non sinunt, & velut in speculo virtutes ad imitandum, vitia ad cauendum repraesentant: multa pietatis, crucis, inuocationum, liberationum exempla proponunt: seruiunt historiae temporum, memoriamque rerum cognitione dignarum conseruant: in dubium vt venire nemini debeat, quin eiusmodi institutum* (edendi claror. virorum epistolas) *& moribus & studiis discentium plurimum adiumenti adferri possit.* Quare de reliquo prioris epistolarum libri editionem, quam Froschouerus dedit, citandam potius putauerim, quam illam, quae Anshelmo debetur, caussa haec est, quod, quum huius editioni paginae additae non sint, difficilius ideo citanda mihi visa sit.

Quum de reliquis etiam Dringebergii discipulis, fidisque Reuchlini amicis, & vindicandæ in Germania Latinæ linguæ adiutoribus, quædam proferenda putem; vtpote quorum non minus, quam reliquorum, quos hactenus nominaui, epistolæ ad Reuchlinum, velut communem Præceptorem, in binis istis epistolarum libris exstant: IO. CAMERARIVS DALBVRGIVS, *Wormatiensis Episcopus*, primus inter eos nominandus videtur: cui *Rud. Agricola* & *Io. Reuchlinus* tanta beneficia accepta retulerunt, vt longe munificentissimum eum venerati sint Patronum; immo quem omnes boni renascentium in Germania humanitatis studiorum summum coluerunt fautorem atque Mæcenatem (n). dum singulos eruditos illis caritatis beneuolentiæque officiis tam cumulate prosecutus est, vt ædes eius tutissimum ipsis præbuerint asylum. Primus & solus habebatur, qui trium linguarum peritissimus elegantiora studia in *Heidelbergense* lyceum intulerit, & qui ea ab indoctis, incultisque veteratoribus defenderit; adeo, vt nullæ tum fuerint litterarum deliciæ, nulla Germaniæ Musa, quæ non in eius laudes adspirarit, ab exteris etiam magnifice laudati (o). *Iacobus Sadoletus*, quum

(n) M. Crusius Annal. Sueu. P. III lib. IX, c. 8, p. 508.
(o) in vita Io. Reuchlini a cel. Maio conscr. p. 189.

quum matrem eius decesſiſſe inaudiuerat, *Philoſophicam* iſtam *Conſolationem* (p) ad eum miſit: quæ præconiis, quibus optimum Præſulem ornandum putauit, eſt refertisſima. quo hæc etiam verba ſpectant (q): *Quum ſis vtriusque linguæ doctisſimus, ac ſcientiæ ciuilis pontificalisque conſultus, & in omni genere diſciplinarum vel vnicus ætate noſtra longe conſummatisſimus, adeo, vt pro exquiſita illa, & certe rarisſima diuinarum humanarumque rerum cognitione, qua polles, in vniuerſum, & quaſi ex toto, nihil in te deſiderari posſit:*

(p) quam Ioach. Camerarius, Ioach. Fil. cum quibusdam optimi Parentis ſui & Io. Sambuci eiusdem argumenti lucubrationibus primus in lucem edidit, Frf. 1577, 8. ap. Andr. Wechel, poſtquam Camerarius Pater eam ab Sambuco illo tempore, quo coniuge ſua orbatus erat, acceperat manu ſcriptam, cum ſimilibus argumentis publicandam. quod quum Pater perficere non potuerat, (qui in litteris ad Sambucum, ſe de epiſtolis & aliis quibusdam non inutilibus ſcriptis proferendis aliquot annos fruſtra laboraſſe conqueſtus eſt, quod typographicæ officinæ ſcriptis, quibus vulgus tum maxime delectabatur, fuerint occupatæ) filius demum peregit, elegantisſima Parentis *Meditatione in aduerſis*, cum aliis eius & Sambuci ſcriptis, adiecta. De Sadoleti Conſolatione Sambucus in epiſtola ad Camerarium pag. 124 iudicauit, eam ab auctore admodum iuuene conſcriptam eſſe, in qua primæ Ciceronianæ exercitationis apparerent indicia.

(q) pag. 10. ſeq.

posſit: quod ad ſummum virum, præſtantiſſimum ſapientiæ doctorem, optimum præſulem, pertinere videatur. Extrema conſolatione eum ita alloquitur, poſteaquam *optimarum artium amplificatoris* laudem ei quoque attribuerat. *Vbique magnus occurris, vt omnes omnium gentium oratores, omnes nationes te ſuſpiciant, obſeruent & admirentur, quod admodum paucis euenit, vnice diligant, ſingulariter & vehementisſime ament, mirificis laudibus ad cœlum efferant* (r). Hic ipſe *Dalburgius* eſt, in cuius honorem inuſitato plane in Germania exemplo, magnoque ſimul cum plauſu, *Comœdia Latina* ab adoleſcentibus quibusdam ſtudioſis acta eſt, idque optimis *Reuchlini auſpiciis* (s). Is ipſe porro eſt, pro quo *Rud. Agricola* ſupra citatam orationem coram Pontifice habuit; & cuius ſumma humanitas ac munificentia eumdem Agricolam *Heidelbergam* pellexit; ſeu vt eius conſuetudine ſe ipſe ad recte ſcribendum adſuefaceret, ſeu vt iuuentus haberet ſtili formatorem (*). poſtquam *Epiſcopus Wormatienſis* factus erat, per *Theod. Plinium*, infra pluribus lau-

(r) p. 98.

(s) cl. Maii Vita Reuchlini p. 188. conf. M. Cruſius, Annal. Sueu. P. III, lib. IX, c. 8, p. 508. & D. Chytræus in Saxonia, ad an. 1497. lib. III. pag. 81.

(*) Phil. Melanchth. de Vita R. Agricolæ T. II Declam. p. 451 ſeq.

laudandum verbis, confirmauerat ei, se tanto propensiore in ipsum futurum esse munificentia, quanto paratior tunc, quam antea, quum *Electoris Palatini Cancellarius* fuisset, foret sibi facultas: curaturum, omnique opera enixurum se pollicitus est, vt appareret, Dalburgium *non sibi magis honore rebusque auctum esse, quam Agricolæ*, longa consuetudine coniunctissimo suo amico; cum quo cuncta diuisurus, & communia omnia habiturus esset. Quæ singula liberalissime præstitisse bonarum litterarum cupidissimum Præsulem, ipse Agricola grauissimus testis est (s): cuius caussa domi suæ Iudæum, ad Christianam religionem paullo ante conuersum, aluit, vt Hebraicas ex eo addisceret litteras.

Eiusdem etiam huius Dalburgii atque Agricolæ fama permotus CONRADVS CELTES, *Protucius*, Dringebergii itidem discipulus, Heidelbergam abiit, vbi oratoriæ atque poeticæ tanta cum laude operam nauauit, vt, posteaquam egregiis in Italia vsus fuerat magistris, primus omnium Germanorum poeticam lauream a *Friderici III* Imperatoris manibus acceperit. de Latinæ linguæ studio subleuando tam præclare deinceps meritus, vt *eloquentiam Romanam*, quantum Germano

N sal-

(s) Lucubration, pag. 200, 205, 215.

ſaltem homini conceſſum tum fuerit, *primus in Germaniam perduxiſſe* nonnullis videatur (ſſ).

Ad HENRICVM BEBELIVM, *Iuſtingenſem*, qui ex toties laudati Dringebergii ſchola cum tot eximiis viris aliis prodiit, & a *Maximiliano I* laurea donatus eſt, quod attinet; ipſa viri ætas illis eum adnumerauit, qui Germanicam rationem Romanæ linguæ ſplendore ornare ac illuſtrare cœperint. Multum profecto ad rem litterariam amplificandam contulit: ſiquidem in *Tubingenſem* academiam omnium primus manſuetiores Muſas, terſamque Latinitatem ſanis perſuaſionibus inuexiſſe putatur; frequentique auditorio poetas, oratores, ac hiſtoricos explicando fœdam barbariem inde pepulit (t): ita, vt ad Reuchlinum ſcribens *Politioribus litteris præfecti* titulum iure vſurpare potuerit (tt). Qua ratione litteræ, quæ per tot ſæcula delituerant, ex tenebris ſeſe ſenſim emerſerint, ex Bebelii huius epiſtola quadam ad Reuchlinum ſcripta cognoſce reali qua ex parte licet: qua ex eo ſciſcitatus eſt, quomodo voces *Kyrie eleiſon, Euangelium, Metamorphoſis, Sophia* eſſent

(ſſ) Adami Vit. Philoſ. p. 29. ſeqq.

(t) Mich. Coccinius ap. M. Cruſium, Annal. Sueu. P. III, lib. IX, cap. 10. pag. 516. & in Adami Vit. Philoſoph. p. 26.

(tt) clar. viror. ad Reuchlin. epiſt. p. 35.

essent pronuntiandæ(u)?quarum rectam pronuntiationem priusquam illa epistola, qua respondit Reuchlinus, ostendit, iocose oppido Bebelium compellauit (v): *Sed heus tu, mi Bebeli, cur a me veterano, & ludi litterarii emerito milite, grammaticum opificium quæris? cuius & dux & imperator ipse in Musarum castris quotidianum exercitum agis. Redigere me vis ad incunabula & vagitus puerorum.* Pari modo *Iodocus Gallus Rubeaquensis*, litterarum Græcarum rudis, per litteras ex Reuchlino quæsiuit, num in illo Matthæi: *Vidimus Stellam eius, & venimus adorare: τὸ venimus*, sit *præsentis*, an *præteriti temporis* (x)? Quanti de reliquo Bebelius fecerit Reuchlinum, quem *Præceptorem* suum appellare consueuit, supra a me declaratum est,

BEATVS RHENANVS, *Selestadiensis*, in illorum etiam refertur numero, qui ab ineunte ætate magistros audire maluerunt, qui aut vtramque linquam Græcam & Latinam tenebant, aut sermonem Latinum ad elegantiam artium potius, quam ad earum deprauationem fœditatemque tradebant. id quod vel sua sponte, vel familiarium hortatu, vel

 exem-

(u) ibid.
(v) ibid. p. 35, b. (x) M. Crusius in Annal. Sueu. P. III, lib. IX, c. 10, p. 516.

exemplo aliorum fecisse Rhenanum, *Io. Sturmius* dilucide demonstrauit, vtpote qui vitam eius elegantissime scriptam reliquit (y); præclarisque eius in litterarum studia meritis explicatis, ostendit, optimum virum Græcæ & Latinæ linguæ scientiam, litterarumque iuuandarum studium *Io. Cononi*, *Norico*, qui sub eruditissimorum Italiæ hominum disciplina profecerat, vltro debuisse. Ios. Scaliger tanti æstimauit Rhenani merita, vt eum doctissimis Germanorum adnumerarit, cui non Germania solum, sed omnes quoque eruditi in *antiquitatis* & *veterum auctorum restitutione* plurimum debeant (z). Idem Mart. Dorpius

(y) eam M. Adamus integram fere dedit in Vit. Philosoph. pag. 132 seqq. verum illa in primis, quæ Sturmius de religione retulerat, omisisse Adamum, est, quod miror. quo hæc verba pertinent: *quamuis constat, sincerioris Theologiæ ipsum fuisse studiosum. De Erasmo fertur, quod dicere solebat, Lutheranos bonam comœdiam male agere. eius ipse principio opinionis fuit, sed ætate accessit propius, vt idem sentiret, tametsi idem non tueretur dignus sane vir cuius religionis caussa committi debuerit, si iudicibus fuisset opus: propter probitatem, veritatem, doctrinam, iudiciique acumen, id quod in scriptis perspecte exstat.* eodem hæc etiam verba pertinent: *Veniamus ad religionem, in qua aliqui fortem eum non fuisse culpant: quod quum probaret nostram, partes eius non susceperit.*

(z) Scaligeran. I, p. m. 129, II, p. 204.

Dorpius in epiſtola ad Eraſmum cenſuit (a): *Rhenani* ſcilicet *ſedula in caſtigandis optimis auctoribus vigilantia omnes doctos adiutos ſeſe profiteri*, viri, qui *re fuerit beatisſimus*, & cuius ſolo nomine exſiluerit: cuius quotidiana pene conſuetudine, doctisſima pariter & mellitisſima, ipſe Eraſmus ſic ſe delectatum, faſſus eſt, vt *hac re ſe plane putarit eſſe, quod ille dicebatur*, & vt ipſo hoc *amico nihil* ſibi fuerit *amicius*; cui diuini ingenii ſui monimenta dedicare non dubitauit (b).

Rhenani popularis, eiusque ætati ſuppar fuit IOANNES SAPIDVS, qui eodem iſto *Dringebergio* præceptore adoleſcentulus vſus, tantum laudis deinceps conſecutus eſt, vt vnus ex felicioribus ſæculi iſtius ludimagiſtris haberetur; qui, barbaris ſcriptoribus iuuentutis aures perſonantibus exploſis, clasſicos auctores eorum in locum, puriusque dicendi genus introduxerat: ab ſummis eo nomine ætatis ſuæ viris, quorum numero Eraſmus, collaudatus. Idem dicendum eſt de altero Rhenani populari IAC. WIMPHELINGO: quem maiore in obſeruantia propter ætatem & æſtimationem, quam in amicitia propter iuuentutis ſtudia inter familiares, & modo laudatos ciues fuiſſe, Sturmius te-

(a) Eraſmi epiſt. lib. VII, ep. 1. (b) Pirckheimer, Epiſt. lib. miſcel. ep. 23, & 29.

ſtatur (*). Inter plurima eaque inſignia præconia, quibus Eraſmus Wimphelingum condecorauit, haud poſtremum eſt, quo confirmauit, *tantum eloquentiæ, tùm in carmine, tum in oratione ſoluta, eum præſtitiſſe, quantum vel a theologo, vel ab illorum temporum homine potuerit requiri* (c).

Quo longius pleroſque hactenus commemoratorum a me virorum, optimorum boni Dringebergii diſcipulorum, & in rem publicam & litteras inſtaurandas meritorum magnitudine ſuperauit BILIBALDVS PIRCKHEIMERVS, *Patricius Norimbergenſis*, eo maiore iure, ſi dignitatis gradu atque ordine ſingulos collocaturus fuiſſem, primus a me poni debuiſſet. quandoquidem præter ampliſſimos honores, quibus patria & pacis & belli temporibus eum ſubinde exornauit, potentiſſimorum Imperatorum, *Maximiliani I*, huiusque nepotis *Caroli V* a conſiliis fuit. Quod de *Catone Cenſorio* proditum eſt, quod ſimul & bonus *imperator* fuerit, & *ſenator*,

(*) in vita B. Rhenani.

(c) epiſt. 10, lib. XXIII, quæ ad eumdem Io. Vlattenum ſcripta eſt, cui Eraſmus Ciceronianum ſuum dedicauit, in cuius ipſius defenſionem multa epiſtola iſta profert. qua poſtquam de *Wimphelingi morte* egit, addit demum: ***Annum attigit pene octogeſimum, diutius etiam victurus, ſi corpuſculi deficientis rationem vllam habere voluiſſet.*** conf. M. Adam.

nator, & *orator* & *paterfamilias*, idem de *Pirckheimero* vere adfirmari posse, *Conr. Rittershusius*, cui luculentissimum de Vita eius Commentarium debemus (d), censet: & quum ipsum hunc Catonem superauerit in nonnullis rebus Pirckheimerus, ab omni sæculorum memoria per paucos repertos esse existimat Rittershusius, qui tot tantisque virtutibus fuerint præditi, quantis eum præditum fuisse, ostendit: præsertim quum litterarum harumque cultorum tantus exstiterit vna patronus, vt *ædes* eius, æque ac Ioannis Dalburgii, *eruditorum hospitium*, seu *diuersorium* habitæ sint (e). Hinc Io. Cæsarius, doctissimis ætatis suæ viris adnumerandus, adulationis nomine suspectus esse non potest, quando ad Reuchlinum scribens (f), Pirckheimerum *rarum inter Germanos miraculum* adpellauit: namque Erasmus satis etiam comprobauit (ff), *tantum viro in terris his obtigisse felicitatis, quantum paucissimis mortalium obuenire soleat*; alibi commonstrans (g), *rarissimam* prorsus *sæculi istius a-*

 uem

(d) Operibus Pirckheimeri a M. Goldasto Frf. 1610, fol. editis præmissum. Comparatio ista reperitur p. 21 seq.

(e) Commentar. pag. 23. (f) lib. II epist. illustr. viror. ad Reuchl. x. 4, b.

(ff) lib. XXVI, ep. 33. (g) epist. Pirckheimer. lib. miscell. ep. 22.

uem fuiſſe virum, qui tam eximiam eruditionem cum tanto fortunæ ſplendore, rurſum cum hoc tantum comitatis & humanitatis copularit, & qui cum ipſo & compluribus Germaniæ eruditis amicitiam conciliare haud ſit grauatus. Ipſi adeo Itali, inuidi ſatis alioquin Germanorum laudis fautores, præter gentis & animi nobilitatem, excellens vtriusque litteraturæ ſtudium in Pirckheimero admirati, eum vnum & multis popularibus & Germanis prætulerunt, qui in magnis ſemper negotiis verſatus, principibusque acceptisſimus animum ad elegantiores Muſas primus applicarit; & veram rectamque ſtudiorum ingreſſus viam, *eloquentiæ vim atque ornatum ad ſacram rem iuuandam contulerit* (h). Pater etiam eius *Ioannes Pirckheimer* Germaniæ Muſas admodum iam ſibi deuinxerat, quod Senatui Norico auctor exſtiterat conſtituendi publici profeſſoris, qui oratoria & poetica facultate pollens ſalario publi-

(h) *I. Bapt. Egnatius* epiſt. Pirckheimer. lib. miſc. ep. 70. qui epiſt. 71 audacter ſic profeſſus eſt Pirckheimero; *inuideo plane tantæ virtuti tuæ, inuideo huic laudi, inuideo non ſolum patriæ, quæ te genuit, verum etiam vniuerſæ Germaniæ iam tuæ, quæ noſtræ Italiæ hoc alumno præferre ſeſe & oſtentare nobis ſuo iam iure poteſt. Neque enim ille iam ſupereſt, quem tibi non modo præponere, ſed nec quem tecum conferre habeat.*

publicitus præbito ad Italicarum quarumdam vrbium morem doceret (i). Quanto fauore filius prosecutus sit litteratos, præcipuorum eius *amicorum Nomenclatura*, Rittershusii Commentario adiecta, maxime declarat : qua plerorumque Latinæ linguæ vindicum a me laudatorum leguntur nomina. Quanti Reuchlinum fecerit, vel ex pluribus supra a me prolatis testimoniis cognosci potest. enimuero hunc arctiori vinculo adstrictum ipsi fuisse, complures perhumanæ vtriusque epistolæ, quæ supersunt, nos edocent: cui etiam in exilio rei familiaris inopia nonnumquam laboranti, & amici opem imploranti prompte liberaliterque succurrit (k) : pulcerrimam præterea pro ipso

 emit-

(i) Rittershus. Commentar. p. 23, & Conr. Celtes in Vrbis Noribergæ descript. cap. 12, fin. quæ Franc. Irenici Exegesi Germaniæ subiecta est.

(k) Eo Reuchlini res erant redactæ, vt ad Pirckheimerum scribere necesse habuerit (Pirckheimer. epist. famil. lib. miscell. ep. 9.) *Fugi pestem, fugi gladium, vtinam effugerim famem! Ferme namque hoc Marte decoxi, dum a nobis tyrannus nostra vi abstulit, & bis victores, bis nocuerunt Semissis autem homo sum, quia dimidium animæ meæ Bibliothecam plusquam dimidiatam domi reliqui, & ego cum minutis libellis, vt in tanta velocitate perfugii fieri potuit, Anglopolin, quam Ingolstadium appellant, me corripui, multis de caussis.* Quam benigne ac munifice opitulatus sit Pirckheimerus Reuchlino in his

emittens *Apologiam* (1). Magnus autem Erasmus Pirckheimero id, quod Ciceroni *Atticus* quondam fuit, exstitisse, Rittershusio

angustiis, ex epist. 10 cognoscere possumus, qua ad Mæcenatem hunc suum, quem epist. 13 *tempestatum suarum anchoram* vocauit, *& mirificam spem suam*, scripsit: *Omnia magnifica Bilibaldi mei, omnia heroica, animus quoque. Id adeo nuper, atque non tum primum, experiebar. Ac præter formam tuam cetera oculis ipse meis vidi & manu tetigi. Superabas omnia vota mea quam munificentissime. Argentum petii, aurum misisti, neque id solum, quod erat, sed plura pollicitus, si pluribus egere cœpero. Et qui hactenus fueram bibula vsus papyro, quæ atramentum sorbebat, volebam chartas vel Fannianas: tu non vniusmodi generis, sed & augustam fortassis & Perotham addidisti. Desideraui pauonum pennas, vt quandoque lecta describerem: tu me olorinis donasti plus quam egregiis, ac ne deesses officiosæ amicitiæ, calamos etiam Niloticos, vel quod potius reor, Cnidios ad scribendum aptiores misisti: & gladiolos incisioni commodissimos. Vix credere possis, quam exhilararis vltroneum exilium meum.* Quo facilius sæculi istius mores adpareant, quin ex eadem Reuchlini epistola nonnulla adiiciam, temperare mihi non queo. quibusdam interiectis ita pergit: *Iam nihil est, quod amori erga me tuo non persolueris, quamquam intemperans ego, rerum puerilium æquo cupidior esse videor, quo futurum est, quod te posthac pluribus impetere haud cessauero. Nunc enim venit in mentem, ex iis crepundiis forficulam esse oblitum me, ad pilos narium adimendos: & triplicis magnitudinis chordas ad exornandam citharam, qua sæpe mecum solus commodata vtor, si quan-*

sio visus est (ll). qui Bilibaldum hunc suum Duumuiris istis, Reuchlino atque Erasmo, fidelem

do post immoderatum & crudelem patriae casum animo consternato sedare choleram molior. Et mirum tibi videri potest, in tanta ciuitate, quam habito, nihil horum esse venale, nisi vetus, id est, quod legisti: Deserta Boiorum regio. *Male vero mihi sit, Bilibalde, si cupiam, te cum opera etiam perdidisse impensam. quapropter in apocha, quam his inclusam litteris tibi securitatis caussa mitto vnum adieci aureum ad ea, quae meo nomine in reculas erogasti.*

(ll) Continetur *Apologia* haec praefatione, quae *Luciani* dialogo, *Piscator* inscripto, & a Pirckheimero in Latinum sermonem conuerso, praemissa est, a Rittershusio p. 24 Comment. *insignis* dicta. Erasmo quoque Pirckheimerus solito facundior in ea visus est; quod fortasse pectus quoque ipsum reddiderit eloquentem, non tantum ingenium aut eruditio. at *catalogus Reuchlino fauentium* ipsi isti doctissimo alioquin libello, siue praefationi, adiectus non admodum placuit Erasmo. *quis enim*, quaerit, *vsquam illi non fauet, eruditus aut pius? quis non istam execratur belluam, nisi qui aut caussam non intelligit, aut publico malo suis consulit commodis?* epist. Pirckheimer. lib. misc. ep. 25. Prodiit Dialogus Noriberg. 1517, 4: *Laur. Beheym*, Babenbergensi Canonico, cuius doctrina mirifice laudatur, qui Graeca & Latina facundia ita excelluerit, vt nemo ipsi aetate sua praeferri potuerit, dedicatus. Non ita procul ab initio praefationis scribit Pirchheimerus: *Sunt, qui contra Christianam institutionem ac bonorum morum honestatem, in optimum & accuratissime doctum virum Ioannem Reuchleyn plaustra conuiciis plena exonerare, tam petulanterque facundiam caninam exercere non erubuerunt.* Extrema prae-

fidelem in expugnanda barbarie παραςάτην ac socium se præbuisse, meritissimo prædicauit. Nam quum præter reliqua litterarum genera humanitatis in primis studia, Italorum, apud quos iuuenis studiorum caussa commoratus erat, exemplo adductus, diligenter excoluerat, ita, vt, Græce Latineque doctissimus, Reipublicæ suæ caussam facundissime, non sine summa audientium admiratione, perorare semper consueuerit: & quum facili quoque ac eleganti versus scribendi præditus fuerat vena. bonas litteras quam maxime volebat adiutas; sedulo curans, vt vetustis auctoribus suus restitueretur nitor

fatione hunc ita compellauit : *Nihil deerat, quod virtutum tuarum cumulo accedere posset: maximis honoribus functus eras, eam vitam exegeras, quam optimus quisque etiam votis expetere deberet, in te natura omnes vires suas contulerat, eruditione vbertim excellueras, litteris Latinis ornamento fueras, Græcas ferme primus Germaniæ intuleras, Hebræas non absque singulari industria & ingenti admiratione didiceras, felicissimi ingenii tui quam plurima, sed non vulgaria monimenta reliqueras: tam numerosis igitur artibus, ac supra captum cogitationis arduis, cursum compleueras, ac solum hoc deerat, vt aduersitate aliqua insigni animi tui magnitudo probaretur, ac tamquam aurum igni examinaretur. en occasio tibi oblata est egregia, qua fortitudinis, constantiæ, ac probitatis tuæ specimen singulare præbere posses.*

(ll) in Commentar. de Vita Pirckheimer. p. 4, 15, 24.

nitor atque dignitas. Quarum litterarum dulcedine *Sorores* adeo eius, *Charitas*, & *Clara*, captæ, tam doctæ euaserunt, vt ad eruditisſimos æui iſtius viros *epiſtolas Latinas* de arduis ſæpisſime rebus miſerint (m): & *Charitatis*, quæ Ordinis *Sanctæ Claræ* in Cœnobio Norimbergenſi *Abbatiſſa* fuit, *Epiſtolarum liber* etiamnum exſtet (n). Neque *filia*

(m) ibid. pag. 3.

(n) inter Pirckheimeri opera p. 339 ſeqq. Ea ipſa eſt, cui *Conr. Celtes Roſuitæ Carmina* nuncupauit: de qua ea epiſt. II Celti reſcribit: *Verificatum eſt in illa prudentisſima virgine illud Apoſtoli: Infirma mundi eligit Deus, vt fortia quæque confundat, laudanda eſt pro certo gratia almi pneumatis, quæ iſtud ingenium virgineum tantis ſplendoribus ſcientiæ & induſtriæ decorauit illuſtrauitque. Extollenda atque laudanda veſtra humilis diligentia, qua ſtuduiſtis ſcripta & carmina mulierculæ in lucem producere, atque arti impreſſoriæ tradere, non ſpernendo fragilem ſexum, humilemque ſtatum ſanctimonialis paupercule.* Chr. Scheurl. ep. I eamdem Charitatem his alloquitur verbis: *Super ingenii muliebris captum ad tantum litterarum faſtigium perueniſti, vt epiſtolas ſcribas, & orationes componas, ſubtiles, elegantes, Latinas, eruditas & quamquam virginali quadam gratia dulcisſimas: tamen etiam mira ſententiarum grauitate refertas* In præfatione, quam *Plutarchi* libello de *Sera Numinis vindicta* ab ſe Latine facto, præfixit Pirckheimerus, natu hanc maiorem ſororem ſic compellat: *Non eo ſolum mihi chara es, mea charisſima Charitas, quoniam ſoror germana, eisdem orta parentibus, arctisſimo naturæ*

lia Pirckheimeri *Catharina* Latinarum litterarum

ac sanguinis vinculo mihi astricta es, sed quae & praeter vitae institutum laudabile tibi cum eruditione commercium est, bonarumque disciplinarum praecipuo teneris desiderio. Sortita est familia nostra vltra honores, anc, ac opes [quibus iam diu floruit] praeclaram hanc, bonitate diuina, gloriam, vt longa serie, non solum viris ornata fuerit eruditissimis, Christianaeque pietati arctius addictis, sed & feminis decorata religiosis, ac impense doctis. De ambabus suis sororibus ad Erasmum ep. 26 lib. misc. scribit: *Salutant te geminae meae sorores, Abbatissa S. Clarae vna, altera eiusdem regulae sectatrix, quae assidue tua scripta manibus retinent: maxime vero iam nouo oblectantur testamento: quo mire afficiuntur mulieres, multis viris, qui sibi scioli videntur, doctiores. Scriberent ad te Latine, nisi indignas suas existimarent litteras.* Singularem certe Charitatis epistolae spirant *pietatem.* quarum III C. Celtem ita hortatur: *Recogitate peto, insignissime Doctor, qui sapientissimus hominum post inuestigationem omnium sub sole fatetur. Vanitas, inquit, vanitatum, & omnia vanitas, & afflictio spiritus, plenitudo autem sapientiae timere Deum: si ergo omnia vana sunt, praeter Deum timere, colere & amare, cui seruire regnare est, vtique vanitati non est adhaerendum, sed omni celeritate ad certissimam veritatem, quae in sacra Scriptura recondita est, recurrendum.* Mirificum eaedem epistolae prae se ferunt in optimum fratrem amorem: quem dulcissimum suum *praeceptorem* nuncupare consueuit Charitas: in ep. VII eum ita compellat: *Dabis veniam meis incultis atque incongruis litteris, quas ideo ad te exaraui, vt habeas occasionem corrigendi meam ruditatem, ceterasque incongruitates in lingua Latina, cuius mini-*

rarum ſtudioſa non fuit (o). Ipſe vero ſingulari in Muſas fauore id meritus eſt, quod doctisſimus Italus prædixit fore (p); vt nulla ætas tacitura videatur, qualis in doctos & bonos viros exſtiterit Pirckheimerus, & vt poſt fata etiam ſingulare patriæ & totius Germaniæ colatur ornamentum: velut is, *quo duce primum efflorescere cœperit apud Germanos eloquentia*; quam & morum pietate & fortunæ ſplendore illuſtrarit, & qua tantum in legationibus, quas ſubiit creberrimas, valuerit (q): longe dignisſimus, qui Germanis in exemplum adſumatur, vt & ipſi acriori ſtudio litteras adiuuent (r); ſtupentes ferme, tan-

me ſum perita, quum nullum vmquam habuerim præceptorem, præter te, germanum meum amantisſimum, quem non ſolum amplector fraterna charitate, vt meum fratrem vnicum, ſed etiam veneror, vt patrem fidelisſimum, præceptoremque colendisſimum, cuius correctioni per omnia me humillime ſubiicio, deſideroque cordalisſime, vt aliquando nacta opportunitate non dedigneris venire ad nos, cauſſa informationis, quia etſi quid modicum mediante Dei gratia ex diuina ſcriptura intelligo, tamen neſcio intellecta mentibus iuuencularum meæ eruditioni commiſſarum ſatis imprimere

(o) M. Cruſii Annal. Sueu. P. III, lib. III, c. 4, p. 147.

(p) Egnatius ep. 70 Pirckheimer. lib. miſcell.

(q) Eraſmi Ciceronian. p. m. 380.

(r) Franc. Irenici Exeg. German. lib. III, c. 3, & in Rittershuſ Commentar. p. 39.

tantum litterarum vni viro superesse potuisse, inter tot curas distracto, & qui plurimam temporis sui partem inter iuris ciuilis pugillares transmiserit. Quamquam enim fuerunt inter iurisconsultos ætati ipsius suppares, qui reprehenderunt, quod, veneranda & fructifera legum maiestate neglecta, ad *sterilia* ista, & vt ipsi contendebant, *inania* diuerterit studia; quum neque amici boni consulerent, quod tot publicas priuatasque curas litterarum etiam degrauarit incommodo. Quamquam porro exstiterunt, quibus, quum sacras quoque litteras tractare ipsum cognouerant, leuiora, quam existimatio, aut legalis doctrina admitteret, versare visus est. quem milites non minus quondam deriserant, quum eum *in castris nonnumquam libellos manibus tenere, ac inter bellicum furorem lectioni operam impendere*, viderant (s). Quemlibet tamen in hac tam ambitionis, quam lucri contemptione irridere facile passus est prudentissimus vir: vtpote qui, nullum plane studium, dummodo honestum, bonoque viro haud culpandum fuerit, vile sibi exstitisse, confirmauit: quum nec *gloriam*, cuius satietas

(s) Pirckheim. epistol. dedicat. lib. ep. 2 & 6. Germanos enim adhuc tum persuasum sibi habuisse addit, *litteris animum effeminari virilem, nec quemquam mam strenuum pariter & eruditione clarum esse posse.*

tietas ipſum tum tenuerit, venari, nec *diuitias* quærere decreuiſſet. Sperauerat ſimul, pasſuros vicisſim fore ſuaues iſtos viros, rigidosque cenſores, Pirckheimerum aliquantulum animo ſuo morem gerere, ſuisque non penitus aſpernandis perfrui deliciis: præſertim quum nec ipſe multiuariis eorum inuidiſſet voluptatibus, & fata ita tuliſſe crediciſſet, vt, quum alius aliis indulgeret oblectamentis, ipſe interim, tamquam plane a negotiis feriatus, in *piſtrino litterario ſeſe torqueret, non ſine bonæ valetudinis diſpendio, amicorumque obiurgatione, vulgi denique riſu ac ſubſannatione.* Si qui vero conuiciis publice priuatimque ipſum ſunt inſectati, velut *Reuchliniſtam:* tantum abfuiſſe, ſcripſit (ſ), vt inſanas hominum contumelias, conſarcinata mendacia, & egregiorum Theologorum obtrectationes ægre tulerit (sſ), vt periculum

O immi-

(ſ) ibid. ep. 8. b. quæ ſcripta eſt ad illuſtr. Comitem Hermannum de Nuenar. cui Luciani dialogum quemdam dedicauit.

(sſ) in Append. epiſt. 14, p. 401, ſcribit: *tantum abeſt, vt ægre feram, ſi Reuchliniſta appeller, vt etiam maxime ob illius amicitiam glorier, viri, quem nec improbi laudare digni exiſtunt, poſſem & ego contra inſanientes inſanire, ac non ſolum crimina, ſed & fulmina iacu ari, vtpote rhetoricis attritus exercitiis, nec alibi latior pateret campus, ſeu vberior daretur materia, ſiue in veteratorum iſtorum vitam ſceleratam, moresque perverſos inuehi, ſeu craſſam ac ſupi-*

imminere ſibi timuerit, ne eius rei gratia ſe aliquem eſſe putaret, & plus æquo ſeſe efferret: & vt eorum tam dicta, quam facta ſempiterna potius obliuione delenda, quam vllis litterarum monimentis committenda exiſtimarit. Eo enim res deuenerat, vt optimus quisque Reuchlini litterarumque hoſtium conuiciis magis delectaretur, quam eorum præconiis. Enimuero quum optimum, doctisſimum & innocentisſimum Capnionem laudibus extuliſſet Pirckheimerus, & a calumniatorum obtrectationibus vindicaſſet, ab omni plane ſcelere innocentem eum oſtendens: Germaniæque nobilitatis decus, & litterarum columen, Huttenum, plus æquo præconiis decoraſſet: illas obortas adfirmat lacrimas, & has ipſas cauſſas exſtitiſſe, ob quas non ſolum *degener, impudens, contumelioſus, indoctus*, ſed etiam *blaſphemus, impius*, & *hæreticus* ſit appellatus (t). Qualia inepta conuicia prohibere haud potuiſſe adſeuerat; quo minus ipſe, quemadmodum olim in bellicis rebus *Martialium copiarum dux* fuerit,

nam eorum ignorantiam carpere luberet, verum abſit, vt imitator eorum ſim, qui ob virulentam linguæ rabiem merito reprehenduntur, & quæ ſequuntur. Epiſt. 19 Hutteno fatetur: *Nec mihi tam Lutheri quam Capnionis amicitia nocuit, cuius inimici præcipue me infeſtarunt.*

(t) epiſt. dedicat. lib. p. 242 ep. 8.

rit, ita tum in *Reuchlinianis castris ordines gerens*, non ignauus repertus sit ἀλεξίκακος. (tt).

Tantum de *Dringebergii*, Westphali, optimis

(tt) ibid. ep. 13, p. 246. Quod si plura de excellentissimo Pirckheimero cognoscere cupis, Lector, praeter citatum Rittershusii de vita eius Commentarium, sane quam elegantissimum, toties allegatos a me epistolarum libros, Operibus ipsius subiunctos, euoluas velim. praeter enim eruditissimarum *Dedicatoriarum Epistolarum*, litterataeque *Pirckheimerae Abbatissae Epistolarum librum*, *Familiarium librum miscellum*, earumque *appendicem* ex Pirckheimerana bibliotheca protraxit M. Goldastus: qua opera posteros magnopere sibi deuinxit celeberrimus vir: excellentissimorum enim virorum libro isto miscello continentur epistolae. vt de ipsius *Pirckheimeri*, quas ad amicos misit, & de *Erasmi*, quae Epistolico ipsius operi adiectae sunt, epistolis nihil dicam; quam plurimae optimi *Reuchlini*, *Io Cuspiniani*, *Henr. Lor. Glareani*, *Iulii Pflug*, *Ioach. Camerarii*, *Petr. Moselani*, *Hulder. Zasii*, aliorumque, lectori sese ibi offerunt. de quibus idem praedicari posse mihi videtur, quod de clarorum virorum ad Reuchlinum epistolis paullo ante adfirmaui. Temporis certe, in quod Pirckheimeri aetas incidit, facies, emendataeque religionis, ac renascentium in Germania litterarum conditio conspici ex illis potest, magni ea propter, mea quidem sententia, faciendis, nec non dignissimis, quae a bonarum litterarum cultoribus legantur. vt illis, qui eas nondum legerunt, aliquem saltem istarum gustum darem, quaedam inde excerpta me protulisse, lectoribus haud displicebit, spero.

mis præſtantisſimisque *diſcipulis:* cuius viri ſchola cum equo Troiano non inſcite comparari poſſet: tantum ſimul de præcipuis *Io. Reuchlini amicis*, ac fidelisſimis in aſſerenda litterarum apud Germanos gloria *ſociis*. quorum epiſtolæ, Reuchlinum tamquam oraculum ab ipſis aliisque conſultum eſſe, teſtantur. In quorum ipſorum commemoratione & breuior & longior iuſto videri tibi potero, beneuole Lector: breuior, quod de tantis viris, quibus Germania tam obſtricta etiamnum eſt, quam quibus maxime, pro merito eorum pauca admodum protulerim. at veniam mihi dabis, ſpero, reputans, me non vitas celeberrimorum virorum conſcribendas decreuiſſe, ſed de Fatis linguæ Latinæ in Germania agere conſtituiſſe. id ſi cogitaris, ne iuſto longior tibi tum videar, eſt, quod metuam. Sed tamen grauisſimorum eiusdem linguæ vindicum mentionem, qualiscunque ea etiam eſſet, faciendam exiſtimaui. Hoc enim felix iſtud tempus eſt, in quod ætatem ſuam incidiſſe, Pirckheimerus tantopere gauiſus eſt (u): quo videlicet *veteres diſciplinæ apud Germanos reuiuiſcere, litterarum ſtudia florere, & omnes bonæ artes in lucem prodire cœperint;* quibus breui vniuerſos iſtos barbaros

(u) Dedicator. epiſt. lib. ep. 13, pag. 246. & Familiarium epiſtolar. append. ep. 13.

ros hostes profligari, pelli, & penitus e medio tolli posse, censuit tum prudentissimus Senator; ita, vt Germania non solum bellica laude, maiorum nobilitate, ac Romani imperii præeminentia excelleret, sed omnium etiam bonarum litterarum scientia, cunctarum disciplinarum eruditione, clarissimorum ingeniorum felicitate, illustraretur, celebraretur, decorareturque. Neque sequens caput obscure edocebit, minus frustra Pirckheimerum sperauisse, fore, vt explosa tandem omni barbaria, cultiores litteræ ad Germanos reuerterentur, quibus, tamquam sagittis, confodi posse inertia pecora, crediderat; quæ quum nihil, nisi fœnum rodere didicissent, omnem lautiorem cibum adhuc erant aspernata. Id futurum, non tam sperauit, quam confisus est optimus vir; quum magnus vndique emerserat eius ætate doctorum numerus, qui bonos auctores in lucem productos iuuentuti exposuerunt, Italorumque studio instigati præclaro admodum popularibus præiuerunt exemplo. Quinam potissimum curæ cordique id sibi habuerint, indicandum putaui, reliquorum mentionem in sequens caput reseruaturus, tam ampla enim atque egregia exstiterunt ipsorum merita, vt omnis ætas celebrare ea, & Germania præstantissimorum horum atque salutarium maxime ci-

uium ſuorum memoriam nullo non tempore recolere debere videatur. Hæc tum quoque perpendas, rogo, Lector, quum in ſequentibus verboſiorem paullo quorumdam optime de Latinis litteris meritorum hominum mentionem a me fieri, cognoueris.

Prius vero quam Reuchlinum toties hactenus a me nominatum relinquam, facere non poſſum, quin vno verbo referam, Germaniam communem ſuum præceptorem *Phil. Melanchthonem* eiusdem eruditioni ac diſciplinæ debere. Hic enim ſoli fere Reuchlino, quem cognationis necesſitudine attingebat, profectus, quos in melioribus litteris fecit maximos, acceptos retulit (v). Curis itaque, quas in tam egregiæ indolis adoleſcente, ſtupendæ plane deinceps ſcientiæ viro, erudiendo ſuſcepit Reuchlinus, mirifice de cuncta Germania promeritus eſt. De cuius amplisſimis in Latinam linguam meritis vt dicam, rerum ſeries infra poſtulabit. Nunc enim alia quædam dicenda ſuperſunt. & quidem de *Hermanno Nuenario*, *Vlr. Hutteno*, & reliquis *Reuchliniſtarum partium anteſignanis*, eorumque, erga Romanum ſermonem meritis, agendum mihi iam eſſet: ſed quum inter hos ambos viros & Eraſmum tam arctum necesſitudinis interceſſerit vinculum, vt

(v) vid. Vita Reuchlini a Maio conſcr. p. 147.

vt hic vtrumque eorum lubentissime in gloriæ euehendis litterarum studiis partæ societatem viuus admiserit, ea, quæ strictim de iis adducenda putabo, in sequens caput reseruare animus est. vbi ea etiam, quæ de Reuchlino addenda forsitan videri poterunt, attingendi erit occasio. Antequam autem ad nouum hoc caput progrediar, subsistam paullulum, acerrimum hominum eleganter Latina lingua scribendi ardorem, Italosque in honestissima ac vtilissima re certatim æmulandi studium admiraturus. Si in illud etiam, quod animos ad gloriam ex iis studiis, quæ non ita multo post contempta iterum esse videbimus, petendam inflammarit, breui simul inquisiuero, operæ pretium me facturum esse, arbitror.

Equidem nemo facile inficias iuerit, ipsorum Romani sermonis vindicum scripta cultiora sæpe ac perfectiora esse posse. neque id, quod Io. Sturmius adfirmauit (x), negatum ego nolo, plerosque exeunte sæculo XV puerilium studiorum formatores, viros fuisse, in quibus maior *bonitas* fuerit, quam *doctrina*. *Occupabant enim tum*, inquit doctissimus Sturmius, *adhuc litterarum gymnasia Alexander Grammaticus, & Petrus Hispanus, Dialecticus, & Tartaretus commen-*

(x) in vita Beati Rhenani.

mentator, & in Theologia plus poterant auctoritate Scotus & Lyra, quam ii ipsi scriptores, quos sunt interpretati. Id etiam quod ex Aristotele, & ceteris scriptoribus Græcæ Philosophiæ tradebatur, non solum verbis impurum, verum etiam sententiis aut obscurum erat, aut deprauatum, aut falsum. Omnia hæc vltro concedo præstantissimo viro. at vbi tradit: *Præter Rudolphum Agricolam, Alexandri Hegii magistrum, & Erasmum Roterodamum, Hegii discipulum, Germania nihil magnum atque præclarum in litteris viderat. sed tamen horum scriptis probabile est, & ex eius æui hominibus intelligitur, istis exemplis tum excitata fuisse adolescentum & iuuenum ingenia, ad maiorem non modo doctrinam, sed etiam sermonis atque linguæ puritatem:* non plane adsentientem sibi me habet: qui complures sane vtriusque, & *Agricolæ* & *Erasmi*, æquales hactenus nominaui, magnos vtique & præclaros in litteris viros, ex Germania oriundos, Beato Rhenano natu grandiores. Magni profecto & in litteris præclari sæculo XV exeunte præter duumuiros istos exstitere inter Germanos *Rudolphus Langius, Io. Camerarius Dalburgius*, & in primis *Io. Reuchlinus*, qui non quidem magnus, sed summus vtique in litterarum studiis exstitit: cuius familiarium a me enarratorum numero fuerunt,

runt, qui *Rhenanum* ætate antecesserunt: *Conr. Celtes* eum antecessit, *Henr. Bebelius*, *Mutianus Rufus*, haud contemnendæ eruditionis, optimeque de litteris meriti viri, & complures alii. *Conr. Peutingerus* viginti, *Bilib. Pirckheimerus* quindecim annis Rhenano præstitit: homines omnem omnium laudem supergressi. *Hermannus Buschius* itidem, infra pluribus verbis a me laudandus, Rhenano quindecim amplius annis fuit superior. Quod si vero, laudatorum iam virorum ætate *studiorum litterarumque in Germania infantiam* fuisse, quod idem Sturmius adfirmauit, negaturus essem, ipsi sane refragarer veritati simplici omnibusque perspicuæ. quæ vt perspicua magis redderetur, opera hactenus a me nauata est, non leuis forsitan plane, neque penitus, vt confido, spernenda. Neque vero etiam eorumdem præstantium virorum monimenta horridius impolitiusque sæculum sæpenumero redolere, negatum volo: sed tamen, si omnes ipsa ista infelicia & barbara maxime tempora, quibus elegantiora studia vix eluctari tum in Germania cœperunt, accuratius paullo considerauerint, neminem plane futurum, credo, quin optimorum virorum scriptis, quibus plurimum vtilitatis Germaniæ studiis vel sic accesisse cen-

fuit Erasmus (y), facile vtroque fit condonaturus, libentissime insuper concessurus, eo tum, quod ad Latinæ linguæ nitorem attinet, peruenisse Germanos, quo longe paucissimos hodie peruenire videamus: quum tamen illos plerisque industriæ subsidiis destitutos fuisse, non ignoremus, quibus abunde nos hodie sumus instructi. De *Reuchlini* cogitemus modo *Breuiloquo*, siue *Dictionario*. *Grammatica* quomodo comparata tum fuerit, ex sequentibus patefiet.

Quando *Latinæ linguæ studium* tantopere ego dilaudo, neminem existimaturum spero, me omnem humanitatem in diligentiore paullo eius cognitione positam esse, persuasum mihi habere. Linguarum scientiam vel maximam solidæ eruditionis partem esse, cum eruditissimis viris statuo (z): & si quis citra linguarum cognitionem conetur sibi veram eruditionem comparare, hunc ἀδύνατα θηρᾶν, cum iisdem credo; quum ea omnia, quæ in quoddam quasi bonarum litterarum artiumque præconium congeruntur, vt hæ ipsæ quoque, veterum scriptorum a Latinis Græcisque auctoribus, tam soluta, quam numeris adstricta oratione editorum libris

(y) in Ciceroniano, p. 379.

(z) vid. Conr. Rittershuf. Commentar. de Vita B. Pirckheimeri p. 22.

libris contineantur (a). Neque cum Caselio, grauisſimo cenſore, dubito, quin idem, qui linguis pulcre inſtructus intelligatur, eleganter etiam, & vtiliter vitæ cultui ſit eruditus (b). quare haud mancam & inchoatam Latini ſermonis ſcientiam ſufficere, ſed certam, nec vulgarem eius requiri cognitionem, arbitror: id quod eruditisſimi cuiusdam viri verbis eloquar (c): *Equidem Latini ſermonis vſum expetendum eſſe, omnes boni ad vnum ſentiunt: quippe qui tam late hodie patet, vt non vnus facile vsquam gentium angulus reperiatur, vbi non aliquis ſit, qui vel Latine loqui ſciat, vel certe Latine loquentem intelligat. Si ergo ſermo iſte tantopere probatur: quid eſt quod non eiusdem etiam ametur puritas? Etenim, vt in aliis rebus, ſic in ſermone etiam gratior eſt candor, & nitor proprius, quam ſqualor & ſordes aſperſæ ineptæ & putidæ.* pluribus quæ huc faciunt, adiectis, concludit: *Si igitur linguam ipſam expetimus Latinam, dementes ſimus, niſi eamdem deſideremus puram & emendatam: quum eadem pene ſit opera recte aliquid docere, diſce-*

(a) Ioach. Camerarii orat. de Studio bonar. litterar. A. 5, b.

(b) in Cohortatione ad Latinum ſermonem paullo accuratius diſcendum.

(c) Matth. Dreſſerus in Rhet. lib. III, præfat. p. m. 555, edit. Vœgel. 1606.

discereue, ac perperam. Non enim minore labore barbarus ac fœdus sermo inculcatur, quam sanus atque eruditus. Nec aliter Erasmus statuit; vbi simplicius multo ac facilius esse censuit, vt, quum barbare loquendi mille sint species, ac subinde nouæ exoriantur, vnam emendate loquendi rationem discant omnes, quam vt omnes barbare dicendi formas singuli (d). Quid, quod in omni gente non modo pulcrum ac laudabile, sed plane ad rei tam publicæ, quam priuatæ conseruationem atque incrementa necessarium existimarunt quidam (e), bona & perculta verborum sermonisque quum proprietate tum elegantia vti. quæ cura vbi omissa, studium-

(d) de conscrib. epist. p. m. 10. Nam *quum vsu, velut nummi vocabula probentur*, inquit Melanchthon in orat. de Studio Artium dicendi, Declam. T. I, p.391, *receptis vtendum est, quæ, quia eloquentes homines, quasi per manus posteris tradidere, obscuritate vacant. Superiore seculo quum sua sibi quisque verba cuderet, & peregrina Latinis miscerentur, eiusmodi conflata est oratio, quæ ne illius quidem ætatis hominibus intelligi potuit. tantum abest, vt posteritas adsequatur. Quis enim Scotum, aut huius farinæ alium scriptorem hoc tempore intelligat? Deinde vix exercitatissimi præstiterint, necubi structuram orationis ac phrasin violent: quæ si vitiata fuerit, necesse est orationem obscuriorem reddi.*

(e) vid. Ioach. Camerarii paullo ante citatam orationem de Studio bonarum litterarum.

diumue remissum sit, magnos semper felicis ciuitatum status lapsus secutos ibi esse, statuerunt. hæc facultas, eorumdem opinione, neque ita animaduertitur, neque tanta omnino esse potest in vlla lingua alia, præter *Græcam* atque *Romanam:* in quibus licet omnis humanitas inclusa sit, earum tamen pulcritudinem tantam simul esse, diiudicarunt, vt omnium, qui modo aspicere haud fuerint dedignati, animos mirabiliter percellere atque capere videatur ; & vt earumdem notitia multis non solum ad famam & celebritatem, sed etiam ad honores, ad opulentiam, viam aperuerit. Vtriusque linguæ præstantiam summamque necessitatem vel inde demonstrarunt censores isti, quod iis temporibus, quibus sepultæ iacuerunt, nihil fere inter homines humanitatis vmquam vixerit vigueritque. etsi enim omnibus sæculis sapientia prudentiaque excellentes viros fuisse, negari non queat; iis tamen, qui litteris istis tincti non fuerint, nitorem quemdam defuisse, expolitionem atque elegantiam, probauere; quibus si illa naturæ beneficia accumulatæ essent, nihil præstantius, admirabilius nihil, fieri potuisse, crediderunt. Iam vero *quum duabus de caussis*, quemadmodum S. Augustinus dudum nos edocuit, *non intelligantur, quæ scripta sunt , scilicet si vel ignotis, vel*

non

non recte formatis vocibus res obtegantur, consequens est, vt huiusmodi voces ex barbarie aut solœcismo obscuræ regulis grammaticis iudicentur, quæ si illis accommodari nequeant, e Foro Romano, tamquam sarmenta exsucca eiiciantur.

Quod si autem fuerint, quales plurimos hodieque esse, scio, qui, eruditissimis his viris haud assentientes, statuerint, Latinam linguam dignam non esse, cuius nitorem consectando tempus, rem carissimam, perdamus, grauioribus saltem ac vtilioribus rebus cognoscendis præripiamus: & qui in eruditionis exædificatione ordine instituenda sermonis studium velut fundamentorum locum obtinere negauerint, ita, vt ab hoc discendi initium fieri oportere non putent (f). His nihil plane, nisi *Agricolæ*, *Reuchlini*, *Dalburgii*, *Pirckheimeri*, *Peutingeri*, exemplum opponam. quorum singulorum studium Latinæ linguæ inimicos conuincere poterit, tantum abesse, vt plenior linguæ cognitio impediat quemquam, quo minus doctrinam rerumque maiorum scientiam assequi queat, vt hanc quam plurimum adiuuet. Ipsi isti de reliquo inimici videbunt, ne suo etiam exemplo comprobent, artem non habere osorem, nisi

(f) Casp. Hofman. de Barbarie imminente orat. C. 6, b.

nisi ignorantem. Sin autem alii fuerint, qui obiiciant, sæculum, quo Pirckheimerus vixit, præter hominum studium quæpiam habuisse, quæ ætas nostras non habeat: tale scilicet aliquid, quod studium illud incenderit. his tantopere ego haud repugno: ipsis potius laudatorum virorum testimoniis, quid inflammarit discentium animos, declarabo.

In quæ tempora vita ac virtus cuiusque incidat, plurimum omnino referre, Conr. Celtes verissime quondam dixit. Illa tempora, in quæ prædicatorum virorum vita atque virtus incidit, eo nomine felicia putanda esse, censeo, quod optimus litterarumque amantissimus Princeps imperio Germanico tum præfuerit: cuius illustri exemplo quamplurimi Germaniæ Principes sunt commoti, vt pro auctoritate, qua quisque pollebat, litteras in terris suis quam maxime voluerint subleuatas; barbarie, vt loco tamdiu occupato gemens tandem cederet, coacta. Persuasum sibi tum habuisse videntur Germaniæ Principes, *curam in euehendis litterarum studiis* ab se *positam non minus laudis* & sibi & patriæ *comparare* posse, *quam militaris rei gloria* antea peperisset. cuiusmodi opinionem *Octauii Augusti* & *Caroli M.* exemplum in primis confirmare potuit: neque vero opinionem hanc ipsos fefellisse, arbitror. MAXIMILIA-

NVM

NVM I. omnium certe liberalium artium maximum amatorem fuisse, inter omnes constat, qui præter vernaculam & alias exoticas linguas, *Latinam* præcipue optime calluit; qua *C. Iulii Cæsaris* exemplo *rerum ab se gestarum commentarios* conscribere instituerat: Horum partem quum aliquando Pirckheimero prælegendam curasset, pro singulari sua erga cum clementia, qua omnes eruditos dignatus est, ex ipso quæsiuit, quomodo *equestre Latinum* (*sein Reiter-Latein*) placeret (ff): *Pirckheimerum* enim apud Imperatorem gratia simul & auctoritate tantum valuisse, Erasmus testis est (g), vt vix cuiquam fuerit secundus. ALBERTVS *Archiepiscopus Moguntinus*, eruditorum litteris ac sua virtu-

(ff) Rittershus. Comment. de Vita Pirckheimer. p. 8. Phil. Melanchthon de *Maximiliano* Imp. in Præfat. in Danielem, quæ etiam T. II Declam. p. 232 seqq. legitur, scripsit: *Nulli Regum aut Imperatorum optimorum apud Græcos, aut Romanos in omni genere laudis secundus. in ipsis castris etiam legebat, & cum doctis non modo de religione, deque omni ratione regendæ Reipub. sed etiam de leuioribus artibus commentabatur, de siderum motibus, de aliis naturalibus caussis, de historiis. Nulla res erat, quæ quidem digna esset hominis ingenui cognitione, in quam ille non intenderet animum.* vide eiusd. Melanchthonis orationem funebr. Maximiliano Cæsari dictam eod. T. p. 557 seqq.

(g) ibid. p. 43.

virtute, propensoque in optimarum artium vindices studio, in memoria hominum etiamnum viuit : cuius laudes optimus etiam Reuchlinus fuse est persecutus (h) : vtpote

P quem

(h) in præfatione, qua *S. Athanasii* de *variis Quæstionibus* librum ex Græco in Latinum ab se traductum, & adnotationibus illustratum, Hagen. ap. Th. Anshelmum 1519, 4, *Alberto* nuncupauit: & qua vniuersæ *controuersiæ* cum Coloniensibus Theologistis *ob Iudæorum libros comburendos* susceptæ historiam late est prosecutus. vbi inter plurima præconia hoc quoque legitur: quod *summa quæque meruerit Alberti incredibilis ingenii magnitudo, frequentissima optimarum artium exercitatio, doctissima totius sacræ theologiæ iurisque cognitio, elegans dicendi consuetudo, præcipua religio, & omnium, quæ moribus laudatissimis insunt, perfectio, moderatio cum summa humanitate disciplinæque studio & solida prudentia, ad quem ceteris Germaniæ principibus litterarum amantiorem omnes, qui doctrina, consilio, eloquentia polleant aditu perfacili obtento conueniant.* Postquam Huttenus Nuenario in epistola quadam ad ipsum scripta confirmauerat, dici non posse, quam consultum vellet Princeps studiis: *cuius vt aliquid penes te memorabile sit,* pergit, *accipe rem facetam, sed quæ documento erit, quid de hoc Principe sperandum sit. Quum illi obtulisset Stromer omni conuiciorum genere refertum librum Pepericorni, aduersum Capnionis amicos, legit quidem, sed lectum, vt ad ignem forte consederat, impurissima Iudæi nebulonis maledicta detestatus, & hoc omnium seculorum memoria dignum apophthegma præfatus:* Sic pereant, qui sic loquuntur : *flammæ iniecit.*

quem *pientisſimum clementisſimumque patrem* veneratus erat. Poſtquam Conr. Peutingerus, FRIDERICVM *Saxoniæ Ducem* atque *Electorem* in diſertisſima quadam ad Conr. Mutianum epiſtola ad ſe ſcripſiſſe, adfirmauit, mirificeque eum laudauit, *bene agentium & præcipue eruditorum Maieſtatem atque Numen* eum appellans, addit: *Si dudum Germania noſtra hos & ſimiles congerminaſſet flores, bene & maioribus & poſteris conſultum fuiſſet. ex Germanorum enim geſtis facile perſpiceremus multa, quæ decori eorum & ornamento accederent. Hæc torpore alias & deſidia & incuria obliterata iacent.* Eraſmus *Muſas ingratisſimas* ea propter fore cenſuit (i), niſi tanti herois merita monimentis conſecraturæ eſſent numquam intermorituris: *cuius auſpiciis feliciter apud Germanos effloruerint.* Ad ipſum Eraſmum quod attinet, is certe, poſtquam cognouerat, quanta animi propenſione bonis litteris, cum veteris inſcitiæ patronis adhuc tum digladiantibus,

Quæ omnia ſpem faciunt nobis, eo, quo tendimus euadendi. Stromerus iſte *Aurbacchius*, Medicinæ doctor celeberrimus, ab Hutteno & Reuchlino impenſe paſſim collaudatur: quorum hic ad ipſum Albertum, cuius archiater fuerat Stromerus, epiſtola, *eloquentiæ ſtudioſis Mæcenatem* eum exſtitiſſe, prædicauit.

(i) Lib. XIII, ep. 40.

tibus, faueret *Fridericus*, in monimentis suis tantopere eum prædicauit, vt ex solis his plusquam heroicarum virtutum, quas cuncta Europa in eo admirata erat, verbosus satis *panegyricus* confici posse videatur. In primis illud *beneficium*, vti par erat, magnifice laudauit Erasmus (k), quo *vniuersam Christianam rem* perpetuo sibi deuinxit optim9 Princeps; nouæ scilicet *scholæ Wittebergæ fundatæ* consilium. quam quum perpaucis annis ex rara frigida-

(k) ibid. & ep. 19 eiusd. libri. Idem fecit Pirckheimerus, qui ad *Hieron. Emserum* in præfatione, *Luciani Rhetori* Latine ex Græco translato præm. (dedicator. epist. 13, p. 246) scripsit: *Vt reliquos studiorum prætereamus refocillatores, nonne illustrissimi illi Saxoniæ Duces, quamuis maiorum titulis adeo sint insignes, opibus tam potentes, animi & corporis dotibus perinde fortunati, vt nihil ad tam absolutum felicitatis cumulum addi posse videatur. Vltra hæc tamen litteraria instauratione immortalem, veram & numquam intermorituram sibi peperere gloriam. Quam enim maiorem, firmiorem, & honestiorem sui memoriam, magnus ille Romani Imperii Elector Fridericus Saxoniæ Dux incomparabilis relinquere potuisset, quam talem tamque egregiam Academiam erigere, quæ etiam cum priscis illis contenderet, præsentium vero nulli inferior, plurimis esset superior. Siquidem cœli quis stellas antea numeraret, aut tot doctissimorum virorum merita præconia celebrare posset. Hoc nullo non memorandum æuo, primos fuisse Witenbergenses sapientes, qui post tot sæcula oculos aperire, verum a falso dignoscere, & deprauatam philosophandi rationem a Christiana Theologia secernere inceperint.*

que, omni linguarum ac litterarum genere florentisſimam reddiderit conditor, eaque ipſe optimis ſtudiis fauerit moderatione, vt veteris doctrinæ patronis, de quo quererentur, non fuerit: adiutis ſtudiis, quam ſtemmatum luce, nobiliorem eum aliquando futurum, exiſtimauit. dum litteras non ita ingratas fore, ſed trilingui facundia vindicem ſuum immortali gloriæ conſecraturas, confidebat (l). GEORGII *Saxoniæ Ducis* auſpi-

(l) lib. V, ep. 36. quæ ad ipſum *Fridericum* eſt perſcripta. Aliam verboſam ſatis ad eumdem Principem datam epiſtolam, manu, neſcio cuius eruditi, ſcriptam in bibliotheca Auguſta Wolfenbuttelenſi legi: quæ licet Londinenſi Eraſmi Epiſtolarum editioni inſerta non ſit, atque ita neque Baſileenſi: ea tamen quin dudum typis forſitan exſcripta, & recentisſimæ editioni, quam Batauí curarunt, addita ſit, haud dubito. ii, quibus tam felicibus eſſe licet, vt editionis huius euoluendæ habeant copiam, ſcrupulum, ſi quis reliquus ipſis fuerit, facile tollere ſibi poterunt. Scripta eſt epiſtola *Antwerpiæ* a. d. XVIII Kal. Maias, an. 1519, & nulli plane Eraſmi epiſtolarum elegantia rerumque varietate cedit: ſiquidem præter laudem, Friderico ob mirificum erga bonas litteras, pasſim per Germaniam tum efflorentes, magis vero magisque principum fauore euehendas animum, debitam, honorificam admodum *Lutheri* mentionem continet: de quo inter alia ita ſcribit: *Vitam hominis nemo, qui nouit, non probat, quæ quum longisſime abſit ab omni ſuſpicione auaritiæ atque ambitionis, morum innocentia vel apud ethnicos fauorem inuenit: quam non conuenit*

auſpiciis atque munificentia *Lipſienſem* academiam, celebrem iam prius ac ſolennibus ſtudiis florentem, politioris demum etiam

 lit-

manſuetudini theologicæ, protinus, ac ne perlecto quidem libro, tam inaniter debacchari in nomen ac famam probi viri, idque apud imperitam plebeculam, quæ prorſus caret iudicio? præſertim quum ille diſputanda propoſuerit, quum omnium iudicio ſeſe ſubmiſerit. & quæ honorifica atque egregia verba ſequuntur alia. Extrema epiſtola hæc leguntur: *Ceterum vt tuæ celſitudinis eſt, Chriſtianam religionem pietate tua protegere: ita prudentiæ eſt, non committere, vt quisquam innocens, te iuſtitiæ præſide, ſub prætextu pietatis aliquorum impietati dedatur, vult idem Leo Pontifex; cui nihil magis eſt cordi, quam vt tuta ſit innocentia. Pater vocari gaudet, nec amat eos, qui ſub ipſius vmbra tyrannidem exercent. neque quisquam magis paret animo pontificis, quam is, qui quod æquisſimum eſt, exſequitur. Quid iſtic de Luthero ſentiant, neſcio. recte, hic video, libros eius ab optimis quibusque legi.* Quid *Fridericus* ad Eraſmi hanc epiſtolam reſponderit, ex huius Epiſt. lib. XIII ep. 4, quodammodo diſcere licet, vbi Eraſmus ad Epiſcopum Roffenſem ſcribit: *Dux Saxoniæ Fridericus bis ad me ſcripſit, eidem meæ reſpondens epiſtolæ: huius vnius præſidio ſubſiſtit Lutherus. id, ait, ſe cauſſæ dediſſe verius, quam perſonæ. Addit, non commiſſurum ſeſe, vt in ſua ditione opprimatur innocentia, eorum malitia quæ ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Fridericum, Coloniæ arcesſiuiſſe ad ſe Eraſmum, vt eius de Lutheri doctrina iudicium coram ſciſcitaretur ex Oratione de Friderico, T. III Declam. Ph. Melanchth. pag. 93, intelligimus. Quod ſi plura de ſapientisſi-

litteraturæ ac linguarum accesſione ſic ornatam eſſe, idem Eraſmus confirmauit (m), vt vix vlli ceterarum tum ceſſerit. vtpote cuius principis benignitas egregia ingenia ita excitarit atque euexerit, vt *Saxonia ſummæ ſpei iuuenes fouerit tum, nihil mediocre de ſe polliciti* (n). Aliquot annis ante, quam Eraſmus de Lipſienſi academia hæc ſcripſit, Vlr. Hut-

tenus

mo hoc Principe cognoſcere volueris, confer Phil. Melanchthonis elegantisſimam orationem in funere eius dictam T. II Declam. p. 573 ſeqq. p. 583 hæc leguntur verba: *Amiſerunt & ſtudia noſtra Mecenatem, nemo enim Principum ingenia, aut norat melius, aut aluit benignius.* de quo in oratione de Maximiliano Imperatore p. 571 prædicauerat, eum ipſius huius Maximiliani exemplo animum ad litteras adieciſſe, & cura eius *Theologiam* fontibus ſuis eſſe reſtitutam. confer porro alteram iſtam de Friderico orationem T. III Declam. p. 85 ſeqq. p. 88, litteras & *linguam Latinam* celerius arripuiſſe, & doctrinæ auidiorem fuiſſe optimum Principem, relatum legimus.

(m) lib. XIII ep. 19 Iſti Eraſmi adfirmationi pondus addunt Pirckheimeri verba, dedicator. ep. 13, p. 246. *Friderici veſtigia ſecutus illuſtrisſimus Dominus Georgius Saxoniæ dux florentisſimus, qui ne Patruo virtutibus cederet, aut pace minor, quam bello eſſet, Lipſenſem ſuam Academiam ita doctis viris exornat, ita ſtudiorum incuriam diligenter emendat, ita bonarum artium cupidos inſtigat, vt non minorem inde gloriam conſequatur, quam diſciplinarum candidati, vtilitatem adipiſcantur.*

(n) Eraſmi Ciceron. p. 378.

tenus Herm. Nuenario de eadem confirmauerat, quamquam pertinaciter adhuc reluctati essent sophistæ, *erexisse se tamen ibi litteras, rectaque studia esse aucta.*

De PHILIPPO, *Comite Palatino Rheni, Electore*, cuius Cancellarius *Dalburgius* prius fuit, quam episcopus creatus est, Rudolphus Agricola scriptum reliquit (o): Principem eum fuisse æquitate, iustitia, moderatione, clementia, religione, omni vitæ morumque suauitate, & omni principis priuatique hominis laude consummatissimum. qui quum litterarum haud rudis esset, & *eruditis sermonibus magnopere delectaretur*, ac ideo aulam habere vellet litteratis hominibus ornatam, Agricolam familiariter complecti cœpit (p), in consilium de republ. adhibitum; seque ei ita deinde præbuit, vt neque ipse plus facere potuerit, neque Agricola tantum potuerit sperare. Quid de IOACHIMO I, *Electore Marchione*, dicam? cui *Latine dicendi facultatem* plurimum laudis peperisse, scimus (q); dum eius orationes prudens quis-

(o) Lucubrat. p. 206.

(p) Phil. Melanchthon epist. Lucubrat. Agricolæ præmiss. & quam Abbatis Vrsperg. Chronico præfixit, item in Vita R. Agric. Declam. T. II, p. 451.

(q) Georg. Sabini Orat. de Vtilitate studior. Eloquentiæ A. 5, b. quæ etiam reperitur T. I Declam. Ph. Melanchth. p. 418, seqq.

que propter consilium & sententiarum grauitatem, eruditi propter genus verborum, magna cum admiratione audire consueuerant. Tanti fiebat tum a summis etiam Principibus *Romani sermonis cultus!* cui vt sedulam nauarent operam *Electorum Principum filii*, in Aurea Bulla diserte est sancitum: cuius conditor *Carolus IV* fauore, quo litterarum studia prosequi consueuerat, singularem adeptus est laudem: qualis etiam filio eius *Sigismundo* debetur. Hic quum sapienter statuerat, *neminem sine litteris recte imperare, scire*, & hancce sententiam suam *Ludouico Comiti Palatino Rheni*, modo laudati *Philippi Parenti*, confirmauerat, eum senem iam permouit, vt canus Latinas litteras disceret, non aliter, quam Cato Græcas (*).

Ad EBERHARDVM, *Wurtenbergensium Principem*, quod attinet, is non modo omnibus sui temporis Principibus præferendus, sed & priscis clarissimis & illustribus viris ob virtutem merito comparandus quibusdam olim videbatur, ita, vt quum diem obiisset, *ad omnium Mineruæ insignium perniciem & incommodum decessisse*, eum, crederent (r). quippe quem hoc præcipue egisse legi-

(*) T. II Declam. Melanch. p. 571.

(r) clar. viror. ad Reuchlin. epist. p. 25, & 33.

legimus (s), vt *ſibi viros ſapientes, & eruditos adiungeret*, quorum de rebus maximis conſilia audiret. Imperatoris enim aulam, Venetorum gubernationem, & aulas ducum Saxoniæ, vbi doctos homines ad negotia adhibitos nouimus, vidiſſe optimum principem, qui hæc memoriæ prodiderunt, addunt. qua re factum perhibent, vt & ipſe viris nobilibus doctores addiderit, inter quos *Io. Nauclerus* & *Io. Capnio* excelluere. *Tubingenſem academiam*, quæ auſpiciis eius fundata eſt, & vnde Wittebergenſis academia quaſi colonia deducta videtur (ſ), quum inuiſit optimus Princeps; ad exiguam Naucleri ſui, qui primus recens conſtitutæ academiæ rector fuerat, domum plerumque eum diuertiſſe, referunt, comitatu in arcem dimiſſo. aula hac ratione in ſenis doctoris tuguriolo conſtituta, modeſtia, ſobrietate, caſtitate *Pauli* & *Antonii* congresſibus par, vtilitate antecelluiſſe, quibusdam viſa eſt, quod deliberationibus ibi captis terræ principis rectæ ſint, iuſtitia, pax, diſciplina, conſeruatæ (sſ). Quamquam Latine ignorabat celſisſimus Eberhardus, peruerſis purpuratorum conſi-

P 5 liis,

(s) Declam. Ph. Melanchthonis T. III, p. 170, ſeqq. vbi ſcilicet verboſa de Duce Eberhardo oratio inuenitur.

(ſ) ibid. p. 165.

(sſ) ib. 172.

liis, vt ſupra vidimus, deceptus: theologorum tamen & iureconſultorum diſputationibus crebro interfuit, ſciſcitans ſubinde, qua de re diſputatio eſſet. Cuiusmodi eruditorum conſuetudine eam conſecutus eſt doctrinam, vt *de omnibus rebus diſſerere poſſet* (t). inde etiam factum eſt, vt, quum oratoria laude præcipue delectaretur, ipſe, ab eruditis ad partis ſuæ ius exponendum armatus, aliorum ſæpius *principum cauſſas in conuentibus agere* haud dubitarit: poſteaquam ſcilicet a doctoribus ſuis fontes argumentorum, ornamenta, exempla, hiſtorias, aut alias narrationes negotio ſuo conuenientes receperat. Quum tantæ optimi Wurtenbergenſium Principis fuerint virtutes; quid mirum, ſi Germania earum gloriam capere non potuit? doctisſimi enim *Italiæ* viri principem eum coluerunt (tt), qui *pacis ſtudia rebus bellicis antepoſuerit, templa fundarit, publica litterarum gymnaſia fecerit: quem ſubditi non tam metuerint, quam amarint, obſeruarint; atque mirati ſint.*

Diuino omnino factum credunt beneficio, vt ſæculo, quo litteræ renaſcebantur, Prin-

(t) M. Cruſius, Annal. Sueu. P. III, lib. VII, c. 10, p. 439.
(tt) Marſilius Ficinus in M. Cruſii Annal. P. III, lib. IX, c. 6, p. 502.

Principes rerum ſummam in cuncta fere Europa adminiſtrarint, qui iuſtitia & virtute, non Perſico faſtu magni, ſtudiorumque cupidisſimi, illorum, qui litteris operabantur, cauſſa magnopere cuperent, & inter quos ſummum exiſteret certamen, vt ipſi litteris impenſius imbuerentur. Etſi enim virtus in omni humana ſpecie præclara & pulcra eſt: eam tamen in nobilitate ſplendidius elucere, iudicabant, & quidem adeo, vt, *quo* quisque princeps, aut nobilis *doctior* eſſet, *eo plus* in ordine ſuo *auctoritatis* ipſum habere crederent (u). Horum ipſorum Principum pietati tribendum exiſtimauit Eraſmus (v), quod tum pasſim, ceu ſigno dato, excitata ſint præclara ingenia, quæ ad reſtituendas optimas litteras inter ſe conſpirarint. Neque maiorem felicitatem humano generi contingere potuiſſe, idem eruditisſimus vir cenſuit (x), quam quod principum benignitas optimarum litterarum profeſſores & iuuenum non vulgarem ſpem de ſe præbentium ingenia fouerit, eorumque auctoritas aduerſus μισομούσους iſtos, veteris inſcitiæ tyrannidem pertinacisſime tuentes, fuerit præſidio. Nihil enim

(u) Io. Sturm. in dedicat. qua Golii Onomaſticon Iac. Marchioni Bad. Inſcr.

(v) Epiſt. lib. I, ep. 4. (x) epiſt. cit. ad Fridericum Saxon. El.

enim ad eruditorum laudes illustres reddendas aptius esse videtur, *Imperatorum, Regum, Principumque patrocinio Franciscum I, Galliarum Regem*, ditandis eruditis ærarium exhausisse, sunt, qui existimant; quum amplissimis præmiis inuitarit & allexerit vndecunque viros virtute, doctrinaque excellentes. *Hispania* a diuinæ plane indolis regebatur Principe. Nec *Anglia* litterarum imperitum habebat tum Regem: qui quum bene nata ingenia non præmiis solum excitauerat, sed suo etiam exemplo pigris calcaria subdiderat: non mirum putauit Erasmus (y), iuuentutem illic effloruisse. Eiusdem Regis voluntate, iudicio, & liberalitate *Linacer, Morus*, & *Coletus* excitati, tam diligenter litterarum studia coluisse a Sturmio dicuntur (z), vt eorum protela, sua etiamnum ætate, in Anglia vim suam retinuerint, & *Eduardus* Rex incredibilem sapientiæ atque doctrinæ excitarit exspectationem, si modo vita suppeditasset diuturnior. qua in re *Elisabetha* Regina mortalibus felicior exstitisse ab eodem Sturmio prædicatur; cuius ingenium, æque vt fratris, ad humanitatem litteris elegantioribus excultum fuerit. Quam benigno in litteratos animo fuerit *Matthias, Rex Hunga-*

(y) Ciceron. p. 373.
(z) in præf. St. Doleti Phrasib. præm.

Hungariæ, inter omnes constat: is enim ipse est, qui incredibili cura, ingentique sumptu insignem *Budæ* instruxit *Bibliothecam*; quanta extra Italiam tum nulla erat: ex qua præter complures libros alios, Polybium & Diodorum Siculum primum prolatos, typis excusos esse, nouimus (a). *Cosmum* & *Laurentium Medices* studiose operam dedisse, vt Musæ in splendorem assererentur, quis ignorat? *Leonem* vero *X, Pontificem*, tantum litterarum exstitisse Mæcenatem, scimus, vt æuo eius doctorum etiam mulas hordeo pretiosissimis tapetibus effuso laute atque opipare exceptas, versibus nonnulli luserint. Multo videlicet meliori fortuna vtebantur Romæ eruditi Leonis ætate, quam *Sixti IV*, antecessorumque temporibus, quibus litterati misere esuriebant Romæ: quum tamen pontificiæ opes præcipue collocari debuissent, vel in calamitosos, vel in eos, qui tractatione litterarum religioni operam nauarant (b). At *Leo-nis*

(a) vid. orat. de Matthia Rege Vngariæ Tom. III. Declam. Melanchth. p. 191.

(b) Tom. I Declam. Melanchth. p. 441. vbi Melanchth. pluribus verbis enarrat, quam exigua *Theodoro Gazæ* merces a Pontifice, cui Aristotelis & Theophrasti libros in Latinam linguam versos obtulerat, reddita sit. nihil scilicet præmii præter sumptus, quos in ornando libro posuerat, retulit doctissimus Gaza.

nis auſpiciis Prytanea alendis eruditis multis in locis excitabantur: nulla bonis litteris quæſtuoſior aut honoratior habebatur ars. Eruditi, licet obſcuro loco nati eſſent, in principum vbique perueniebant iſto tempore dignationem, atque inuidioſis plane ab extremis orbis partibus euocabantur ſtipendiis. Enimuero principes atque reſpublicæ certabant tum, penes quos maior litteratorum conſpiceretur numerus, & quæ aula plura doctorum virorum capita in pompam oſtentaret (c). Quæ quum ita ſint, cui mirum, quæſo, videatur, ſi cognouerit, temporibus iſtis in Italia aliisque regionibus *principes*, *comites*, ac *nobiles* genere proſapiaque *viros*, vel iura, vel etiam philoſophiam, & bonas litteras *publice docuiſſe:* idque ſine vlla ordinis ac familiæ ſuæ dignitatis diminutione (d): ſi porro legerit, viros, quorum ante acta vita domi bellique clara exſtitit, Muſarum dulcedine captos, *gloriam per litterarum ſtudia adfectaſſe* (e).

Tali

(c) vid. elegantisſima Oct. Ferrarii Proluſio de Cauſis pereuntium litterarum, quæ in editione Patauina a. 1668, 4. eſt octaua, pag. 67 ſeqq. & Eraſmi epiſt. 4. lib. I.

(d) Rittershuſ. Comment. de Vita B. Pirckheimer. p. 23.

(e) Reuchlin. ep. Io. ex Lupis. p. 22 ep. clar. vir. ad Reuchlin.

Tali nimirum ſæculo ad *Germanorum* cum primis *ingenia*, quæ hebetiora, aut nulla potius, paullo ante iudicauerat Campanus, excitanda opus erat. Neque enim *Centauri*, Reuchlini iudicio (f), neque *Androgyni*, id eſt, nec agreſtes tantum, nec ſolum compti, ſed homines ſimul *& manu & lingua potentes* ad Germanorum gloriam reſtaurandam deſiderabantur: quales plus prodeſſe poſſe eidem Reuchlino videbantur, quam ſoli togati, aut ſoli, vt poeta dixit, *bene ocreati* (ff). Potentes huiusmodi viros, *Alberti* Archiepiſcopi, *Philippi* Palatini, *Eberhardi* Wurtenbergici, nec non *Alberti* Saxonici, Principum laudatisſimorum, aulæ Agricolæ atque Reuchlini tempore oſtentarunt. quorum quin vnum & alterum nominem, temperare mihi non queo. Primum locum vindicare ſibi videtur THEODORVS DE PLENINGEN, *doctor & miles auratus:* vt in epiſtola, quam ad Reuchlinum dedit, ipſum ſeſe appellaſſe, cernimus (g) qua etiamſi confirmauit, ſe *Philippi* Principis ſui negotiis ſingulis horis obrutúm in bonas litteras incumbere non valuiſſe, harum tamen minus expertem, *peritorum virorum amatorem & admiratorem* fuiſſe, profeſſus eſt. Huius viri, quem Agricola,

(f) ib. (ff) ibid.

(g) inter clar. viror. ad Reuchlin. epiſtolas p. 20. ſeq.

cola PLINIVM vocare consueuit, praeconiis, & ipsius huius Agricolae, & Reuchlini, epistolae plenissimae sunt: ex quibus satis apparet, quantum ipsi meliorum litterarum studia debeant in Germania, qui is ipse est, per quem *Dalburgius* Agricolam Heidelbergam arcessiuit; siue cuius ipsius amicitia Ferrariae dudum contracta ex Melanchthonis sententia (h) Agricolam eo pertraxit: vbi huius contubernalis factus tantopere sese probauit, vt eum virum ornatum, sui amantissimum, & iuris ciuilis doctorem in primis eruditum passim in epistolis suis collaudet Agricola. Quum industrius esset, Principi ac omnibus aulicis gratus, vsumque prompti & prudentis iuuenis tunc praestaret, magni viri spem eidem Agricolae suo promisit (i): quam exspectationem eum haud fefellisse, vel ipsius ad Reuchlinum *epistola* ostendit. Nam licet is a Reuchlino *barbariei suae rusticaeque epistolae* veniam exposcat: haec profecto neque barbara, neque rustica est, sed magnam spirat eruditionem atque elegantiam, nobili viro, doctore, & equite quam dignissima (k).

Non

(h) epist. ad Alard. Amstelredamum Lucubrationib. Agricolae praef.

(i) epist. ad Iac. Barbirianum Lucubrat. p. 205, & ep. ad Ioannem fratrem, p. 216.

(k) M. Crusius, Annal. Sueu. P. III, lib. IX, c. 16, p. 533. vbi epistolae partem excerptam dedit.

Non minorem elegantiam præ se ferunt IOANNIS EX LVPIS DE HERMANSGRVN, *Oratoris Magdeburgensis*, epistolæ (l): de quo Reuchlinus adseuerauit, admirabile hominibus videri potuisse, talem & tam armis strenuum, quam litteris doctum virum ex *puellarum arce*, quam *Maidburg* appellarent, processisse (ll). Quanti ERHARDVS DE WINSBERG, *Doctor, & in Alberti Ducis Saxoniæ aula Miles*, eruditos fecerit, his, ad eumdem Reuchlinum scribens, testificatus est verbis (m): *Tu vero meus esto, quemadmodum ego tuus. Neque nouum asperneris militem diui Caroli ense cælitus sacrato percussum: qui etsi ex Ventimontanorum de Windsberg familia olim strenuissima, nunc obscurata, nouus resurgere miles attentauerim, sum tamen & ero semper tuus, omniumque doctorum virorum deditissimus.* Tribus his a generosissima stirpe ortis hominibus BERNHARDVM ADELMAN *nobilem ex Adelmansfelden*, non minus illustri loco inter *Sueuos* natum, præstantissimæque eruditionis virum, adiungendum arbitror: quandoquidem, *Eystetensis & Augustanæ Ecclesia-*

Q

(l) inter. clar. viror. ad Reuchlin. epistolas p. 21, b. seqq.

(ll) ibid. p. 22, b. (m) ibid. p. 19.

clesiarum Canonicus, summus litterarum cultor atque fautor a Rittershusio & aliis laudatur (n). Qui pro singulari suo in Latinam lin-

(n) Quanti B. Pirckheimerus viri virtutem atque eruditionem æstimauerit, pluribus epistolis, quas ad eum dedit, & quæ etiamnum exstant, declarauit: idem effecit luculentissima sane ac pereleganti præfatione, qua Adelmano Platonis aliquot Dialogorum Interpretationem nuncupauit (Dedicator. Epist. IV) & *secessum pariter ac vitæ, studiorumque suorum rationem* verbose, dilucide atque ornate exposuit. *Conradi Adelmani*, haud indocti, minusque inglorii, *Augustani* itidem *Canonici*, *frater* fuit *Bernhardus*. qui Conradus, prout *singularis erga patriam amoris* homo erat, quale testimonium ipse Bernhardus fratri suo in epistola ad Reuchlinum scripta impertiuit, *Richardum Bartholinum* quotidianis precibus lacessiuit, vt Conuentus, Augustæ Vindelicorum a Maximiliano acti, celebritatem traderet; veritus, ne posteritas ætatem suam, si id factum non esset, inertiæ vere insimulare posset. Idem Bartholinus, natione *Perusinus*, est, cui præter *XII Austriados libros*, a G. I. Vossio lib. III de Historicis Lat. p. m. 679 memoratos, *Hodœporicon, s. Itinerarium Cardinalis Gurcensis*, & eorum, quæ in *conuentu Maximiliani Cæsaris, & Regum Vladislai, Sigismundi, & Ludouici memoratu digna gesta sunt, narrationem* debemus, a Frehero T. II Rer. Germanicar. Scriptorum p. 321 seqq. insertam. Adelmanus in præfatione, quam libello ipsius precibus a Bartholino edito præfixit, auctorem *impensa eruditione virum* appellat, qui *Conuentum* concise quidem, sed ita descripserit, vt nihil eruditius & elegantius legi posit. Integra libri inscriptio hæc est:

linguam amore grauiter molesteque tulit, & de errore ac detrimento patriæ suæ magnopere conquestus est, postquam ætatis suæ homines despicere, immo tamquam venena abhorrere, ac aliquando in illa incumbere prohibere, vidit, quæ Latinis iucunda, Germanis vero ob suam barbariem pernecessaria ac vtilia fuissent. In rei testimonium *Principis*

Richardi Bartholini, viri eruditissimi, de Conuentu Augusten concinna descriptio rebus etiam externarum gentium, quæ interim gestæ sunt, cum elegantia interfertis 1518, 4. Abiectissime in descriptione hac sua de *Luthero* iudicat Bartholinus: *Cuiusdam fratris Luther sectatores*, scribit, *quum Echius ecclesiasticam dignitatem, ac veritatem fortasse ipsam defenderet, in eum grauius, quam vt theologos deceret, inuecti fuerant.* *Iudicium* deinceps suum de *Lutheri caussa* subdit, idque verbosum satis, ac ita comparatum, vt docta manus in exemplo, quod Wolfenbuttelensis Augusta Bibliotheca custodit, ipsi iudicio adscripserit: *Notandum bene hominis athei de Christianæ religionis controuersiis iudicium impium.* Ita verbosum est iudicium hoc, vt hisce notis addi posse non videatur, neque tanti id æstimo. cuiusmodi sit, vel ex his verbis coniici poterit: *Ego quum hæc & similia fere animo repeto, stultos illos, immo stultissimos, esse iudico, quorum opera ac studium solum in iis, quæ sibi nihil præter detrimentum, ac iacturam parere possint, versantur.* cum principio reliqua, quæ sequuntur, conueniunt; in primis hæc verba: *Sapere cum vitæ interitu mihi stultissimum videtur. Si Deo gratus esse vis, sine mundum sua regi prudentia.* plurimis verbis parum

Eberhardi Coniugis Barbaræ, Ludouici Mantuani Marchionis filiæ, *epistolam* litteris ad Reuchlinum scriptis adiecit: quæ, *ad Cardinalem Mantuanum* exarata, quum minus verbosa sit, & clarorum virorum ad Reuchlinum Epistolæ, inter quas reperitur, in paucorum sint manibus, eam apponam: quam dignam puto, quæ Obscurorum virorum Episto-

piis interiectis, addit: *Dii superi, medioximique, parum abest, quin dicam, inferi quoque hoc velint, ne tam scrupulosa religionis cura vobis noceat pariter & nobis. nam in scribendo quantum gloriæ, tantum etiam eculei & compedum vobis paratis.* Denique tamquam egregium epiphonema adiicit: *Sed suo quisque vtatur, vt vult, iudicio. ego hoc vnum sentio, vt mundum reperi, ita quoque relinquendum esse.* Quod si friuolo hoc iudicio abstinuisset auctor, cuius prudentiæ nihil non tribuerat Erasmus, (vid. huius ep, 31, lib. VI) neque se quasi sorex prodidisset, pluris forsitan posteritas narrationem ipsius factura fuisset, quum non pauca memoratu digna ea contineantur: inter quæ & illud reputo, quod de *Alberto*, *Archiepiscopo Moguntino*, ad *Cardinalis dignitatem* in ipso isto Conuentu euecto, refert, omnes enim cærimonias, quibus solemnitas est peracta, prosequitur. Verbis: *Legatus pileum Cardineum eius capiti imposuit, comitatusque est ad subsellia:* manus, ab illa, quam iudicium iudicio adscripsisse, memoraui, diuersa adnotauit. *Ex hoc loco error Sleidani corrigendus, qui libr. primo putat, Episcopo gladium datum* At *Sleidani* adfirmationem hanc, lib. I Comment. p. 2, b. edit. Argent. in fol. 1559: *Cæsar deinde nouum Cardinalem e tem-*

Epiſtolis adnumeretur. *Reuerendisſime in Chriſto pater ac Domine, domine frater mi ſingularisſime, humili recommendatione parataque ſemper obſequendi præmiſſa affectione, a N. famulo meo fidelisſimo percepi, quomodo frater ipſius nomine N. negotia aliqua erga ſanctisſimum expedire habeat, vt D. V. ab ipſo latius intelligere habet, & propterea me*

 ſup-

plo domum reducit, ac munera mittit, regiam lecticam, equos & ſtragulam veſtem multam, valde precioſam: Pontifex autem dono dabat pileum, auro, gemmis & margaritis intextum, & enſem deaurata vagina: elegantisſima *Vlr. Hutteni* epiſtola, ad Iulium Pflugk in Italia tum commorantem Auguſta Vindelicorum ipſo eiusdem Conuentus tempore ſcripta, confirmare poteſt: vnde Sleidanus iſta ſua forſitan deſumpſit: ibi enim cærimonias iſtas Huttenus amico ſuo ſic perſcribit: *Calendis Auguſti galerum ſumpſit ille* (Albertus) *apponente legato Pontificio Iucundum fuit id ſpectaculum, maxima nobilitatis frequentia facto ſacro, ac ingenti omnis generis hominum circumfuſa multitudine. Ipſe Cæſar a ſacris domum reduxit Albertum, deinde munera miſit, regiam lecticam, equos, & tapetes opere ſimul ac materia admirabiles. Iuxta hæc Leonis Maximi donum, gemmis, auro, ac margaritis intextum pileum, & enſem deaurata vagina.* Multa alia notatu admodum digna de Conuentu iſto laudata Epiſtola memoriæ prodidit Huttenus, quam *Nemini* ſuo ſubiunxit, lectu propterea dignisſimam. non pauca præterea de Germaniæ ſtatu, litterarumque in ea conditione, profert ibi Huttenus. De ipſo Conuentu ſic ſcribit: *Certe iucundisſimum hic o-*

supplicauit eum erga D. V. promotum habendo. Cum autem tempore vitæ suæ mihi & legitimo meo suis seruitiis semper diligentiam summam erga nos exercuit. Ea de caussa D. V. intime implorando, eique fratri N. in suis factis erga Sanctissimum subuenire velitis. In hoc mihi rem gratissimam D. V. faciet, quam Christus fœliciter & longaeue conseruet. Datum oppido meo Gryningen, secunda feria post Bartholomei Apostoli. Anno, &c. LXXX. quarto. Barbara filia & seruitrix vestra.

Hæc epistola Adelmano tantopere improbata est, vt *summo cum pudore* se eam Reuchlino

lino

mnibus spectaculum ob oculos versatur. Tot principes iuuenta simul & corporis specie præstantes, tanta Comitum ac Equitum multitudo, flos scilicet Germaniæ nobilitatis, vt qui hos intueatur, formidandos magnopere Turcas non putet. Quod si hodie tantum cerebri est Germaniæ, quantum virium, ausim orbi terrarum minari iugum. multis interpositis addit: *Quod mihi summe placet, minori apparatu nostri, quam soliti sunt aliis conuentibus, agunt, siue ob annonæ difficultatem, siue quod in multis mihi resipiscere Germania videtur. quamquam est adhuc mira vestium luxuria, a Gallis sumpto exemplo, quos præter patrium morem æmulari in hoc certamus. & strenue bibitur, nondum sanitatem accipientibus, qui rectis semper monitionibus reclamare solent.*

lino misisse adfirmarit (o); conquestus, *multos tum non philosophos, sed philopompos: non magistros sacrarum litterarum, verum tenebrarum, non iurisperitos, sed potius leguleos fuisse, qui poeticum nomen execrantes, poetas lasciuiis, ac nugis deorum gentilium refertos esse prædicarint.* quare ab urbibus pelli ac aboleri debuisse ineptos huiusmodi censores, existimauit; argumentis istorum eleganti epistola refutatis: qua a Reuchlino, *tutissimo litteratissimoque hominum refugio atque receptaculo*, vt eum appellat, etiam atque etiam vna contendit, vt viris studiosis liberaliumque artium cupidis subueniret, dignitati, gloriæ, laudi ac vtilitati reipublicæ consuleret, & principi *Eberhardo*, cuius insignes virtutes dilaudat, summa cura ac studio persuaderet, *neminem vmquam ad veram rerum cognitionem peruenire posse, nisi primis rudimentis vacauerit.* Quod si effecerit Reuchlinus, bonarum litterarum cultores ipsum vt *alterum Ciceronem* immortalitati dedicaturos, optimum vero Principem, Patriæ Patrem, cuius opera tantum commodum patriæ accesserit, vt *alterum Octauium* ad astra laturos esse, spopondit. Reuchlinum cer-

(o) clar. viror. ad Reuchlin. epist. p. 14, b. eamdem minus comptam epistolam inuenies etiam in M. Crusii Annal. Sueu. P. III, lib. VIII, c. 19. p. 470.

te, vt rem eo perduceret, quo Adelmanus maxime perductam volebat, nulli labori postero tempore pepercisse, supra cognouimus, ita, vt famæ vitæque discrimina subire ea propter haud dubitauerit. neque vero conata optimi viri successu caruisse, sed eum, ex quo Adelmanus epistolam istam ad ipsum miserat, triginta octo amplius annorum spatio fortiter & secundo Marte contra barbariem, tamquam ferum ac immanem hostem, pugnauisse, pariter intelleximus. Nam tum, quum epistola ad Reuchlinum missa est, vix triginta natus is erat annos, & Agricola non ita pridem Heidelbergæ scholas instituere cœperat: Tubinga vero humaniorum litterarum studia etiamnum fugiebant. Eo magis mirandum puto, Adelmanum inter barbaros adhuc tum Germanos versantem tam puro ac eleganti dicendi genere vsum esse. verum hoc *Italiæ* vltro acceptum retulit: cuius *gymnasia optimarum artium nutrices, auctores atque opifices* quasi collaudauit: quamquam Reuchlino, communi Germanorum Præceptori, multum etiam debere se professus est. qui quum discipulum hunc suum virtutibus & eximia scientia ornatum, nosset, ipsum, quod nihil nec scribendo, nec dicendo proferret, vitamque suam inglorio-

gloriorum monachorum exemplo ac instituto ageret, satyrico more coarguit (p).

Plures antiquitate generis & honore illustres ætatis istius homines, ad studiorum gloriam magno conatu adspirantes nominare nihil attinet. Qualibus nec insequenti tempore caruit Germania. huic saltem Erasmus suo æuo gratulatus est, quum vidit, multos nobilitatis iuuenes ad laudem litterarum studiis comparandam contendere, idque tanta peragere æmulatione, vt tum, Erasmi sententia, vere clara, generosa, illustris, ac suspicienda existere cœperit *Germaniæ nobilitas:* quæ pro chartis lusoriis, atque alea optimos tractabat veterum libros, & cui pro bellis ac latrociniis sanctissimæ leges ac philosophiæ decreta curæ erant cordique (q).

Hactenus id, quod declarandum suscepi, non obscure comprobasse ego mihi videor: litteras videlicet, in primis purioris Latinæ linguæ studium, Principum summorumque virorum patrocinio adiutum, tam breui temporis spatio in Germania nostra effloruisse, mirum adeo non esse, quum litterarum studiosis summi tum decreti fuerint *honores.* Quibus amplissima accesserunt *præmia* industriam hominum mirifice excitantia. Nam

Q 5 et-

(p) clar. viror. ad Reuchlin. ep. pag. 15.
(q) Erasmi epist. 94, lib. 19.

etiamsi Pirckheimerus se suae aetatis Principum conditiones probe cognitas habuisse adfirmauit (r), diu inter eos versatus; seque talibus ipsorum promissionibus vel ditissimum pronuntiauit; quibus si sustentari debuisset, bonis saepe, vt aiunt, dentibus malo comedere coactus esset; quum magnifica verba neminem opulentiorem reddant, & in actione demum omnis laus virtutis consistat. Erasmus tamen, ad quem talia scripserat Pirckheimerus, edocuit, fortunam a Principum liberalitate exspectandam sibi haud defuisse: qua quo minus abundarit, se ipsum culpam sustinuisse, fatetur, cui libertas nimis dulcis fuerit (s). Equidem praemia, eaque ampla satis, in Germania proposita fuisse isto tempore litteratis, non paucis testimoniis demonstrare possem: verum id superioribus comprobatum simul esse, arbitror: vbi praeter singularem summorum Principum erga Musas clementiam, de *Dalburgii*, *Pirckheimeri*, *Peutingeri*, *Mutiani* actum est benignitate. Tantum iis, quae supra de *R. Agricola* protuli, in praesenti addam, *Burgundiae Cancellarium monitis*, *suasibus*, *impulsu & blandimentis propemodum promissisque Agricolam*, *vt Maximiliani Imperatoris aulam sequere-*

(r) epist. familiar. lib. misc. ep. 27.
(s) ibid. ep. 28.

quereretur, pellicere studuisse (ſ): *Antverpiensis* etiam *senatus*, vt in vrbem suam attraheret Agricolam, opulentam ei obtulit conditionem (sſ). Qui quum, vt eam acciperet, propositis præmiis permoueri non potuisset, eidem Senatui suadere tamen haud intermisit, vt hominem, vbicunque liceret, scholæ suæ quæreret, qui docere posset, dicere, & facere; & qui bonas litteras didicerit: nec, vti fieri consueuerit, *infanti theologo*, aut *physico*, id muneris committeret (t): quod si idoneum hominem inuenisset Senatus, omni sibi cum vt pararet mercede, hortatus est; eumdemque cogitare iussit, non de re vili atque contempta, sed de filiis consilium esse, quorum vtilitati futuræque vitæ omnis ciuium labor inuigilare deberet (tt). Nec vero Ger-

(ſ) Lucubrat. Agricolæ pag. 207. (sſ) ibid. p. 215.

(t) vid. Erasmi Adag. Chil. I Cent. IV, n. 39. *Quid cani & balneo?*

(tt) Lucubrat. pag. 210. Id Senatui Noribergensi *Melanchthon* his verbis persuadere contendit T. I Declamat. p. 443: *Est non modo in superos impius, sed plane humana specie belluinam mentem tegit, quisquis non dat operam, vt sui liberi rectissime instituantur: hoc inter hominem ac belluam discrimen natura fecit, quod belluae deponunt curam sobolis, cum adoleuit, homini iniunxit, vt ex se procreatos non modo in prima infantia alat, sed multo magis, vt mores eorum, quum adoleuerint, ad honestatem formet.*

Germaniæ Musæ nullos inter exteras nationes habuerunt Mæcenates; qui ipsas colendas, & pro insigni sua in litteras beneuolentia eximiis præmiis ornandas sibi existimauerant. De *Roffensi Episcopo*, magno litterarum ac pietatis in Anglia Antistite, narrat Erasmus, se sollicite ab eo rogatum esse, quare Reuchlino, quem propemodum adoratum ab ipso scribit (u), gratum facere posset: & quum viri fortunam eiusmodi esse, negasset Erasmus, vt pecunia magnopere egeret; verum, si annulum, aut vestem, aut aliud eiusmodi, quod ceu ipsius monimentum amplecti posset, missurus esset, gratissimum id Reuchlino futurum, confirmasset; episcopum respondisse, addit, *se nihil laborare, quanti constaret, si modo id gratum fore, nosset.* Quare petiit Erasmus a Reuchlino, vt scriberet, quid sibi potissimum mitti cuperet; *nullis episcopum sumptibus parsurum*, ipsi persuadens (v). *Angliæ* etiam *Archiepiscopum* omnia sua Erasmo detulisse, ipse testis est: qui quum pecuniam recusasset, equum donauit abeunti Archiepiscopus, & calicem cum operculo elegantissimum inauratum, pollicitus, *apud mensarios pecuniam, quantamcunque iusserit Erasmus, se depositu-* rum

(u) lib. II epist. illustr. viror. ad Reuchlin. f. 4, b.
(v) ibid.

rum (x). Idem Eraſmus *Friderici Saxoniæ Electoris* erga ſe *liberalitatem* in epiſtolis ſuis paſſim prædicat; quem Melanchthoni mille florenos aureos legato morientem reliquiſſe notauit (y).

Priusquam denique de ratione, qua ætas iſta in perpoliendo Latino ſermone vſa eſt, quædam adiiciam, inquirere porro animus eſt, numne præter bene per litteras merendi cupiditatem, honores, atque præmia eadem ætas quidpiam amplius habuerit, quod induſtriam ad linguarum litterarumque ſtudia in Germania excitarit, quod vero rareſcere paullo poſt cœperit. *Concordiam*, qua eruditorum animi conglutinati ſunt, *& vitam & ſtudia dulciora reddidiſſe* eo tempore, ita, vt docti operam ad illuſtrandas doctrinas amanter contulerint, grauiſſimum teſtem habemus Ph. Melanchthonem (z). Magni enim omnino ſtudiorum, Eraſmi ſententia, referebat (a), eos, qui politioribus litteris mili-

(x) ib. t. I.

(y) epiſt. II, lib. XVIII

(z) Declamat T. III, de Io. Capnione, p 297.

(a) ep. 77, lib. XX. Quam ægre hunc conſenſum atque bonorum concordiam tulerint hoſtes, ex Pirckheimeri verbis intelligi poteſt, quibus in Apologetica epiſtola, Luciani Piſcatori præm. quærit: *Nonne hoc piac[illegible], vel ri u potius dignum, quod tot tantosque viros tam effrenate laceſſere, tam per*

militabant, iunctis vmbonibus ſeſe condenſauiſſe, aduerſus hoſtium phalanges, qui nusquam magis concordes fuerant, quam ad opprimendum feliciter ſuboleſcentes linguas ac bonas litteras. Vel ſolam concordiæ, qua harum litterarum vindices quam maxime coniuncti fuerunt, cogitationem iucundisſimam eſſe, laudatus Melanchthon cenſuit. Nam etiamſi maxima inter eos laudis fuerat æmulatio: tantum tamen abeſt, vt inuidia, vel obtrectatio vlla intercesſiſſe videatur, vt bene de Patria merendi ſtudium ipſorum fuerit copula. Quum nominatus paullo ante *Epiſcopus Roffenſis*, Eraſmum, quem plurimi antea fecerat, Reuchlini admiratione contemnere pene viſus eſſet: ſiquidem ad Eraſmum ſcripſerat (b), ſibi tantopere placere viri eruditionem, vt, qui *vicinius ad Io. Picum acceſſerit*, alium extare neminem, crederet: ipſe Eraſmus, nulla plane inuidia hanc rem ſe vſiſſe, vehe-

tulanter ſugillare non verentur? Conradum Peutinger, Io. Cuſpinianum, qui ambo præter iuris lauream, ea fulgent dignitate, vt diui quoque Cæſaris, etiam ſecretioribus adhibeantur conſiliis. Ioachimum Vadianum, Simonem Lazium, quos omnes honoris gratia appello. Quin immo cauillis inſectari ſat non erat, niſi ex hominum eiectos numero, etiam brutis impurisſimis æquiparaſſent. mutuis, inquiunt, ſe laudibus extollunt, ex porcorum more fricant.

(b) lib. II epiſt. illuſtr. vir. ad Reuchlin. f. 3.

vehementer potius ista gauisum, & pro virili currentem sese exstimulasse, testatus est (c). Reuchlinus vicissim, pro singulari, qua excellebat, modestia, sua scripta ac merita prae Erasmi dotibus contempsit (d). immo Hutteni & reliquorum eruditissimorum virorum, quos Alberti Archiepiscopi Moguntini aula vno tempore, nec paruo numero, fouerat, scripta suis praetulit; longe remoto gressu eos, vt sibi videbatur modestissimus doctor, secutus (e). Quando minas, obtrectationes, atque conuicia, quibus Reuchlini huius famam proscinderint Colonienses, recordor, non adeo magnae leuitatis, neque notandae in retinenda amicitia inconstantiae, argui potuisse, arbitror, si quos, illustres in primis viros, hominis, a theologorum ordine diuinae laesae Maiestatis accusati, amicitiae pudere coepisset. At *Pirckheimerum* illustrissimum virum audiamus, quaeso, denuo (f): *Reuch-*

(c) ibid. f. 4, b. (d) ibid. t. 1, b.

(e) epistola, qua Alberto Mogunt. Athanasii de Variis Quaestionib. librum dedicauit.

(f) in epistola apologet. Luciani Piscatori praem. vbi singularis suae modestiae specimen praebuit Pirckheimerus, quando extrema epistola se haud parum multa, quae antea ignorauerit, tam in astronomia, & mathematicis disciplinis, quam secretiori philosophia, ante medendi, ac Martialium tormentorum vsu a *Laurentio Beheym*, Canonico Babebergensi, ad

Reuchliniſtam, inquit, *me appellant, verum tantum abeſt, vt cognomen id ægre feram, vt etiam ſummopere ob illud exultem. ſiquidem vere adfirmare auſim, inter cuncta externa, quæ mihi diuina benignitas vel indulgenter conceſſit, vix aliquid æque me, ac bonorum virorum amicitiam oblectare. præcipue, quam non caſus, ſed litterarium peperit conſortium. eam ſiquidem tanti facio, vt potentiſſimorum etiam principum dignationi æquare non dubitem. magnam igitur eruditorum amicorum copiam, non ſolum per Germaniam, ſed vniuerſam fere Europam, mihi eſſe gaudeo, & glorior.* poſtquam Eraſmi & Reuchlini virtutem, doctrinam, & eloquentiam mirifica laude extulit Pirckheimerus, addit demum: *Quis igitur tantorum virorum amicitia non gauderet, quis eorum familiaritate non oblectaretur? ſiue igitur me Eraſmiſtam, ſiue Reuchliniſtam nuncupent, nulla contumelia, ſed potius me laude adfeciſſe, ſciant.* Nec quisquam fere litterarum in Germania inſtauratarum laudem in ſe nominatim transfuſam voluit. *Agricola* certe ea fuit modeſtia, vt laudem iſtam *Rud. Langio* atque *Reuchlino*, nec non *Hegio* ſuo vltro conceſſerit:

quem ipſa epiſtola ſcripta eſt, didiciſſe vltro profeſſus eſt, & quidem tum, quum amplisſimis muneribus iam erat perfunctus.

rit: quum tamen ipſe huius fuerit magiſter, ac reliqui duo, immo vniuerſa Germania, plurimum ei debuerint, tamquam primo ac præcipuo bonarum litterarum vindici, qui etiam ab omnium artium profeſſoribus, ſi quis nodus inciderat, ad cuius explicationem aut hiſtoriarum, aut Latinæ linguæ aut Græcorum cognitione opus fuerat, conſulebatur. Quum Heidelbergæ mos fuerat, vt in publicis diſputationibus profeſſores, ſi quando hæſerat diſputator, interfarentur, difficiles nodos ab Agricola publice explicatos eſſe legimus (ff). quæ omnia de ſingulari teſtantur conſpiratione, & eruditorum ad excitanda inter Germanos ſtudia concordia. nam comiter in eruditorum grauiumque virorum conuentu diſputaſſe, nec rixatum eſſe Agricolam, adfirmarunt. Quod ſi vero omnino ſimultatis quicquam intercedere cœperat, mature opprimere eam contenderunt. cuius rei illuſtris *Pirckheimerus* illuſtre iterum exemplum ac teſtimonium nobis præbent. Is quum a fide dignis hominibus acceperat, *Eobanum Heſſum* parum amice, immo infeſtisſime de ipſo verba feciſſe: tanta incredibilis virtutis homo vſus eſt moderatione, vt minus acerbam, ſed Chriſtianæ lenitudinis quam

 plenis-

(ff) in Phil. Melanchthonis epiſtola ad Alard. Amſtelredam. Agricolæ Lucubrat. præm.

plenisſimam ad ipſum Heſſum miſerit epiſtolam (g). quid enim ſubmisſius, quid lenius ſtatui poſſet, his pio maxime Chriſtiano dignisſimis verbis: *Id licet mihi haud parum fuerit moleſtum, quoniam mihi conſcius eram, quod te nulla in re vmquam læſiſſem: potius tamen iniuriam illam tacendo disſimulare ſtatui, quam expoſtulando aliquam ſuſcitare Tragœdiam, præcipue quum pietas Chriſtiana ab omni me deterreat contentione; ætas vero ac rerum vſus longior talia probibeat certamina. Verum poſtquam tu ita coegiſti, rem tibi ingenue aperire volui, non quod tibi iniuriam aliquam obiicere quæram, quum talia potius contemnere, quam vindicare ſoleam, ſed vt ſilentii mei rationem reddam. Scio enim, quod nemo me offendere poterit, niſi me ipſum lædam. Extorſiſti itaque, mi Heſſe, ſilentii mei rationem, vt arbitror, haud inanem. Quid enim ſcriberem, quum taliter te ſcirem adfectum? Verum tantum abeſt, vt tibi iraſcar, vt quam optime euenire cupiam, & culpam, ſi qua eſt, potius fato meo, quam vlli hominum acceptam feram. Sum enim amicorum delectu parum fortunatus, adeo, vt omnes fere, quos multis demerui officiis, malam mihi quotidie referant gratiam. Verum* non

(g) eam inuenies in Pirckheimer. Epiſtolar. famil. Append. p. 404.

non ideo a bene faciendo desistam. Quapropter, nisi tu renueris, me potius amicum, quam inimicum habebis. Bene vale. Si reputaueris mecum, Lector, quis fuerit Pirckheimerus, quam amplis functus sit muneribus, & quanta eius in potentissimorum Imperatorum aulis habita sit auctoritas; tam excellentes & summas viri virtutes mecum veneraturus, sæculum, quo eius generis senatores vixerunt, aureum existimabis, credo.

Neque vero ego de eodem summo viro sine voluptate legi (h); ipsi minime inuidum ingenium fuisse, sed *κοινωνικώτατον*, & tam liberale, vt si quid penes se habuerit, quod ad publicam vtilitatem recte proferri posse iudicauerit, id aliis libenter concessisse, & prolixe detulisse. Id quod epistola ab ipso Pirckheimero ad Reuchlinum scripta liquido confirmat: qua significauit (i), se Treuiri varias, tam Græcas quam Latinas re-

 perisse

(h) Rittershus. Commentar. de Vita Pirckheimer. p. 34. Cum B. Rhenano humaniter expostulauit, quod is anxie sese excusarit, perinde ac si minus sincere cum amico agere suspectus fuerit, & Pirckheimerus non satis sciuisset, quo officio amici essent colendi: omnem igitur vanam suspicionem deponere eum, & credere simul iussit, *omnia, quæ penes Pirckheimerum laterent monimenta, Rhenano esse communia.* vid. Pirckheim. Epist. famil. lib. ep. 81.

(i) clar. viror. ad Reuchlin. ep. p. 60, b.

perisse antiquitates: ex quibus Græca cum ipsa ista epistola Reuchlino misit, Latina etiam, si placere intellexisset, missurus. Quam faciles in codicibus manu scriptis commodandis fuerint tum homines, *Iacobi Sprengeri*, Prouincialis ordinis Prædicatorum in vrbe Basilea, epistola, quam ad Io. Reuchlinum scripsit (k), quam maxime etiam potest testificari; cuius verba sunt: *Tuum desiderium, quo libello Græcis apicibus descripto langues, amplexatus, negare non valeo. Reperi ad tuam voluntatem inclinatissimos conuentus Basiliensis patres, qui potius codice, quam tuæ voluntatis bene placito carere volunt. His tamen adiectis conditionibus, vt ad vsum tuum, quoad vixeris, sit, vt si casu perditus fuerit, non tibi, ipsis autem sit amissus. Si vero tuis in extremis, apud te remanserit, tum erit, vt præfato restituatur conuentui, prouidere, & ex tuis codicibus alterum pro ornatu librariæ adiicere:* & quæ sequuntur. Huc quoque pertinet mira & memoranda *Glareani* in suis lucubrationibus, emendationibusue alteri concedendis facilitas, qui ad Pirckheimerum scribit (l). *Ego paratus sum tibi tuum codicem remittere, multis in locis notatum, ea tamen lege, vt nouum*

(k) lib. II, ep. illustr. vir. ad Reuchl. p. 2.

(l) Pirckheimer. Epist. famil. lib. ep. 83.

nouum exemplar, ex iis, quæ nunc adornas, ad me mittere digneris. Notaui autem facta in hoc, vt iudicio tuo subiicerem, tuque ea vel probares, vel reprobares, ac si vsui tibi futura sint, iis vtere, sis, suppresso meo nomine. Plerique nempe eruditi ita animati tum erant, vt in restituendis auctoribus alter alteri auxilio esset, nec suas quisque quæreret gloriolas, sed litteras pro virili iuuaret. quales vt omnes ac singuli fuissent, Glareanus magnopere expetierat; qui, si quisquam alius, talem certe sese præstitit. Idcirco complures, si quid in lucem edere constituerant, id quibusdam aliis doctis examinandum tradere consueuerunt, persuasissimum sibi habentes, *vsum, experientiam, & doctrinam efficere, vt multi plus, quam singuli, videant,* & facile inuentis addi quicquam posse (m). Et, vt vere dicam, sæpius miratus sum, tamquam rem his nostris temporibus longe rarissimam, atque incredibilem ferme, quando in ætatis, de qua mihi in præsenti sermo est, scriptis cognoui, quam æquo animo *censuras* aliorum pertulerint eruditi. Horum numero qui adscribatur, toties summa semper cum laude a me nominatus Pirckheimerus omnium dignissimus mihi videtur, vtpote qui Erasmo singulares egit gratias, quod *tam sincere ac candide id,*

R 3 *quod*

(m) ibid. ep. 80.

quod in ipsius scripto quodam non probauit, ostenderit: quem animum, & quam mirificam plane ciuitatem ipse Erasmus vehementer suspexit; quum scilicet pro admonitione, quam ipse censor Erasmus *audacem* potius, quam *tempestiuam*, habuit deinceps, gratias etiam agere haud dubitarit Pirckheimerus (n).

Non minus vero prompta *impressos* etiam *libros* commodandi voluntate fuisse sæculi eius eruditos, ex epistolis ipsorum satis cognoscere licet. *Agricola*, quamquam *Plinium* crebro in manibus habebat: *Hegio* tamen suo, quum commodatum vellet, denegare eum non potuit. Et hæc in commodandis libris facilitas est, quæ magnæ bonorum librorum inopiæ, qua Germania tum laborabat, mederi potuit. Quanta de reliquo librorum præstantissimorum penuria atque caritas tum fuerit, ætatis eius monimenta satis nos edocere possunt: id quod sine negotio quam plurimis testimoniis confirmare liceret, nisi res pro se ipsa loqueretur. Anno etiamnum CIƆ IƆ XII *Nicol. Ellenbog*, Otthenburensis monasterii Prior, ad Reuchlinum scripsit (o), se mercatores longe lateque *Græca Biblia* inquirere iussisse, sed talia sibi haud conti-

(n) Epist. famil. lib. ep. 27, 28.

(o) clar. viror. ad Reuchlin. ep. pag. 48, b.

contigisse. Plurimos libros, quos *Aldus Manutius* Venetiis impresserat, Reuchlinum adferendos sibi curasse, ex ipsius Aldi epistolis, quae supersunt (p), intelligimus; quarum vnius initium hoc est (q): *Delectari te plurimum litteris & laboribus nostris, Capnion mi suauissime, quantum ipse delecter, non facile scripserim, tum quia principibus placuisse viris non infima laus est, tum etiam quia laus ista, quoniam a te laudato viro proficiscitur, facit, vt me esse aliquem putem. Sed Deum Op. M. oro, vt diu alter alterius studio delectari possimus, in dies magis, quod non dubito futurum, si quamdiu prodesse hominibus possit vita nostra, vterque vixerimus.* In ipsa hac epistola significauit Aldus, quid caussae fuerit, quamobrem Reuchlinus libros ex officina ipsius emissos minoris a Germano bibliopola emere potuerit, quam Venetiis eosdem vendere se consueuisse, Aldus adfirmauit. quod scilicet mercator Germanus quam plurimos simul libros minoris, quam singuli venditi sint ab Aldi societate, vt aliquid lucrari posset, Venetiis acceperit, nec tamen soluerit, quum ad tempus dati essent libri: gratis igitur hos fortasse accepisse se mercatorem putasse, credidit Aldus.

 Ipsa

(p) ad Reuchlinum scriptae; ib. pag. 58, b. seqq.
(q) pag. 59.

Ipsa hæc *libros typis exscribendi ars* litteras euehendas propagandasque, vt in cuncta Europa, sic in patria etiam nostra, cui debetur admirabilis ars, quam maxime subleuauit. Quanta commoda eadem ars humano generi attulerit, *Auentinus* breuiter quidem, at perquam dilucide elocutus est (r): cuius verba quum non ad Germaniæ modo laudes pertineant, sed ad Latinæ etiam linguæ fata, vtpote cuius vsus artis istius beneficio magis magisque disseminatus est, spectent, si integra apponam, id non ab re fore, mihi persuadeo. quamuis non ignoro, Auentinum, quod ad artis inuentores attinet, erroris coargui: quod tamen de ipso artis elogio a me adducendo nihil plane derogat. *Anno* (CIƆ CCCC L), ait Auentinus, *magnum ac vere diuinum beneficium Ioannes Faustus Germanus generi humano contulit, nouum scribendi genus haud dubie cælitus reuelatum, (quod Chalcographiam excusoriam, impressoriamque vocare solent) inuenit. Consuluit Pater indulgentissimus honestis litteris, auctoribus præclaris, de quibus actum fuisset, ita torpore languescimus, adeo delicatuli sumus, fugitantesque laborum: tantum litterarum vno mense ab vno homine imprimitur, quantum vno anno a pluribus scriberetur. Quod Campanus* *Apru-*

(r) Annal. Boior. lib. VII, p. m. 667.

Aprutinus pontifex vno versu elegantissime scripsit

Imprimit ille die, quantum non scribitur anno.

Hinc indies magis ingenia vigent, studia litterarum florescunt, copia librorum paruo aere suppetit, omnes ad capessendas praeclaras artes tanta librorum commoditate alliciuntur.

Equidem de *via*, quam saeculum istud *in Latina lingua sordibus purganda* iniit, agere itidem pollicitus sum: sed eo breuior nunc hac in re, quam in superioribus etiam passim attigi, esse posse mihi videor; quo vberior deinceps de reformata grammatica dicendi mihi erit copia. optimi igitur tantum *Agricolae* longiorem & salutarium maxime consiliorum plenissimam *epistolam* heic laudabo; & quum vbique obuia sit (s), nihil ex ea excerptum dabo, praeter pauca oppido verba, quibus Barbiriano suo corruptam loquendi institutionem, quam pueri in scholis acceperint, emendandi modum praescribit: *Fac*, inquit, *suspectum tibi sit, quicquid hactenus didicisti, damnes omnia, atque abiicienda pu-*

R 5 *tes;*

(s) cl. Rechenbergius istam vna cum Rol. Maresii Epistolis philologicis edidit pag. 569 seqq. inter formandorum studiorum scriptores Basileae & alibi coniunctim editos saepius antea recusam. in Lucubrationibus Agricolae reperitur pag. 193

tes : nisi meliorum auctorum testimonio, & velut decreto rursus in eorum mittaris possessionem (f). postquam plura eadem de re præcepta dedit, addit denique: *quicquid eris scripturus, des operam, vt quam purissime id, recte tantum, Latineque inter initia eloquaris. ornate dicendi posterior erit cura, quod contingere certe, nisi sana & integra sit oratio, non potest.* Reuchlinum quoque studiose operam dedisse, ut ciues sui grammatici prius exsisterent, quam elegantes euadere studerent, vidimus. nihil etenim tam portentosum iudicauit Erasmus, quam orationem, quæ quum munda non sit, ornata tamen videri velit; & quum sana non sit, formosa tamen videri gestiat. Et

(f) Equidem *Ioach. Camerarius* verba ista non penitus probauit in Oratione de Studio bonarum litterarum Lipsiæ pronuntiata, a. 1641, B, 6. vbi scripsit: *Neque ego ausim dicere, id quod Rudolphus Agricola pronuntiat, reiicienda esse omnia prioris sæculi studia.* ipsis Agricolæ verbis repetitis, pergit: *Ego vero vt penitus defugiendam prioris sæculi auctoritatem non censuerim, ita hoc nequaquam verear affirmare, pleraque tum vsurpata vel corrigenda vel prorsus etiam mutanda esse. Errarunt enim multis in rebus superiora tempora: quæ vel vsus deinceps, vel doctrina, vel etiam vetustas ipsa immutauit.* Sed tamen, quum Agricola prudenter addiderit: *nisi meliorum auctorum testimonio & velut decreto rursus in eorum mittaris possessionem*, Camerarium facilius assentiri ei potuisse, arbitror, simplicis veritatis studiosissimo viro.

Et ſic *Latinæ linguæ* in Germania ſuſcitatæ euectæque non *infantiam* ſolum, ſed plus etiam, quam *pueritiam*, commonſtraſſe mihi videor, inſequenti capite adoleſcentiam ac ipſam virilem eius ætatem perſecuturus, quæ in medium circiter ſæculum XVI incidit. Circa hoc enim tempus linguæ ſtudium maxime in Germania floruit, ad vigorem quemdam perductum: poſteaquam ineunte ſæculo, & paullo ante, eiusdem linguæ ſcientia ex Italia Alpes in Germaniam translata, incredibili, quemadmodum ſupra intelleximus, cum lætitia a compluribus excepta, magno ardore comprehenſa, & ſingulari cultu erat adfecta (ſſ): nec quisquam tum fuerat perfectæ virtutis veræque laudis ſtudioſus, qui non ad vſum aliquem, vel ad ſpeciem, quicquid liceret, de Græca Latinaque lingua adſumendum ſibi putarit, & ſero etiam interdum in id laboris ac operæ aliquid dubitarit impendere. ſatis ex ſuperioribus, vt opinor, conſtat, eo cupidius quemque hoc feciſſe, quo longius dignitate progreſſus, ad gloriam prudentiæ, honorisque altitudinem maiorem peruenerat. Tantum enim humaniora ſtudia & honeſtatis, & iucunditatis, & fructus habere tum exiſtimauerant Germani, vt, niſi qui omnis humanitatis expers fuerat, nemini

non

(ſſ) Camerar. in cit. orat. B. 1, 2.

non ſequenda atque colenda eſſe viderentur. Quantopere linguæ & poeticæ Romanæ ſtudio capti fuerint initio ſæculi XVI, eoque procedente, Germani, ex ſequenti aperta nec iniucunda narratione, quam excellentisſimus Camerarius, ſæpius iam, tamquam grauisſimus teſtis, hactenus a me adductus, ſcriptam reliquit, haud obſcure etiam poteſt cognoſci (t): *Memini me adoleſcentem de quodam non indocto, ſed qui ſerius has noſtras litteras deguſtaſſet, quod hominum genus non modo eſt, vt Cicero ait, inſolens, ſed etiam flagrans in primis ſtudio diſcendi: de illo igitur cum poetis potisſimum delectaretur, memini aliquando audire quum diceret, ſe non recuſaturum, quin caput ſibi abſcinderetur, ſi vnum modo epigramma ſe auctore compoſitum relinquere concederetur, bonitate & fama par cuilibet ex omnibus a Martiale editis.* Prudenter his addit Camerarius: *Hic immodice, vt videtur, cupidus eruditionis, & perturbato animo quid optaret, aut vellet, ipſe neſciebat. Sed hoc profecto fieri ſolet, vt ii, qui in his ſtudiis aliquid profecerunt, nihil horum delectationi anteponant. Eos videmus, quemadmodum his verbis Cicero dicit, nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem, omniaque perpeti ipſa cognitione & ſcientia captos, & cum*

(t) ibid.

cum maximis curis & laboribus compenſare eam, quam capiunt ex diſcendo, voluptatem. Et hoc ipſum eſt, quod ſupra probatum dedi, vbi Pirckheimerum de ſemet ipſo loquentem introduxi: *Ego tamquam plane a negotiis feriatus, in piſtrino me torqueo litterario, non ſine bonæ valetudinis diſpendio, amicorum obiurgatione, vulgi denique riſu & ſubſannatione.*

CAP. V.

Inter illos, qui procedente ſæculo XVI incredibili ſuo ſtudio diligentiaque rem eo porro perduxerunt, vt Latina lingua tam culta in Germania exſtiterit, atque ornata, vt a perfectione non procul abeſſe videretur, quorum numerus ingens omnino fuit; primo loco qui ponantur, dignisſimi ſunt Io. Murmellius, Herm. Buſchius, Deſ. Eraſmus, *optimi eruditi Hegii diſcipuli. quorum duo priores inſignem in Alexandri Doctrinali & reliquis linguæ impuritatibus ex ſcholis eiiciendis nauarunt operam; quibus* Io. Auentinus *ſuam etiam adiunxit, eamque perutilem. Eraſmi vero merita tanta ſunt, vt ſcholæ vnicum fere litterarum inter Germanos venerentur eum inſtauratorem. cui in vindicandis litterarum Romanique ſermonis ſtudio opportunam maxime*

atque

atque fidelem opem tulerunt Vlricus Huttenus, *qui obſcurorum virorum ad Ortuinum Gratium Epiſtolarum auctor putatur*, & Hermannus Comes Nuenarius: *fortisſimus vterque Reuchlinianæ cauſſæ defenſor. Atque horum præſtantisſimorum virorum ætate* Latinæ linguæ, *de cuius etiam orthographia perficienda eruditi ſolliciti fuiſſe demonſtrantur*, adoleſcentia *definienda videtur; ita tamen, vt* virilem *etiam* vigorem, *ſiue* aureum linguæ in Germania ſæculum *attigerit: quale vt hoc eſſet, ſumma excellentisſimi* Melanchthonis *in ſingulas diſciplinas merita effecerunt. Et hoc ipſum peritisſimos oſtentauit in Germania* ſcholarum moderatores, *doctisſimos* grammaticos, interpretes, *atque* rhetores, *elegantisſimos porro* poetas, *grauisſimosque* hiſtoricos, *ac* oratores, *facundisſimos* ſenatores, *atque* iureconſultos, *Latinisſimos* medicos, & *bonarum denique litterarum cupidisſimos* theologos. *Quæ adfirmatio, nonnullis ſingularum artium diſciplinarumque ſtudiis eruditisſimis viris nominatis, comprobatur; & eorum principem* Ioach. Camerarium *recte haberi, oſtenditur. Quemadmodum vero ſuperiori tempore potentisſimorum* Principum clementia *ac* nobilisſimorum virorum fa-

uor

uor *in Germanis doctrinæ eloquentiæque studia excolendi ardorem concitarunt: sic eadem clementia ac idem fauor ardorem hunc aurea ista ætate quam maxime sustentauit: siquidem Principes atque ciuitates erigendis bonarum litterarum officinis, fouendisque litteratis hominibus adeo inter se certabant, vt quo plures produceret respublica eruditos, eo florentior ista existimaretur atque ornatior. id quod Cisueseranæ in primis regiones testari possunt: quo docti ex Westphalia confluxerunt.*

MElioribus Latinæ linguæ fatis, quibus sub XV sæculi exitum & insequentis initium in vtraque, & inferiore & superiore, Germania vsa est, cognitis; & caussis, quæ effecerunt, vt studium eius magnopere ibi effloruerit, breuiter simul explicatis: ad optatissima progredior tempora: quamquam ea, quæ antecedente capite considerauimus, nec infelicia, nec Musis inimica plane fuisse, confiteri necesse habemus. Illa enim erant, quæ a Melanchthone, siue Peucero, his prædicata sunt verbis: *Reducta tum ab exilio, & restitutæ aliquantum artes, mirifico sui desiderio incenderunt, & compleuerunt Germanorum animos, pertæsos barbariei, in qua irretiti insulsarum cauillationum intrica-*

trica-

tricatissimis nexibus tot sese annos proxima aetate frustra & pene nullo vel suo, vel aliorum cum fructu macerarant; omniumque in se studia conatusque concitarunt ac conuerterunt (a). Quemadmodum Romanus sermo tanto cum applausu vna cum ceteris liberalibus artibus exceptus, tantaque contentione certatim cultus ac celebratus, pristinum nitorem in Germania saeculo XVI recuperarit, & posteris maiorum diligentia cultiorem atque ornatiorem sese exhibuerit, est, quod hoc ipso capite breuiter exponendum decreui. Et quidem ad *Alex. Hegii* fidelissimi felicissimique simul doctoris *scholam* reuertere mihi in animo est: quam complures dedisse Germaniae viros, qui humanitatis studia magno conatu restituerint, superiore capite intelleximus: & ex qua ipsa *Io. Murmellium* quoque, *Herm. Buschium*, atque *Desider. Erasmum* progressos esse, vidimus. Horum praeclara in Latinam linguam merita, magis magisque perpoliendam, breui etiam considerabimus. Nam etsi ii ineunte saeculo XV iam floruerunt; ipsorum tamen meritorum commemorationem in hoc caput reseruandam existimaui, quum sermonem Romanum in Germania viderint restitutum, & tam feliciter vindicatum, vt a perfectione non pro-

cul

(a) Melanchth. Declam. Tom. IV, p. 738.

cul abesse videretur: tum virorum capite IV laudatorum doctrinæ plurimum acceptum retulerint; fundatæ in Germania humanitatis gloriam vltro quasi eis concedentes. Idem de *Vlrico Hutteno, Hermanno Comite Nuenario*, & reliquis acerrimis Reuchlini, & purioris simul Latinæ linguæ, defensoribus, vberius infra laudandis, præmonitum volo. Equidem quum Herm. Hamelmannus supra nominatim a me citatis scriptis Murmellii, Buschii, reliquorumque merita luculentissime explicarit, & scripta hæc rarissima antea non ita pridem Ern. Casim. Wasserbachii opera in tabernas redierint: potiora dumtaxat, quæ ad Latinæ linguæ cultum, in Germania propagatur, breuiter demonstrandum faciunt, inde proferam, non paucis aliunde adiectis.

Plures præter triumuiros istos eximia doctrina præditos homines, præceptorisque Hegii haud dissimiles discipulos alios in inferiori Germania exstitisse tum, qui scholas passim aperientes, iuuentutem ad limpidos Latinæ linguæ fontes non minus deduxerint, melioresque litteras æque magno studio propagarint, quilibet per se coniicere poterit. Etsi enim etiamnum plures olido priorum sæculorum veterno premebantur, vt neque ad claram solis lucem oculos attollerent:

haud defuere tamen alii innumeri, qui quum iam aliquos id posse viderent, ipsi etiam mallent melius sapere, ac loqui (b). Horum numero fuit *Anton. Liber, Susatensis Westphalus*, qui plurimi ab Agricola æstimatus, & ad communem ætatis istius scholarum formam docendique rationem mutandam ab eodem incitatus, iuuentutem fideliter ad Latinæ linguæ fontes in Hollandia deduxit: multa ea propter a barbaris perpessus, qui Campis & Amstelodamo eum eiecerunt: & *Conr. Goclenius, Paderbornensis*, cui Erasmus amplissimas impertiuit laudes: *Iuuenis*, inquit, *vtriusque linguæ ad vnguem doctus est, & in vtroque scribendi genere mirificus artifex, siue prosam orationem malis, siue carmen, olim inter primos eruditionis proceres præcipuas habiturus* (c). Alibi de eodem Goclenio testatur Erasmus, eum *Latinas litteras* tanta morum integritate comitateque apud Louanienses docuisse, vt apud illos, qui istas prius aduersati sint, *gratiosas reddiderit*: & postquam plurima, quæ ad Goclenii laudes ob dilucidum & in prosa & in ligata oratione dicendi genus pertinent, protulit, addit demum: *Quod si nostri Principes didicissent egregiis ingeniis habere suum honorem,* quem-

(b) G. I. Vossii præf. de Vitiis sermonis * * 3, b.
(c) Adag. Chiliad. II, Cent. 7, n. 59.

quemadmodum apud Italos habetur, *Goclenius totus fuisset aureus* (d). *Iacobus Montanus*, *Spirensis*, eo porro referendus est, quippe qui Heruordiensi scholæ istis temporibus præfectus, purioris dictionis exercitia ibi instituit; nec contemnendis scriptis, quæ edidit, vt iuuentutem ad bonorum auctorum lectionem alliceret, allaborauit. Vt de *Petro Nehemio*, *Casp. Drolshagio*, *Alardo Amstelredamo*, aliis, nihil dicam, quorum singulorum Hamelmannus vberiorem in scriptis suis facit mentionem; vbi illorum, qui ex Murmellii ac Buschii disciplina gregatim egressi, de re scholastica in Germania stabilienda præclare sunt meriti, longos dat indices; amplissimis *Io. Cæsarii* & *Matth. Phrissemii*, clarissimorum tum, optimeque itidem de instaurandis litteris meritorum virorum, adiectis laudibus. Quorum hic, quum a Coloniensibus theologis munus peteret, ab iis repulsam tulit, propterea quod litteris cultior linguisque instructior videbatur, quam vt Coloniensi theologo conueniret (e): eadem prope vsus

S 2 for-

(d) Epist. lib. XVII, ep. 7. in Ciceronian. p. 378, scribit: *Opinor illud ingenium posse, quicquid serio voluerit, verum mauult obesulus esse, quam polygraphus*: quibusdam interiectis addit: *Goclenius collo & pulcre obeso, & adeo non longo est, vt mentum pectori pene contiguum sit*

(e) G. Fabricius in Io. Riuii vita.

fortuna, qua circa idem tempus *Iac. Ceratinum, Hornanum*, vſum, legimus. Hic enim, quum duro parentis imperio obſecutus Traiectum (quæ Epiſcopalis ſedes fuerat) profectus eſſet, vt ſacerdotali dignitati inaugurandus nomen daret; & quum barbari ſæculi more (quem veluti per manus traditum ita mordicus obſeruare quidam perſeuerabant, vt piaculum putarent, ab eo vel latum vnguem diſcedere) ab officialium collegio examinandis presbyterii tironibus deputato, grammaticalis regulæ auctoritatem recitare iuberetur: ſe hanc neſcire ingenue confeſſus eſt. ad quod reſponſum e veſtigio ex adyto illo ſanctiore, vt profanus, iuſſus eſt excedere, grammaticamque felicius ac diligentius euoluere, homo doctiſſimus, ſpurcæque barbariei proculcator ſtrenuus. Qui quum Hadr. Iunii, hæc ita narrantis (f) iudicio, cum Xenocrate reſpondere tum potuiſſet: *Equidem ego vellus non carpo*: rara modeſtia ita contineri ſeſe paſſus eſt, vt nec excuſauerit ſe, nec errorem illorum caſtigandum decreuerit; contentus viro eiuſdem ordinis candidato repulſæ ſuæ cauſſam detegere: qui mox introductus in ſacratius illud penetrale, erroris magiſtros illos admonuit, inſignis calumniæ maculam ſe ipſis aſperſurum minitans,

(f) Centur. V. Adag. 4.

tans, ni opportune illi mederentur. Cuiusmodi castigatione factum, addit Iunius, vt agnito errore Ceratinum reuocarent, iniuriamque deprecarentur, prisci moris excusatione, non enim integrum sibi fuisse, a ritualium librorum ductu, & recepto more discedere. his aliisque lenociniis delibutus sacerdotio inaugurabatur *Ceratinus :* qui nimirum Iunii testimonio *Latinæ linguæ innutritus quodammodo, triuialia grammatices præcepta vel omnino non audierat, vel neglexerat dedidiceratque.* Qualis vir fuerit Ceratinus, ex quadam etiam Erasmi, qua eum Pirckheimero diligentissime commendauit (ff), epistola, cognoscere licet: qua testatus est, eum virum fuisse, qui ita Græce doctus exstiterit,

S 3 nec

(ff) Pirckheimer. Epist. familiar. lib. ep. 46, b. vbi sequentia etiam de Ceratino scribit Erasmus: *Eum iussu vel flagitatione potius Georgii Principis per litteras euocaui, non admodum sperans, futurum, vt hanc conditionem non aspernaretur. Nam & apud suos amplius præmiis ad publicam professionem inuitabatur. Succedet Petro Mosellano, sed decem Mosellanis eruditior, etiamsi Mosellanam doctrinam, & ingenium haud vulgariter adamabam.* ep. 91 eiusd. libri scribit Pirckheimero: *Georgius Saxoniæ dux crebris litteris perpulerat me, vt mitterem, qui Mosellano succederet, misi Iac. Ceratinum egregie peritum vtriusque litteraturæ. Res non optime successit. fortassis incidit in suspicionem, quod non satis abhorreret a doctrina Lutheri.*

nec minus Latine, vt cum dignitate vel in quauis Italiæ parte profiteri potuisset: tum moribus plane niueis, sed adeo modestus, vt pene putidulus.

Ad optimos istos triumuiros ipsos quod attinet, IO. MVRMELLIVS, *Ruremundensis*, qui primus eorum decessit, vir bonus a Io. Sturmio appellatus est, & vtilis Dauentriæ puerorum in ludo moderator (g): *absolutissimum* alii prædicarunt eum *grammaticum*, qui omnium ætatis suæ eruditorum in se conuerterit oculos. Quum Io. Bugenhagius scripta eius legisset, magnopere lætatum se confirmauit, illo se vixisse tempore, quo & *ipsa Germaniæ adolescentia* doctis atque *Latinissimis præceptoribus gauisa sit*: Murmellii certe scripta qui legerit, eum casta, ac Latiali lingua loquentem miraturum fore, credidit. Exquisitæ summi Mæcenatis *Rud. Langii* eruditioni, quod complures mendas & ex prosa oratione, & versiculis sustulerit, in primis se debere, fassus est Murmellius: quem Colonia ab inficetis ac illiteratis hominibus expulsum exceperat Langius, benignissimeque refecerat. Quod obscurum *Alexandri Galli Doctrinale*, de quo mox pluribus verbis agendum erit, ex Germaniæ scholis sit extrusum, Mur-

(g) in dedicat. qua Golii Onomasticon Iacobo Marchioni Bad. inscripsit.

Murmellio noſtro atque Herm. Buſchio cum primis deberi, putant eruditi. Ille ſaltem a doctis ſæculi ſui viris efflagitauit, vt omnes ingenii ſui neruos intenderent, vt, exploſa veteris Alexandri barbarie, politioribus litteris erudiri ſe, gauderet Germaniæ iuuentus. Ad quem finem librum etiam ſuum, quem *Scoparium* inſcripſit, valde ab Hamelmanno dilaudatum, emiſit; vt nihil de aliis eius libris, qui ad recte emendateque loquendum multum conducebant, addam (h).

HERMANNVS BVSCHIVS, *Hegii* iuxta inſtitutioni, atque eiusdem *Rud. Langii*, ciuis ac cognati ſui, conſiliis omne id, quod in ſe fuit eruditionis, acceptum retulit: cuius poſterioris perſuaſu in Italiam abiit, ab eodem educatus antea, atque aliquamdiu inſtructus. Vnde poſtquam optimarum rerum ſcientia ornatus redierat, & tantus denique vir euaſerat, qui Eraſmi iudicio (i) *in carmine pangendo felix* fuerit; & in cuius etiam *ſoluta oratione magna eluxerit ingenii vis, lectio varia, iudicium acre, neruorum ſatis, ſed compoſitio Quintiliano propior, quam Ciceroni.* tantus, inquam, vir quum euaſerat Buſchius,

(h) indicem eorum vide lib. III Hamelman. de Viris in Weſtphalia ſcientia ſcriptisque illuſtr. Oper. pag. 171.

(i) Ciceronian. pag. 378.

ſchius, optimi ſui cognati, & *R. Agricolæ*, quo olim in Heidelbergenſi academia præceptore vſus erat, & cuius hortatu Ciceronem diligentius legere inſtituerat, exemplo incitatus; tam egregie de bonis litteris, præſertim de Romano ſermone, meritus eſt, quam qui maxime. ſiquidem non inferiori ſolum Germania barbariem eiicere pro virili enixus eſt, ſed in pluribus quoque ſuperioris Germaniæ academiis, in quibus ipſe docuit, homines eo perduxit, vt ſordium denique ipſos pertæſum eſſet, meliora addiſcendi cupiditate adfectos. Tanta equidem cupiditas hæc exſtitit, vt clarisſimos etiam viros ac diſciplinarum doctores haud puderet, Buſchium, veteres ſcriptores frequentibus admodum ſcholaſticorum auditoriis explicantem, audire. Quo magis enim βάτραχοι iſti obſtrepebant, hoc magis iuuenum ardor gliſcebat (k), illiteratis litteris magnopere tandem ſpretis. Quum videlicet bonos auctores ſcientisſime interpretatus erat Buſchius, Germaniæ iuuentus penitus tandem cognouit, quid diſtarent æra lupinis, id quod in plurimarum vrbium ſcholis, & *Roſtochienſi* academia factum eſt: in qua Buſchius quam fortisſimos barbariei reperit propugnatores, maxime idcirco ipſi aduerſarios, ſolumque vertere ipſum denique cogen-

(k) Eraſm. lib. XVII, ep. 8.

cogentes. *Gripswaldensem* porro, *Francofurtensem*, *Erphordensem*, *Lipsiensem*, *Wittenbergensem*, *Marpurgensem*, & alias Germaniæ scholas ex barbarie ad Latinæ linguæ cultum reuocare studuit: in quibus adhuc nihil ferme, nisi fœda fuerat barbaries; & doctissimus Buschius, ab Hamelmanno *firmum Latinæ linguæ propugnaculum* merito suo appellatus, Augiæ stabulum ibi inuenit. *Lipsiæ* tamdiu reluctata est barbaries, dum optimum virum inde expulerit; quum ex Wittebergensi academia eo redierat (l). Aeque infestam nempe Lipsiæ fortunam eodem fere tempore expertus est Buschius, ac *Io. Rhagius Aesticampianus*, vir eruditissimus (ll), & antea

S 5

(l) vid. Hamelmanni orat. de Herm. Buschio supra allegatam: vbi multa notatu digna inuenies. conf. etiam disputat. de *Graecarum & Latinarum litterarum in Misnia Instauratoribus*, Lipsiæ præs. cl. Io. Burch. Mencken 1701 hab. § 15. Vberiorem cultum, quem *Dantes Aldigerius*, *Florentinus*, initio sæculi XIV ex Italia Lipsiam secum attulisse § 9 eiusdem disput. dicitur, multo ante exstinctum atque oppressum fuisse, quam Buschius eo venerit, facile quemque sibi persuasurum, arbitror.

(ll) qui plura de *Aesticampiano* cognoscere cupit, euoluat velim Dan. Fidleri disputationem, de ipso hoc grauissimo humanitatis vindice Lipsiæ 1703 emissam: cui *oratio* subiuncta est, quam *an.* 1511 habuit, quum quorumdam maleuolentia atque improbitas Lipsia abire eum cogeret. Quæ licet minus verbosa sit, eruditionis tamen plenam, sed quæ

tea *Conr. Celtes.* Quum *Georg. Heltus*, Camerarii præceptor, promptam & expeditam Latine ſcribendi elegantiam, & quocunque in negotio verba faciendi copiam, dudum in Buſchio admiratus, ipſum aliquando, quum Lipſiæ adhuc commoraretur, interrogaſſet,

multa acerbitate permixta ſit, deprehendet, qui eam legerit: accedit, quod ſæculi conditio optime ex ea perſpici queat. Valde ego miratus ſum, quum in eadem, quantum operæ Lipſiæ in docendo per triennium nauarit Aeſticampianus, cognoui. *C. Plinii Hiſtoriam naturalem*, quam Germanos antea vix cognitam, atque auditam, nedum lectam, habuiſſe adfirmat, ibi expoſuit; *tres* etiam *Decades T. Liuii* iſto temporis interuallo bono publico explicauit, *Plauti* porro *Comœdias, Horatii Carmina, Virgilii Aeneida, Ciceronis Epiſtolas, tres de Officiis libros, tres de Oratore*, totidemque *Orationes, Corn. Taciti de Moribus Germanor. librum, Hieronymi Epiſtolas. Aul. Gellium, Priſcianum, Auguſtini* aliorumque ſcripta illuſtraturus, niſi vrbe excedere coactus eſſet. Quo ſingulari ſuo ſtudio *ſcholaſticorum quosdam tam cultos* factos eſſe, lætatus eſt induſtrius maxime vir, *vt alios ingenue erudire potuerint.* Vehementiora ſunt extremæ orationis verba, quibus in purioris Latinitatis hoſtes ita inuectus eſt: *Vos quidem oportebat primum loqui verbum Latinitatis, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis Romana eloquentia, ecce conuerto me ad gentes vicinas & barbaras. Quem enim poetarum eloquentum non ſunt perſecuti patres veſtri, & quem vos ludibrio non habuiſtis, qui ad vos expoliendos quaſi cœlitus ſunt demiſſi? Nam vt e multis paucos referam, Conrad. Celtin pene hoſti-*

ſet, quam maxime rationem in illa comparanda ſecutus eſſet; reſponſum tulit: *Legendis & relegendis Ciceronis epiſtolis* (m). Poſtquam igitur ſtudioſa iuuentus Buſchii noſtri exemplo ad Ciceronis & reliquorum bonorum auctorum lectionem, quæ omnis ſcientiæ quaſi fons eſt, inuitata, in obſcurorum grammaticorum labyrinthum includi ſe porro non patiebatur, omnesque deteſtabatur Latinæ linguæ impuritates, barbaries vbique in Germania exſibilata terga tandem vertebat. Arduum maxime opus, quod mirandum puto, in *vrbe Colonienſi*, quæ barbarici

liter expuliſtis: Hermannum Buſchium diu ac multum vexatum eieciſtis. Ioannem quoque Aeſticampianum variis machinis oppugnatum tandem euertitis. Quis tandem Poetarum ad vos veniet? Nemo hercle, nemo, cuius modo ad aures virtutis veſtræ fama peruenerit. Inculti ergo ieiunique viuetis fœdi animis & inglorii, qui vel, niſi pœnitentiam egeritis, damnati omnes immoriemini. Hoſce aduerſarios publicas ſcholas præcluſiſſe Aeſticampiano, & ſcholaſticos ne eum audirent, nequiter impediuiſſe, ex eadem oratione diſcimus: quos a recta loquendi via modeſteque viuendi regula inſulſis ſuis ſermonibus & luxurioſis conuiuiis auocaſſe atque ſeduxiſſe iſti dicuntur. idque eosdem aduerſarios natura & conſuetudine iamdiu inueterata ac roborata, vel peruerſa ac impia voluntate commiſiſſe, pronuntiat Aeſticampianus.

(m) Ioach. Camerarius id commemorat in præfat. Epiſtolis Ciceron. præm. A. 5. edit. Vœgelin. an. 1605.

riei inſcitiæque propugnatoribus tutisſimum adhuc portum præbuerat, ſtrenue optimi *Comitis Nuenarii* auſpiciis adortus eſt; quum & præſtantisſimos ibi enarraret ſcriptores, quos Colonienſes ſophiſtæ ex mera adhuc oderant inſcitia; & doctisſimis ingenii ſui monimentis, quibus barbaros carpebat, ſedulo contenderet, vt *Alexandri Doctrinale* ſcholis eiiceretur, cuius haud ſegnis impugnator etiam Buſchii ætate fuit *Timannus Camenerus*.

Alexandri huius *grammatici*, qui *ſæculo XII* vixit, amore per tot ſæcula ita capti fuerant ſcholaſtici, vt eos, qui Alexandri præcepta impugnare audebant, maximis proſcinderent conuiciis, tamquam homines omnium bonorum odio dignisſimos. Namque per hominum animos peruaſerat tum opinio, *neminem plane ad eximiam aliquam eruditionem peruenire poſſe, niſi qui in Alexandro probe eſſet verſatus*. Quid, quod eo dementiæ proceſſerant tum homines iſti, vt id, quod aurei ſæculi ſcriptores litteris conſignarunt, imitari dubitarent, *niſi Alexander conuenire videretur*; ita, vt omne id, quod aliquis aliunde in Latinis litteris addidicerat, ſuperfluum damnarent. vt plurima paucis comprehendam: *Alexander cum Gloſſa notabili Coloniæ nata inſtar omnium grammaticorum erat*. Licet vero *Hegius*

con-

contra barbaros huiusmodi libros, inprimis contra *vocabularium, Gemma Gemmarum* inſcriptum, & reliquas Latinæ linguæ impuritates fortiter cum Agricola antea dimicaſſet, inuectiuas contra ineptos grammaticos conſcribens: & licet *Wimphelingius* in idem iſtud *Alexandri Doctrinale* grauiter prius in ſuperiori Germania eſſet inuectus: aduerſariorum tamen ferocia prohibuerat, quo minus multum profecerint doctiſſimi viri, de felici rerum ſucceſſu penitus ferme deſperantes. Nam etſi ſciebant, *Sulpitii Verulani*, & *Aldi Manutii* operam, quam in Alexandri Doctrinali ex Italiæ ſcholis exterminando collocarant, non irritam fuiſſe: in Germania tamen tot obiiciebantur humanitatis aſſertoribus impedimenta, vt ineptos libros eiusmodi ex iuuentutis manibus extorquere per bene multos annos *ἀδύνατον* plane ipſis videretur. Præter enim Alexandri Doctrinale & Gemmam Gemmarum, complures alios eiusdem farinæ libros verſabant tum in ſcholis: quorum ipſi tituli barbariſmis erant inſigniti. Huc referenda eſt *Diſciplina ſcholarium, & Vocabularius breuiloquus cum arte diphthongandi, punctandi, & accentuandi:* cuius Mart. Cruſius mentionem fecit (n). Pertinent huc porro *Hollockot, Breikot, Gorra, Ala-*

(n) Annal. Sueu. P. III, lib. IX, c. 8.

Alanus, Mammetractus, Moretus, Florista, Aurora; item *Dialogi Pauli Niauis, Idioma Laur. Corvini, Hieron. Paduani & Mancini Dominici Carmina*, plurimaque Germaniæ subsellia tum occupantia, obscura maxime hodie, nomina alia: quorum indices Hamelmannus & Erasmus in suis monimentis dederunt; & quæ Ciceroni, Quintiliano & reliquis optimis scriptoribus prælata esse ab sæculo isto, pluribus nos edocent: nam iuuentutem sermonis in monachorum culinis nati fecem perdiscere volebant sæculi eius magistri; vt delirantes scilicet ac misere balbutientes scriptores intelligerentur. quapropter bonorum auctorum loco *modi significandi*, & id genus *glossemata*, non minus stolida, quam prolixa, eidem Germaniæ iuuentuti tradebantur (o). Cui si omnino *veterum monimenta* offerebantur a magistris; *miris & ineptis plane commentariis obscurata* ei obtrudebantur: quales commentarios hos esse, ipsi statim tituli quasi spondebant. Eiusmodi erant *Virgilii Bucolica cum Commento familiarissimo, Parisiis elucubrato*, & *Dauentriæ* CIↃ CCCC XCIV impresso: atque *Catho cum glosa & moralisatione, Coloniæ* eodem anno apud *Henr. Quentell* typis exscriptus. Quem postremum Commentarium satis ineptum esse,

(o) Erasmus de conscrib. epist. p. m. 10, 11 & 38.

esse, vel ipsum procemium declarat : quod integrum addendum putaui, vt sæculi istius genius dicendique genus quodammodo eluceat (*): *Summi deus largitor premii. via con-*

(*) Ipsum hoc procemium ita comparatum mihi videtur, vt vel solum Mich. Neandri luculentissimis verbis, quæ pag. 73 seq. eruditæ præfationis in Erotemata Gr. L. profert, fidem facere queat: *Dum præter* Sententiarios, Lombardistas, Occistas Scotistas, Summistas, Sermonistas, Thomistas, Scholasticos doctores : *ac qui horum sectatores erant*, Marialia *etiam, seu potius* Morialia, *quod essent ea idolomania ac cæca stultitia plena*, rosaria Sathanalia & Diabolaria mera [*vt Lutherus infremens spiritu loquitur*] *non scriptorum aliud genus habebant in manibus, in quibus exercebantur, seu excarnificabantur potius, in scholis ac monasteriis quotidie: pereunt interea monimenta veterum Hebræa, Græca ac Latina, non numero vllo comprehendenda : ab ipsis ideo neglecta, quod assuefacti ad genus dicendi monstrosum, ac ipso sono formidabile & obscurum, vbi mugitum citius infernalem, quam vocem hominis audire tibi videaris : cum quo res etiam bonæ corrumpebantur, vt solet fieri mutato dicendi genere, [dum noue loqui incipimus in ecclesia, ac doctrinam Patrum, Prophetarum, Christi, Apostolorum, ac piorum & orthodoxorum interpretum vitiamus] meliores auctores ac vtiliora scripta nec legerent, nec intelligerent, vt non male quis de monachis illis stupidis vsurpet, quod Gellius de suæ ætatis hominibus prodit, vbi ait :* Quia sæculum nostrum ab Ennio & omni bibliotheca veteri desciuit, multa ignoramus : quæ non laterent, si veterum lectio nobis esset familiaris.

constans. fons refrigerii terre vices obtemperans a quo stillationis gre plenitudo sitienti mihi doctrine pocula salutaris domū cōferat gre. vt stilus meus elatatus corpore desidia denigratus. ociorūq; rubidine excellentissimis efficacissimisq; doctrine dotibꝰ acuatur. & vt sensus meus interior excecatus erroris nebulo & cecitatis perfossus cuspide elimante lugubri pncipe tenebrarum luminoso fulgure diuine pneumatis misericorditer illustrentz. Ob hoc fratres charissimi deprecemur omnes vnanimes summum fontem misericordie. vt insulsus nrm cordium infundat rorē carismatis vt spus nr inclusus ossibꝰ carnis pondere ad summorū bonor. eleuetur noticiā. & cor nrm velatum fantasmatibꝰ lintheo carnis exutus summū bonū intelligat. intelligendo diligat. diligendo possideat. & sic mundificetur a viciis, sanctificetur a dno. & p opationes corpis memorias adipiscatur eternitatis gliam situatus irreuocabiliter inter cōciues sctos ecclesiæ triumphantis vbi sedet vnica trinitas maiestatis in solio suauiter. disponens diuina cele-

celestia siue terrestria. vidēs eternitatis in speculo cuncta ̄pterita. ̄psentia & futura. quod nobis tribuat plasmator omnium cuius regnū est permanens sine fine. Ex hoc proœmio, quod mihi ita obscurum videtur, vt noua glossa nouaque moralisatione indigeat, diiudicare quis poterit, quali fuerint ingenio, eloquentia ac eruditione homines, cum quibus Agricolæ, Reuchlino, Buschio, horumque in vindicando Romani sermonis nitore sociis res fuit. homines erant, vt Erasmus eos describit, qui falsa persuasione doctrinæ turgidi, magna confidentia stultitiam suam perdocebant: illiteratiores, quam vt alios docere potuissent: elatiores, quam vt ab aliis doceri se passi fuissent (p). De scriptis. quæ sophistæ procuderunt, generatim dici potest, quod R. Agricola de *Rhetoricis* nouiter tum conditis, & in eadem vrbe, qua Catonem impressum adfirmaui, exscriptis, iudicauit (q): *Magnum sane & loquax volumen, vt deprehendere ex annotatione capitum totius operis potui: sed quod male de summa rei sentire cogit, est: quod is, quisquis demum ista scripsit; videtur mihi forte copiosius de arte potuisse dicere, quam ex arte. Erant enim ea, quæ vidi, horrida, & (quid aliud dicam)*

T

(p) de conscrib. epist. p. m. 20.
(q) Epist. ad Ant. Liber. Lucubrat. pag. 177.

cam) barbara, & scholarum nostratium sordes redolentia. Contingat tamen illi fortasse, quod fere stultis solet: vt & suam turbam inueniat, & aliis errorem suum allinat. Habent enim vel praecipuum hoc malum deteriora, quod non intra auctores suos subsistunt: nec fere quicquam tam peruerse fit: cui non modo patronus, sed etiam sectator non sit paratus.

Alexandro certe, vt eo, vnde diuerti, redeam, non modo patroni, sed ingentes etiam sectatorum exstitere per aliquot sæcula cateruæ: quibus errores alleuit suos. Quum prima rudimenta quam citissime perdiscere oporteat iuuentutem, hæc diutissime circa Alexandri tricas occupata, non modo tempus, rem pretiosissimam, perdidit, sed, prout prælegebantur istæ in scholis (r), horrore quodam barbarieque est imbuta, vt postea & serius & difficilius meliora perceperit. Hinc etiam euenit, vt Germania meliora docentibus tamdiu repugnarit: quum nempe pædagogos tam acriter pro Alexandro suo propugnare conspexisset iuuentus. Cuius Doctrinale etsi iure ingeniorum carnificina nominari potuerat: tantum tamen abfuit, vt *Herm. Torrentinus*, doctissimus Hegii discipulus, integrum illud explodere ausus sit, elegantiæ hostium impetum veritus, vt obscu-

ros

(r) Agricola c. l. p. 188.

ros dumtaxat, falsos, redundantes, & inutiles plane eius versus emendare susceperit: idque parce admodum ac caute. Crabrones tamen vel hac opera sua ita incitasse bonum Torrentinum legimus, vt misere ea a scholasticis dilacerata, *apologia* defendere sese necesse habuerit (s).

(s) quæ eius in primam partem Doctrinalis Alexandri Commentariis subiecta est, ita inscriptis: *Hermanni Torrentini inter Grammaticos nostræ tempestatis viri litteratissimi Commentaria pulcherrima in primam partem Doctrinalis Alexandri cum accuratissima vocabulorum interpretatione quibusdam mendosis superuacaneis & obscuris versibus vel reiectis vel in veriores & planiores mutatis. Continentur hic permulta scitu dignissima, quæ nullis aliis habentur glossematis. Sunt autem hæc commentaria tertio castigata diligenterque ab ipso auctore recognita, additis in margine terminationibus cunctisque vocabulis & notis arithmeticis in singulas paginas vt facilius inueniantur quæcunque vocabula. est præterea perfectior & plenior vocabulorum index vel tabula, nihil penitus prætermittens sed facillime desideratum ostendens. Item in obtrectatores eiusdem Apologia: & Epigrammata duo.* Quum *Apologia* elegans admodum sit, quæ Commentariis meis multum lucis præbere queat, integram adiicere constitui, præsertim quum satis nouerim, Torrentinum in paucissimorum esse manibus. *Hermannus Torrentinus religioso doctoque viro domino Ioanni Torrentino Canonicor. Præmonstratens. in Harlemo prouinciæ Hollandiæ Præposito, fratri suo salutem plurimam dicit. Audio, mi frater, nonnullos eorum,*

At quod Hegius, Wimphelingius, Torrentinus, Murmellius, & reliqui, qui ad exstirpandam barbariem conspirarunt, tantopere expetierunt, insulsorum autem hominum pertinacia impediti efficerę non valuerunt,

qui sibi scientiam vendicant, vitio mibi vertere, grauiterque culpare, quod in his elucubrationibus aliquot Alexandri versus vel vt mendosos obscurosue correximus, vel vt superuacuos inutilesque sustulimus. Tantum namque & tot saeculis approbatum grammaticum temerari discerpique non oportuisse, contendunt. Huic igitur calumniae paucis respondere necessarium duxi, ne tacendo videar crimen agnoscere, sicque demum labor noster irritus pereat. Quicunque igitur hanc nostram in Alexandro emendando carpit industriam [libere scribam, quod sentio] aut illiteratus est, & grammaticae prorsus ignarus, aut certe inuidentiae morbo deprauatus insanit. Quis enim vel mediocriter litteratus ignorat, quot mendosi, quot obscuri inutiles versus fuerint in Alexandro quod & Sulpitius Verulanus, *&* Aldus Manutius Romanus *aliique viri doctissimi perhibent: quorum opera effectum est, vt Alexandri Doctrinale, quod vocant, Italiae scholis explosum sit. Quod ipsum quoniam nostris in regionibus factu difficile ac pene impossibile videtur, doctorum hominum hortatu inuidiosam banc & sane laboriosam hanc suscepi prouinciam; vt huius primae partis mendosa quaeque corrigerem, opaca illustrarem, & redundantia amputarem, praeceptoribus simul & auditoribus consulens. Ipsi namque olim pueri non sine malo nostro experti sumus, quantus labor sit Alexandrum ediscere, & ad vnguem intelligere; quod plerique intra*

runt, Herm. Buschius demum perfecisse recte putatur, antecessorum tamen istorum laboribus quam maxime adiutus: horum enim viribus barbaries vehementer labefactata impetum sustinere amplius non poterat. Co-

septennium vix possunt. Quando namque pueri capient hos versus: Credo gradus summos collatis connumerandos. Si gradibus fiat collatio &c. *Item istos:* Primitialis erit vox in qua dicitur esse. *Et istos:* Personas dabit imperium primas in vtroque &c. *qui laboriose discuntur & parum fructus afferunt. Multaque id genus Alexandri carmina vel reieci, vel correxi: quod facile videt probatque lector intelligens. Quam igitur culpam commerui, quod pueros adolescentesque graui stultoque labore leuaui? Alexandri mendas erroresque sustuli. At dicet aliquis, laborent adolescentes, vt nos fecimus, nec otio marceant. Siccine ais, bone vir. sed hæc verba tua detestandam præ se ferunt inuidentiam, quum indigneris, & ægre feras ephebos nunc facilius & melius instituí, quam tu sis institutus. Quid hoc aliud est, quam si doleas, alios illac carpento vehi, qua tu pedibus iter fecisti. Summa profecto dementia atque peruersitas est, alienæ felicitati inuidere & aliorum commodis grauiter angi. Verum hoc pacto confutatus aduersarius alteram profert calumniam. Si, inquit, Alexander erroneus fuit, cur maiores nostri, viri vtique perdocti, eum non emendarunt? Facilis est ad hæc obiecta responsio. Sed vtinam inuidia careat veritas libere prolata. Erat apud maiores nostros mira bonorum librorum penuria: humanitatis artes cum libris perierant: erant docti quam plurimi, litterati vero perpauci. Doce-*

lonia quidem diutisſime perfugium ei præbuiſſe videtur; nam licet *Herm. Nuenarius* cum primis eam ibi antea oppugnauiſſet, quam Buſchius eo venit. hic tamen ſophiſtarum ſolœciſmis & turbine ita agitatus iſtic

eſt,

bant enim ea tempeſtate præceptores meram barbariem: vt Ebrardum Cornutum, Modos ſignificandi, *& eiusmodi quibus ſolæ continentur ineptiæ, diſcipulosque ſtultiores reddunt, quam acceperunt. Quis igitur illo tempore Alexandri huius errata corrigeret, immo quis intelligeret aut etiam animaduerteret? Nunc autem Deo propitio humanitatis artes reuixerunt: elegantium librorum permagna adeſt copia, vt non oporteat nunc barbariem legere, non oporteat in Alexandri labyrintho apud Minotaurum includi hoc eſt friuola diſcere & numquam perdiſcere. Legendi ſunt, [vt Aeneas Syluius ait] oratores, hiſtorici, poetæ non in pudici, ſine quibus nemo litteratus euadet. nemo ſacras litteras funditus intelliget. Verum opus eſt prius grammaticæ fundamenta locare: id quod per Alexandrum a nobis caſtigatum & interpretatum iam facile futurum ſpero. Nullus igitur Alexandrinum hunc, quem dixi, labyrinthum vereatur ingredi, quem Theſei exemplo peruium reddidi, & latitantem in eo Minotaurum iuuenesque deuorantem, necaui. Sed hæc haſtenus. Sunt quoque, quibus diſplicet, quod in exponendis vocabulis, aut pro dictorum confirmatione poeticos verſus attulerim, putantque, ſatius fuiſſe, ſi verſiculos ineptos & plane barbaros, quos ſolos ipſi nouerunt, allegaſſem. Sed hi Zoili cum inſcitia ſua contemnendi ſunt: quum ignorent, omnibus grammaticis id moris eſſe. Nam ſi Priſcianum, ſi Seruium non viderunt, ſaltem Donatum & Alexandrum meminiſſe*

eſt, vt academiam relinquere demum ſit coactus: quæ ſupra laudatum *Aeſticampianum*, *Bartholomæum Colonienſem*, *Io. Cæſarium*, & alios complures eruditisſimos viros, propterea eiecit, quod Buſchio adſtipulati obſole-

debebant quorum alter de præpoſitionibus ſcribens quinque Virgilii Carmina pro teſtimoniis aſſumpſit. alter de conſtructionibus agens multos Oui. ii verſus appoſuit. Verum cur non liceat poeticis vti verſibus in grammaticis? quum his etiam liceat vti in ſacris litteris: vt non ſolum videre eſt apud Hieronymum & Auguſtinum, ſed etiam apud Apoſtolum Paulum, qui ſaltem tribus epiſtolarum ſuarum locis poetarum verſibus vſurpatur: vt merito pudere debeat vaniloquentiæ ſuæ quosdam nugatores, qui nefas exiſtimant poetas voluere. Sed de hoc alias plura ſcribemus, ſi fata ſinent. Hæc in obtrectatores noſtros abunde dicta ſint: quibus ſi quid rationis ineſt, manifeſtæ veritati tandem cedent. ſin autem bruti ſunt. inanis fuerit apud eos omnis quantumuis prolixa ratiocinatio. Tu velim, mi germane chariſſime, noſtris opuſculis accurate patrocineris vt aſſoles, nosque mutuo diligas. Hactenus Torrentini Apologia. Ad duo *Epigrammata*, quorum in libri titulo mentio facta eſt, quod attinet, alterius auctor eſt *Bartholomeus Colonienſis*, alterius, eiusque elegantisſimi, ipſe *Torrentinus*: hoc quum dignisſimum diiudicem, quod ab omnibus legatur, apponam.

Zoile quid noſtros rabido petis ore labores,
Et ſtolide damnas. quæ minus ipſe capis?
Non mihi noxia ſunt tua ſibila ſed tibi: nempe
Stultititiam prodis, barbariemque tuam.

tam sordidamque reprehenderant scholasticorum dictionem, & obscuris atque barbaris vocabulis repudiatis, Latina restituere erant conati. id quod *Andreas Canter*, eruditus vir, ibi etiam tentauerat. Sed tamen, quum Buschius ab laudato Herm. Nuenario Coloniam reuocatus esset, Alexandri Doctrinale denuo adortus, non prius cessauit, quam id penitus exstirparit; limatissimis scriptis suis, praesertim eo, quod *Vallum humanitatis* inscripsit, & suo *in Donatum Commentario*, operose maxime demonstrans (f), tantum abesse, vt informis Alexandri textus incorruptum Romanum sermonem praeberet discenti-

Nos Phoebea cohors laudat. studio aque pubes
Nos legit; inuidia, rumpere liuor iners.
Rumpere liuor iners: discunt aetate minores,
Quod senior nescis: rumpere liuor iners.

Commentaria, quibus Epigramma hoc, atque Apologia subiuncta, impressa sunt *Coloniae* per *Martinum de Werdena* a. 1508. 4. & quibus in meo, quod habeo, exemplo, addita sunt *Commentaria in secundam partem Doctrinalis Alexandri ab eruditissimo viro Kempone Thessaliensi Hollandiae magistro bonarum artium Parrhisiensi pro anhelantibus Syntaxin, potissimam grammaticae spem, luculenter intelligere iam dudum in lucem edita. Coloniae* ap. eundum impr. a. 1509.

(f) Buschii scriptorum Catalogum dedit Hamelman. in lib. III de viris in Westphalia illustr. Oper. pag. 166 seq. & in eius vita.

ſcentibus, vt aridus pumex aquam citius daturus videretur poſtulantibus. At Colonienſes ſophiſtæ, de vindicta porro asſidue cogitantes, rem eo perduxerunt, vt Buſchius, tam præclare de cuncta Germania meritus, iterum Colonia relegaretur; quum vidiſſent, eum *Reuchlino* eſſe amicisſimum, famæque ipſius acerrimum defenſorem. Buſchium nihilominus perpetuo, ſi quemquam alium, R. Agricolæ conſilium fidelisſime ſecutum, nouimus, quo cognato ipſius, R. Langio, dudum ſuaſerat, vt, quamuis magna eſſet indoctorum manus, eam tamen auderet contemnere, nec multitudine moueri ſe pateretur: quum ipſa plerumque turba ſibi obſtaret; & raro inter ſe conſentirent, quibus non conueniat cum veritate. quare prouocandos putauit Agricola litterarum hoſtes, & in faciem coarguendos: quos ne tunc quidem in viam facile redituros, ac deſipere deſtituros, verisſime prædixit: id enim Reuchlinus & Buſchius ſatis deinceps expertos eſſe, cognouimus.

Quæ admirabili Buſchii in oppugnando conſtantia effectum denique eſt, vt, barbarie ex vrbe Colonia fugata, in cuncta Germania mox ſit oppreſſa firmisſimis *Deſ. Eraſmi*, & *Vlr. Hutteni* armis, quibus *Phil. Melanchthon* ſua deinceps conſociauit. Prius vero quam

hic summa sua eruditione inclaruit, *Alexandri Doctrinale ex Germaniae scholis penitus* iam erat *eiectum*, *Circa annum* scilicet CIↃ IↃ VI, quum cultiores grammatici libri ederentur pasſim in Germania, Alexandri grammaticam, quae sola fere per tria integra saecula in monasticis scholis dominata fuerat, euanescere demum coepisse, M. Crusius adnotauit (sſ). Grammaticorum enim sordes *Reuchlini*, *Wimphelingii*, *Bebelii*, *Simleri* reliquorumque diligentisſimorum magistrorum *discipuli*, postquam optimum optimi Hegii discipulum, Buschium, non infeliciter, licet periculosa satis contentione, id tentasse viderant, coniunctis viribus vbique expurgatum iuerunt. Litterarum studia, viginti quatuor circiter annorum spatio, non parum nitida quidem in superiori Germania fieri iam coeperant: ab anno videlicet XV saeculi octogesimo secundo, quo R. Agricola Heidelbergae scholas aperuit, ad annum saeculi XVI a Crusio notatum. quod temporis spatium quo breuius pro operis mole videri potest, eo ardentius hominum studium, eoque maiorem inter litterarum studiosos aemulationem exstitisse, coniicere licet. Romani tamen sermonis nitori, ita, vt par erat, consuli prius haud potuerat, quam fontis, ex quo omnis

(sſ) Annal. Sueu. P. III, lib. IX, c. 14, p. 528.

omnis impuritas adhuc fluxerat, venæ essent intercisæ; & iuuentuti, vt ex dulciore fonte hauriret, contigisset, turbidos maxime riuulos non amplius consectanti. Inter illos, qui Alexandro exploso in superiore Germania grammaticas edere cœperunt, sunt *Io. Alexander Brasſicanus*, *Tubingensis Pædotriba*, vt a Crusio appellatur, & *Iacobus Heinrichmannus*, vterque *Bebelii discipulus*. Quorum grammaticas institutiones, quum ob præceptorum multitudinem atque molem ad tironum captum minus accommodatæ quibusdam viderentur, non ita multo post loco motas, infra audiemus (t). Istorum tamen

(t) vid. Casp. Crucigeri Orat. de *Initiis, progresſione, & incrementis doctrinæ eruditæ in Academia Lipſienſi & Wittebergenſi* T. V. Declam. Melanchth p. 375, seqq pag. 383. scribit: *In grammaticæ tractatu conformando ad aliquem vſum sermonis, & scripta veterum intelligenda, haud scio an nemo noſtrorum quidem hominum prius aliquid magnopere adiumenti attulerit litterarum ſtudioſis, quam* Bebelius *&* Henrichmanus. nonnullis de Bebelio interpositis, pergit: *Hic* (Henrichmanus) *ante annos LV edita precepta ab ipſo grammaticæ in pretio fuerunt, propterea quod ordine perſpicuo tradi omnia cernebantur, & addebatur exemplorum illuſtris copia. Audiui ex patre meo, optimum virum & fideliſſimum præceptorem [quo ipſe quoque vteretur] illis temporibus* Georgium Heltum *noſtræ academiæ non ignotum, ſuis diſcipulis eum librum propoſuiſſe, ita, vt ediſcere cogeret hos verboſas ſane commentationis*

men aliorumque ope factum denique est, vt *Alexandri Doctrinale* tanti antea æstimatum, & tam acriter a sordium patronis defensum, ita posthac viluerit, vt *centum iam abhinc annis raro* libri exemplum *conspectum* sit (tt).

In eodem Doctrinali exterminando a *Io. Auentino*, celeberrimo præstantissimoque historico, multa & studiis elegantioribus vtilis valde opera collata est. Hic enim ex veteribus scriptoribus, ipsis adeo fontibus, grammaticam edidit hoc insignitam titulo: *Illus. Principibus Vilelmio, Litauico, Arionisto, Literariæque Reipublicæ Boiorum dedicatum. Rudimenta grammaticæ de octo partibus orationis & constructione, Græcorum declinatione seorsum. de Figuris, Quantitate syllabarum, Accentu, de Distinctionibus, Pedibus, Carminibus, Ex Varrone, Cicerone, Quintil. Diome. Phoca. Aelio Donato: Seruio: Prisciano: Terentiano: Martiano Capella, collecta. Cæteris quoque clarissimis scriptoribus lectitandis obseruata. Encyclopedia orbisque doctrinarum in calce. Ioannes Auentinus Thurinomarus*

accuratæ expositiones: atque multis fuisse id perquam molestum ac graue. Vixit adhuc tum Henrichmanus Augustæ Vindel. quum hæc de ipso scripsit Cruciger, centum circiter annos natus

(tt) Abr. Bucholzer Ind. Chronol. p. m. 349, ad an. 1212.

marus edidit atque recognouit. Studiosæ grammaticæ

Si vis grammaticam facile vel discere paucis,
Vtiliore nequis ac breuiore libro.
Non cupio vanis, lector, te fallere verbis:
Luminibus credas sed, studiose, tuis.

Conscripserat libellum hunc Auentinus, quum ex academia Ingolstadiensi ad instituendum principem *Ernestum*, siue *Arionistum*, vt ab ipso Auentino appellatur, euocatus esset: quem deinde Ingolstadiensium professorum rogatu recognitum & sic locupletatum emisit (u), vt nemo de breuitate & redundantia iure queri posse ipsi videretur: postquam in præfatione *Vallam* ita ab se suppletum, vt nihil amplius, quod ad rationem recte loquendi scribendique pertineret, desiderari posset, pollicitus est, *quinque leges docendi*,

(u) Augustæ an. 1517, 4, in *officina Milleraniana* impr. In epistola ad lectorem Rudimentis subiuncta queritur Auentinus, Rudimenta hæc sua, quæ quinque annis ante ad facilius instituendum principem *Monachii* ediderit, iam tum toties ex officinis prodiisse, elegantioribus quidem formis; at mire ab archetypo aberratum esse: quapropter contendit ab lectore, vt cetera exemplaria, tamquam fœtum adulterinum subditiciumque, abdicet: istam vero recognitam editionem, tamquam legitimum heredem, cognoscat.

cendi, quas se ipsum expertum esse testatur, *instituendis pueris quam facillimas*, præmisit. Quæ profecto salutares maxime sunt atque necessariæ. Quum cognitio Latinæ linguæ obseruatio dumtaxat sit, atque clarissimorum auctorum imitatio, prudentissime Auentinus præter cetera suasit, *vt ad bonos auctores effingendos totis viribus, manibus pedibusque properetur.* Proinde Erasmum & R. Agricolam eam institutionem vtilissimam duxisse, confirmat, vbi grammaticæ præcepta quam breuissime traderentur (v).

Quo vero minus sæculum suum in re litteraria felix putare potuerit Auentinus, *odiosa grammaticorum* quorumdam *adminicula* prohibuisse, *vmbratilesque eorumdem præceptiunculas*, adfirmat. quibus ipsi sæculo suo nondum carere plane licuisse, vehementer doluit; quum parum, vel nihil potius, iis pro-

(v) Erasmus suam ea de re opinionem aperte maxime exposuit Ep. 26, lib. XII. his verbis: *Ego nec hos probo, qui neglectis in totum præceptionibus, ex auctoribus petunt loquendi rationem: nec hos, qui præceptis addicti, non versantur in voluendis auctoribus. Præcepta volo esse pauca, sed optima: quod reliquum est, arbitror, petendum ex optimis quibusque scriptoribus, aut ex eorum colloquio, qui sic loquuntur, vt illi scripserunt. Hæc via si cui non placet, non video, quid supersit, nisi vt ad magicas & polygraphias ridiculas confugiamus: quas non videmus adhuc cuiquam vsui fuisse.*

profectum sit in erudienda iuuentute, velut nugamentis, quibus excutiendis tempus misere perdi soleat. Nullo enim iudicio, nec diligenti cura, sed imprudenter ac temere maxime, quæcunque de grammatica re vulgo extabant, legenda atque ediscenda iuuentuti adhuc proponebant nonnulli ludimagistri; haud magni referre existimantes, qualia ista essent, modo *grammatica* vocarentur, quibus principia ceteris artibus vtcunque præstruerent. Vnde factum, conqueritur eruditissimus *Melch. Volmarius* (x), vt vix multorum annorum spatio, magna contentione, vigilanti studio atque labore emergere potuerit Germaniæ iuuentus: quum ex aduerso paullo post nulla iniqua opera, immo per lusum quemdam ac somnum, & quasi dormiendo, eo doctrinæ peruenerit; idque intra paucos admodum menses, quo sibi puero aut adolescenti ceterisque suis æqualibus compluribus annis ægre adspirare licuerit. *Peritos* enim *recte instituendæ pubis* vbique se obtulisse, addit Volmarius, *artifices*, id vnice operam dantes, & certatim pro se quisque contendentes, vt teneri animi nonnisi optimis vtriusque linguæ principiis initiati, præcisa prorsus omni ambage, compendiaria via, quam

(x) ap. Henr. Stephan. de bene instituendis Gr. linguæ studiis, p. 38 seq.

quam celerrime eo, quo tendebant, peruenirent. Eximio hoc & singulari studio accidisse, certissimum testem habemus Erasmum (y), *vt iuuenes præcurrerint senes, & minores eo profecerint, vt his, quos præceptores habuerant, ipsi vicissim potuerint præcipere.*

Peritis istiusmodi artificibus, quorum opera tantum bonum contigit Germaniæ, *Auentinum* adnumerandum, puto. Docendi saltem legibus istis quam maxime vrgebat, ne præceptores in grammaticis diu hærerent, sed ad ipsos auctores, clarissimos dulcissimosque fontes, festinarent. *Vrbanus Regius* quoque salutarium præceptionum plenissima epistola, ad ipsum Auentinum scripta (z), huius industriam & propensam bene faciendi voluntatem mirum in modum extulit, quod iuuenum passim errantium misertus veram iis monstrauerit semitam. Namque multorum annorum periculo plusquam durissimo, quod in docendis pueris *expurgandaue linguæ vitiligine* non sine pulcro discipulorum fructu fecerit, constitisse sibi, & prope quotidianis molestiis occalescentem se demum didicisse, confirmat Regius, *necessaria quidem esse*

(y) ep. ad Pirckheimer. huius familiar. epist. lib. ep. 46, b.

(z) Auentini Rudimentis Gram. est subiecta.

esse grammatica præcepta, ea tamen, quoad fieri possit, quam paucissima esse debere, modo sint optima; & quo pauciora, eo facilius ociusque bonam indolem ad eloquentium auctorum lectionem componi eruditissimam. Et hoc ipsum est, quod *Auentinus* quinque istis suis docendi legibus tam diligenter scholarum moderatoribus iniunxit. Qui egregium plane *institutionis* suæ *dedit specimen*, *in* supra laudato *Boiariæ duce Ernesto:* quem Auentino præeunte sine onerosis laboribus & in aulæ deliciis breui grammaticam perdidicisse, idem Regius testatur: id quod totam Angilostadensem academiam tum vidisse, scribit, quum Princeps hic, annis quidem puer, eruditione autem veteranus luculenta, & supra ætatis istius captum graui oratione, quem Auentini ductu in re Latina profectum fecerit, ostendisset. Cuius Principis exemplum vt Germaniæ iuuentus ante oculos sibi tum posuisset, exoptauerat Regius. Quum idem hic Princeps Ernestus *Auentini fidei* ac dexteritati in instituendo ipso adhibitæ præclarum impertiuerit *testimonium;* & Rudimenta eius grammaticæ, in quorum fine testimonium illud cum posteritate communicatum legimus, in paucis oppido bibliothecis inueniantur: si id adscripsero, me lectori non ingratum facturum, spero, siquidem

 dem

dem argumentum, quod pertracto, egregie illustrat. *Arionistus Dux Boiorum. Praefectusque Rheni iuuentuti Boiariae, praeceptoribusque sinceros ad honestas litteras animos optat. Quoniam neminem magis decet curam habere, quam Principem, vt iuuentus ipsa recte instituatur. Ego vos iuuenes atque ludi litterarii magistros, praecipue regionis nostrae Boiariae, hortor, admoneo, atque a vobis postulo, vt Grammaticam Ioannis Auentini, praeceptoris nostri fidelissimi, legatis ac doceatis, est enim facillima, breuissima, & vtilissima omnium, nihilque sua breuitate, quod dignum scitu esset in hac re, omisit. Audiui ego Nicolaum Perotum, pontificem Sypontinum, Aldum Manutium Romanum, sed ex nulla tam facile & breuiter & absque omni verbere, adde & in aulicis turbis, vbi tantum est litterarum odium, didici ea, quae spectant ad recte loquendi scientiam, quemadmodum ex Auentino: profectum illius bonae institutionis, quamuis alias saepe, nuper tamen optime expertus sum, quando oratione publice in nostro gymnasio Angilostadensi habita, summo in nostra republica litteraria magistratu me abdicabam, vt consuetudo fert, eam orationem in testimonium vtilissimae eruditionis nostrae subscribi iussimus. Aequum est te imitari Principem tuum, & vnde ipse profecit, crede, & te ibi non me-*

mediocriter posse proficere, dignumque esse, vbi & tu intendas neruos tuos. Accedit iudicio nostro consensus philosophorum totius Academiæ nostræ Angilostadensis, qui illam Auentini mei grammaticam ex omnibus dignam iudicarunt, quam publice legerent. Proinde tu, studiosa Boiariæ iuuentus; atque vos, Præceptores diligentes, experto credite, atque præter ceteras Grammaticam Auentini legite, euoluite, discite, sentietis breui commodum, & rem facietis nobis iucundissimam, quam suo tempore liberalitate & munificentia nostra prosequemur. Valete.

Postquam optimus Princeps in ipsa oratione sua (a) imperatores, regesque apud quos litteræ & litterati in pretio fuerunt, strictim enarrauit, & quantis in deliciis Græci ac Romani principes eruditos olim habuerint, summatim commemorauit: de sua ætate ita loquitur. *Nouistis probe, quemadmodum Albertus diuæ memoriæ Parens meus, litterarum amantissimus fuerit, cui Nicolaus Cusanus, vir vndecunque doctissimus dialogum de globo nominatim inscripsit. Notissimum est, quantum in litteris, peritiaque multarum linguarum valeat diuus Maximilianus Imperator Cæsar Augustus, auunculus ac dominus meus cle-*

(a) quæ Epistolam continuo sequitur in Rudiment. Gram.

clementisſimus. Progenitorumque itaque meorum veſtigia ſecutus a teneris (vt aiunt) vnguiculis, ſtudia Muſasque colui: diſcendi cupidus in Italiam, litterarum parentem, abiui. deinde ad hanc noſtram Academiam demigraui, cuius moderatorem me communibus ſuffragiis deſignaſtis, declaraſtis atque nuncupaſtis. Quamobrem bene ſperare vobis licet, optimi patres Gymnaſii noſtri ſenatores: non me alium parente meo præſtabo, ſed quantum mea intereſt, ſumma ſemper curabo diligentia, & apud fratres germanos id ipſum ſedulo agam, vt hoc almum Gymnaſium, largis locupletetur donationibus, amplisſimis dotetur priuilegiis, omnigenis artium floreat doctoribus, vosque condigna laborum, ſtudiorum ac eruditionis veſtræ ſtipendia, palmam, præmia, ac gloriam conſequamini. Ceterum te (o iuuenum ſtudia æmulantium cœtus) adhortamur, admonemus, a teque iure noſtro & pro officio poſtulamus, principes imiteris, ſtudia colas, litteras amplectaris. Ita enim tibi diuitias, honorem, amicos, famam perpetuam ac immortalem comparabis, remque nobis facies gratisſimam, & ob hoc, quum vſus venerit, fauorem noſtrum ac liberalitatem reipſa ſenties atque experieris.

Grauisſimorum teſtimoniorum loco, & Epiſtolam & Orationis partem, protuli; quo faci-

facilius pateret, quo animo in Musas fuerint tum Germaniæ Principes, Latinam linguam singulari amore prosecuti. Neque vero Boiariæ iuuentus hisce optimi Principis sui admonitionibus imperatisque paruisse non videtur: acerrimum saltem discendi præ se tulit ardorem. quandoquidem quatuor circiter annis post, quam orationem suam habuerat Dux Ernestus, *Reuchlinus* in ipsa hac Angilostadensi academia *Aristophanis Plutum interpretans trecentos amplius discipulos numerauit* (b). Inhumana ac ingrata maxime

 videri

(b) ipse Reuchlinus in epistola ad Pirckheimerum, quæ XIII est epist. huius familiar. lib. scribit: *Quando me nunc anno isto elementarium effecit* δέσποινα τύχη. *Quotidie namque de Throno doctorum, frequenti auditorio publice prælegendus est a me in lingua Hebraica, mane,* Rabi Mose Kimchi, *& vesperi* Plutus Aristophanis, *discipulis plus trecentis: & multo inquam plus.* in ep. XVI ad eumdem Pirckheimerum scripta, sequentia leguntur verba, quæ eodem spectant: *Hodie mecum ex commissione Illustriss. Principis D. Wilhelmi Ducis Bauariæ actum & peractum, vt Anglopoli & Græca doceam & Hebraica. Annuum mihi constitutum est stipendium ducendorum aureorum. Quumque huius nostræ calamitatis intemperies me huc adegit, vt ad tempus oporteat extra patriam viuere, acceptaui conditionem, ne nihil agerem. Persuasus etiam a Ducalibus Commissariis, vt singularem Principis erga me clementiam nonnihili facerem: qui & me in bello captum seruauit, & omnia mea bona cum tota*

videri potuisset iuuentus, si tam illustri optimi Principis exemplo excitari se passa non esset. quem Erasmus cunctæ Germaniæ magnopere gratulatus est, &, vt ipsius quam plurimi similes reperti tum fuissent, qui ad eas res, quæ semper egregiis heroibus dignæ sunt habitæ, adiecissent animum, optauit. qui se plurimum Ernesto Duci debere professus est, vel quod tam amanter errauerit in Erasmo, vel quod tam munifice eum prouocarit, & ad illa incitarit, quæ studiis omnibus fuerant ambienda.

Quoniam rerum series ad magni ERASMI mentionem denuo iniiciendam me adduxit; *Alex. Hegii scholæ*, ex qua tantum virum progressum audiuimus, denuo recordor: vnde in superiorem Germaniam iterum deflexi. Quod si Germania Hegii sui disciplinæ nihil præter Erasmi eruditionem deberet: debet autem ei, vti vidimus, præter hanc quamplurimos eruditissimos, optimeque meritos viros alios: in perpetuum tamen Hegius opera, quam in solo Erasmo instituendo collocauit,

familia sub colore prædæ bellicæ confiscata liberauit, belli summus Imperator. Ad Kalendas igitur proximas Deo adiuuante linguas docere incipiam. Quod futurum felix fiat. Tu vale feliciter: & me Principem Siciliæ Dionysium Corinthi puerilia docentem spectato. Vtraque epistola scripta est an. 1520. Ducem *Wilhelmum Ernesti fratrem* fuisse, constat.

uit, Germaniam ſibi deuinxiſſet. Tantum enim omnes Germaniæ ſcholæ huic vltro acceptum referunt, vt *vnicum fere litterarum inter Germanos venerentur eum inſtauratorem.* Immo Cutbertus Tonſtallus *Eraſmum* & *Guil. Budæum* plus ad veterem eloquentiam multis antiquatam ſæculis reuocandam, plus ad inſtaurandas humaniores litteras contuliſſe, exiſtimauit, quam omnes *Perotti, Laurentii (Vallæ), Hermolai, Politiani*, ceterique omnes, qui ante ipſos fuerint. Hos enim ambos Herculeo quodam & indefeſſo labore denſisſimas barbarorum acies, & Xerxis copiis maiores, magno adortos eſſe animo, easque fudiſſe, ac pene profligaſſe (c). Io. Caſelius etiam Eraſmi potisſimum auſpicio & opera elegantiores litteras in Germania feliciter ſiue renatas, ſiue primum ſatas eſſe, prædicauit (d): quum ſcholæ pasſim tum apertæ ſint, diuino conſilio, vbi pueri litteras & linguas didicerint. Cui tanti viri honori licet nemo facile pro amplisſimis eius meritis inuiderit: ſupra tamen commemorati a me viri ſua gloria fraudandi non ſunt: vtpote quos Eraſmo viam muniuiſſe, clare ſatis ex ſuperioribus apparet; & quorum memoria, vt ſubinde renouetur, Germanorum

(c) Eraſmi epiſt. 29, lib. II.

(d) in orat. funebr. Andr. Mylio ſcript. D.1, b.

intereſſe, cenſeo: ne ea obſoleſcat, & ne Germaniæ iuuentuti domeſtica quaſi deſint vmquam exempla, quæ in ſtudiis recte tractandis imitari queat; quibusve ob oculos verſantibus ad induſtriam ſtimuletur exciteturque. *Tempora Eraſmi ætatem antecedentia* eſſe omnino, quæ *Germanorum meliora addiſcendi auiditatem accenderint*, Melanchthon rei veritate adductus, libentisſime profeſſus eſt; *R. Agricolæ, Alex. Hegii, & Herm. Buſchii in primis ſcriptis ſolœca priorum temporum taxata, & Germaniæ iuuentutem ad rectius loquendi diligentiam reuocatam eſſe*, confirmans (e). Quid, quod ipſum Eraſmum triumuiris his tantumdem tribuiſſe, ſupra cognouimus: vnde etiam, quantum laudis *Reuchlino* & *Conr. Goclenio* impertiuerit, obſcurum non eſt. Laudatisſimis iſtis anteceſſoribus debebatur, quod Eraſmi ætate, vt ipſe fatetur (f), multæ ineptiæ, Latinitati per barbara ſæcula inuectæ, iam obſoleuerant, bonis litteris ſenſim ſuboleſcentibus. Incredibili eorumdem ac ceterorum ſtudio tantum profectum erat, vt circa annum CIƆ IƆ XX nusquam in Germaniæ ſcholis audiretur amplius *Michael Modiſta*, nusquam *gloſſema Iacobi*, nusquam *Catholicon* citaretur, *Brachilogus*,

(e) Declam. de Vita Io. Bugenhag.

(f) de conſcrib. epiſt. p. 55.

gus, aut *Mammætractus*, quos olim, ceu rarum thesaurum, aureis litteris descriptos habuerant monachorum bibliothecæ (ff). *Alexandri Doctrinale* multo ante euanuisse etiam, probaui. Quamquam vero Erasmus pro singulari sua modestia, laborem in restituendis litteris hac fiducia sibi susceptum esse, negauit, quod confisus sit, præclarum aliquid se docere posse, sed aliis maiora conaturis viam munire se voluisse, adfirmauit; quo minus offensi salebris ac lamis speciosa ac sublimia facilius inueherent (g). Tanta tamen, ipsa inuidia id confitente, eius in litterarum studia exstitere merita, vt is, qui hæc, & summi viri ingenii vbertatem, doctrinæ varietatem, dicendique vim non agnouerit, indignus videatur Melch. Iunio (h), qui litteras tractet; & vt de præclaris Erasmi in has meritis tacendum mihi potius, quam multa proferenda arbitrer; præsertim quum neminem fugiat, quantopere *purioris Latinæ linguæ hostes exagitarit:* de qua re diligentissime elaborata eius monimenta abunde testantur. Quorum nonnulla tam *profunda Latinitate conscripta* visa sunt ineptis scholasticis, vt vererentur, ne legentes ista, *in hære-*

(ff) ibid. p. 72.

(g) ep. 12, lib. I.

(h) in orat. de Vita Io. Sturmii B. 7, 2.

ſin prolaberentur (i). Nam quum ſua etiamnum ætate non paucos vociferatores ſupereſſe videret, qui, quod pueri male didicerant, non ſolum ipſi mordicus tenerent, verum etiam ab aliis exigerent, nec vlla ratione ab ineptiis ſuis abduci ſe paterentur: id quod eorum, qui ab eruditisſimo *Ceratino* barbaras exegerant ineptias, exemplo ſupra a me demonſtratum eſt. in nugacisſimis iſtorum nugis illudendis multum operæ ſumpſit Eraſmus, quo apertius irriſos ſtultitiæ aliquando puderet, & quo facilius iuuenes partim veterum exemplis animati, partim meliora edocti, irriſos vna cum ambitione ipſorum contemnere conſtituerent (k). Quam ambitionem vel tum aperte maxime prodebant homines, quum moleſtisſime ferre ſe, oſtenderent, Eraſmum & reliquos Romani ſermonis vindices, vnum aliquem ſingulari numero ſalutare conſueuiſſe: perpetuo idcirco vociferabantur: *Quid tu me tuiſſas, tuiſſa famulos tuos*; *ego ſum & te & tuis omnibus melior*. Quod quum Reuchlinus ætate ſua haud ignoraſſet, *Conradum Kollin*, ordinis prædicatorum monachum, litteris compellans (l), orauit eum, ne ægre ferret, quod

(i) Eraſm. ep. 31, lib. XXII. (k) de conſcrib. epiſt. p. 55, & 64.

(l) lib. II illuſtr. viror. ad Reuchlin. q. 5, a.

quod *ad* ipsum *Latinum hominem Latino more per numerum singularem, nec*, vt ipse, *pluratiue* vicissim *scripserit*; deprecatusque simul est eius scribendi consuetudinem, vt scilicet posthac quam humanissime *singulari* se *numero* appellaret, quum aliquid ad se daret litterarum. Qua in re Reuchlini voluntati obtemperauit Kollinus; ita tamen, vt, quum ad Reuchlinum rescriberet, singularique eum compellaret numero, veniam quasi minus vrbanæ ac venustæ loquendi consuetudini petendam putarit, scribendo: TVAS (*vt* TIBI *morigerus sim*) *litteras accepi.* Enimuero ante Reuchlini tempora huiusmodi salutationibus; *Oro reuerendissimas paternitates vestras, domine præstantissime*, compellari se cupiebant homines in miris plane honorum titulis fingendis periti, impertiendisque istis liberalissimi. qualibus nonnulli se ipsos exornare veriti non sunt: quorum numero fuit *Arnoldus Tunger*, vir optimo Reuchlino infensissimus: vtpote qui *profundissimum theologum, Laurentianæque Bursæ regentem primarium* appellare se consueuerat. qui *titulus* Conr. Peutingero non iniuria *arrogans*, immo *petulans maxime* visus est, præsertim in *theologo* (ll): cuius virtutem humilitatis nomine a Christianis prædicari debe-

(ll) ibid. a. 2 a.

debere, censuit. At moris tum fuit, vt *studiorum præmia a titulis metirentur*, sic fere quærentes: *Quid est iste?* si respondere licuit: *Doctor est, Magister est, Baccalaureus est: aliquid fuit.* sin nullum illorum attigit titulorum, *nihil fuit.* Non enim qualis quisque esset, sed quo nomine vocaretur, quærebant eius sæculi homines; in casu nimirum atque pecuniis omnia inerant; virtuti proprium nihil erat: ita, vt nemo aut a morum integritate bonus, aut ab eruditione doctus tum iudicaretur, sed alter *cucullo* ostenderetur, alter *titulo* vtcunque acquisito exprimeretur (m). *Tituli*, quibus alios adficiebant, erant eiusmodi: *Religionis lucerna semper fulgens: Vtriusque Testamenti gazophylacium: Omnium virtutum heroicarum & non heroicarum speculum limpidissimum:* cum quibus vt reliquæ ineptissimarum epistolarum partes concordarent, *salutem* non minus ridicula ratione iis, ad quos litteras dabant, adscribere solebant: *Quot habet cœlum stellas, quot habet mare guttas, tot tibi mitto salutes:* pro his *pedum* interdum in epistolis offerebant *oscula.* Longe absurdissimas etiam adiiciebant *subscriptiones*, quarum numero & hæc est; *humillimus dominationis*

(m) Vlr. Hutten. præfat. Nemini præm. A, 4, b, B. 2, b.

tionis suæ discipulus & vilissimus seruitor. Cuiusmodi priscis incognitas plane veneres, quibus Latinæ linguæ simplicitas ac natiuus lepor quam maxime corrumpebatur, tum natas, ait Erasmus (n), quum, linguis profligatis bonisque auctoribus exactis, grammaticæ loco *Michael Modista* in ludis litterariis tradebatur. Qualium venerum lectione qui delectatur, ei *Erasmi* & *Vlrici Hutteni*, mox nominandi, *scripta*, & *Obscurorum* in primis *Virorum Epistolæ* grandes earum subministrabunt cumulos. De Erasmo tantum, de cuius in bonas litteras meritis ingens conscribi posset volumen (o), Ludou. Strebæi iudicium, priusquam progredior, addam: cui quin adsensuri sint nonnulli, vix dubito: *Floruit temporibus nostris vir in Attica tenuitate graciliique filo sermonis alter pene Lysias: qui quum*

(n) de conscrib. epist. p. 60, seq. & 69.

(o) Si plura de Erasmo cognoscere volueris, præter orationem, T. IV, p. 778 seqq. Declam. Melanchth. insertam, & a Georg. Pflügero vna cum Reuchlini, Agricolæ, atque Frischlini vitis denuo editam; & præter Erasmi vitam a M. Adamo collectam, euolue ea, quæ ipsius Erasmi Epistolarum libris de vita eius sunt præmissa. confer etiam vel maxime Io. Clerici Bibliothecæ selectæ, Gallice conscriptæ, T. I pag. 380, seqq. V, 145. VI, 7. VIII, 229. XII, 1. vbi nouam Operum Erasmi editionem recensens Clericus, plurima notatu admodum digna de auctore profert.

quum eloquentia subtili iuuenis excelluisset, & barbariem incultamque linguam libris ad hoc compositis insectatus esset, tandem senior effectus & barbaras voces admittere, & incomptam locutionem effundere bonum duxit, quod sibi persuasisset, vt scribit in epistola quadam, officere Christianae purum aptumque sermonem. An dissimulet callidus, an quod sentit, dicat, nescio. & quae sequuntur (p).

Quamuis *Erasmus* non nominatur a Strebaeo: eum tamen his verbis innui, facile, mea quidem sententia, patet. Ipse certe, quum prouectiore paullo esset aetate, praeterquam quod orationem quasi rerum vestem statuit, ita, vt vestis, quae decora sit puero, non deceat senem: nec, quae feminae congruat, viro conueniat: nec, quae deceat in nuptiis, deceat in funere: nec, quae laudi data sit centum annis ante Erasmi aetatem, hae sit probata; immo sibilis omnibus excepta omniumque risu: *se de Latini stili formula superstitiose sollicitum fuisse*, negauit, *sat habuisse se* vltro professus (q), *si vtcunque non spurce loquens intelligi potuerit:* non vno loco declarans, quantum a Christianismo abesse

(p) de Verborum Electione & Collocat. lib. II, p. 153.

(q) ep. 4, lib. XXI. in Ciceronian. p. 376, de se ita scribit: *Erasmus ne affectat quidem Tulliano more dicere, non abstinens a vocibus Theologicis, interim ne a sordidis quidem.*

esse sibi viderentur, qui in bonis litteris, velut ad scopulos Syrenos consenescerent, præsertim apud Italos. omnem Christianorum vitam magis ad bene viuendum, quam ad ornate compteque dicendum, spectare, alibi dixit (r). Idem igitur statuisse videtur Erasmus, quod vitæ Reginaldi Poli auctor censuit (s): *Christianam pietatem in paucis admodum repertam fuisse, qui Latine ornateque scribendi laudem sunt consecuti.* Sed tamen, si in nemine præterea Italorum esset reperta, quod statuere durum forsitan foret atque inhumanum, in *Aonio Paleario* atque *M. Antonio Flaminio*, piis maxime hominibus, eam sane offendere licuisset admirabilem prorsus atque suspiciendam. Id quod pluribus verbis commonstrare in præsenti nihil attinet: ad ipsam potius rem reuertor.

De VLRICO HVTTENO, *Equite Franco*, elegantis ac peracris ingenii viro, meliori fortuna dignissimo, vt pauca quoque, postquam insignia Erasmi in Romanum sermonem merita attigi, proferam, promissa supra a me facta me admonent. Cui videlicet cum Erasmo iucundissima prius intercessit consuetudo, quam eam Lutheri caussa dissoluit: quippe quam Huttenus, vt contra omnes aduersa-

(r) Ciceron. p. 358.

(s) p. 104, edit. Londin. 1696, 8.

uersarios, ita contra veterem etiam hunc suum amicum acerrime defendit. Antea honorificentissime de Hutteno senserat Erasmus, quum animus ipsi præsagiuerat, *eum magnum aliquando Germaniæ futurum esse ornamentum*; postquam eruditum atque humanum cognouerat eum adolescentem, cuius *ingenii lasciuiam*, vti loquitur, ætatis accessionem correcturam sperabat (*). Verum euenit denique, vt *gloriosum egentemque* vocaret *militem*, quem non ita multo ante *totum ferreum* nuncupauerat, qui *non calamo tantum*, & *lingua*, *sed* & *Mauortiis armis* pugnaret. & quem *Latinæ linguæ* appellauerat prius *delicium* (f). Et certe quo fortius cum inscitiæ magistris (sf) leporis festiuitatisque

(*) Erasm. ep. 11, lib. XI. & ep. 26, lib. XII.

(f) ep. 14, lib. VI, ep. 113, lib. XIX. ep. 29. lib. XXIX. in Ciceron. pag. 379, de Hutteni stilo sic iudicat Erasmus: *fat splendoris & copiæ præstat in oratione soluta, in carmine felicior erat.*

(sf) qui quantopere in Huttenum ea propter debacchati vicissim sint, Pirckheimerus in epistola sua Apologetica Luciani Piscatori præmissa exposuit, scribens: *Germaniæ nostræ spem certissimam, Vdalricum Huttenum, & nobilitatis stemmate clarum, & ingenio ac eruditione præstantem, non solum pseudo-Christianum appellare, sed etiam, si diis placet, tali viro palam minitari audent, ac omnem defensionem penitus adimendam esse, censent: nemo, inquiunt, nobilitate excusandus videtur, quin potius maioribus suis degenerans posteris omnibus suæ ignobilitatis relinquet exordium.*

tisque plenissimis scriptis decertauit; eo melius de Latinæ linguæ decore vindicando promeruisse, videri potest Huttenus. qui præter virtutes & genuinum splendorem totus candidus, cultus atque elegans Herm. Nuenario visus est (t); quique litteras ita coluerit, vt nullum barbaries hostem senserit acriorem.

Hic enim ipse est, quem cl. Iac. Thomasius (tt), & cel. Morhofius (u) *verum obscurorum virorum ad Ortuinum Gratium Epistolarum* habent *auctorem:* quamuis non ignoro, a P. Iouio & aliis *Reuchlinum* earum auctorem perhiberi (v); & Hamelmannum

X edo-

(t) testimonium hoc legitur in Nuenarii ad Reuchlinum epistola, lib. II epist. illustr. viror. ad Reuchlin. t. 3, b. quam cl. Maius vitæ Reuchlini inseruit p. 458. seq.

(tt) in præfat. P. Manutii Epistolis præm. vbi *Huttenum ridiculi operis auctorem esse, certa fide exploratum se habere*, confirmauit.

(u) Polyh. litter. I, cap. 23, §. 43.

(v) fidem hac in re Iouio habuit Io. Cunr. Dietericus; qui in Programmate supra citato, postquam Obscur. viror. Epistolas nominatim Reuchlino vindicauit, adiecit: *qui liber auide coemptus adeo grauiter perculit Coniurationis principem Hoochstratum, vt lethali dolore sauciatus interierit*. vid. cl. Maii vitam Reuchlini, p. 423 seqq. vbi multa memoratu digna de Epistolis his proferuntur, pluribusque declaratur verbis, *Erasmum institutum haud probasse*, moleste admodum ferentem, se earum a quibusdam haberi auctorem. *Primæ* etiam ibi *prioris epistolarum*

edocere nos voluisse, *Hermannum Comitem Nuenarium*, *Vlricum Huttenum*, *Reuchlinum*, *Buschium*, *Cæsarium*, pluresque, laboris societatem quasi ineuntes, epistolas istas *in Ortuini Gratii inuidiam* contexuisse (x). Quisquis vero earum fuerit auctor, siue vnus exstiterit, siue plures, *cucullatorum theologorum barbare Latina lingua scribentium stilus tam accurate* iis *expressus est*, vt, vbi prius exierant, miro monachorum exceptæ sint applausu, aui-

istarum *voluminis editionis* mentio fit a cl. Maio. *in Aldi Manutii* scilicet *officina* volumen hoc esse impressum. vidi & ego hanc editionem: at, vt vere dicam, volumen ex Aldina typographia prodiisse mihi non videtur: sed parum abest, quin credam, librum in *Germania* esse impressum, & locum esse fictum, vt nihil non in epistolis esset simulatum. præter enim quam quod in calce libri hæc leguntur verba: . *Et sic finis epistolarum obscurorum virorum Deo gratia eiusque sanctæ matri. In Venetia impressum in impressoria* Aldi Minutii (non Manutii): *Anno quo supra: etiam cauisatum est, vt in aliis, ne quis audeat post nos impressare per decennium per illustrissimum principem Venetianorum: nec typi* cum Aldinis conuenire mihi videntur. Vt hoc etiam obiter addam, vltima editionis huius epistola est, quæ a *Vilipatio de Antuerpia* scripta fingitur, & cuius initium est: *Venit ad me vnus religiosus.* cui in editionibus, quæ istam insecutæ sunt, plures epistolæ sunt subiectæ.

(x) lib. IV de Viris in Westphalia eruditione & scriptis illustr. Oper. Histor. pag. 198, & in vita Buschii p. 298.

auidisſime vbique ab ipſis coemptæ, vtpote qui ſibi initio perſuaſerant, eas in *Reuchlini contumeliam, monachorumque fauorem* eſſe emiſſas : & qui, quum vir quidam egregie doctus, at naſutisſimus, cui rei veritas minus latebat, coram ipſis fingeret, ſe ſtilo nonnihil offendi, eum conſolati ſunt ; dicentes, *ne ſpectaris orationis cutem, ſed ſententiarum vim.* Nec rei veritatem deprehenſuros eos vmquam fuiſſe, niſi quidam epiſtola operi addita lectorem admonuiſſet, rem non eſſe ſeriam, Eraſmus credidit (y), addens: *quis*

 fun-

(y) ep. 31, lib. XXII. Et tamen is, qui duobus abhinc annis Obſcurorum Virorum Epiſtolas Londini edidit, easque Iſaaco Bickerſtaff Armigero, Magnæ Britanniæ Cenſori, nuncupauit, credidiſſe videtur, argumenta Epiſtolarum non ficta, ſed ſeria omnino eſſe. editorem id ſibi perſuaſiſſe, ex his certe verbis, quæ in dedicatione protulit, non temere aliquis colligere poſſet. *Patere, Cato Britannice, ex obſoletis ſæculi ſuperioris ruderibus, altaque, quam ſuperſtitio intulerat, ignorantia iſtud Arcadicum hominum ſpecioſo Theologorum Magiſtrorumue nomine inſolenter gloriantium pecus arcesſi; & æterna licet nocte dignos, a tenebris tamen ad lucem, a mortuis ad viuos prouocari?* & quæ extrema dedicatione leguntur: *præludant hæ obſcurorum Epiſtolæ, quarum elaborata barbaries & ſolœciſmi legentem in cachinnos ſoluant, & quicquid ridiculi vanæque leuitatis in pectore reſidet, exhauriant. - - Denique obſcuri iſti homunciones, quibus nihil quicquam vixit inſulſius, longo poſt tempore iam tandem*

fungus posſit eſſe ſtupidior? Poſtquam igitur odorati demum erant monachi, quomodo res ſeſe haberet, ita debacchati ſunt, vt *Apoſtolicum Breue*, vti loquuntur, magna auri vi extorſerint, quo Obſcurorum virorum Epiſtolas ementes, vendentes, legentesque excommunicarentur. Quo facto, B. Pirckheimerus, ad Huttenum ſcripſit, ſuaſorque fuit, vt Libri titulus mutaretur, & pro Obſcurorum Virorum Epiſtolis, *Clarorum Virorum Epiſtolæ* inſcriberentur, vt nebulones pecunias dilapidare denuo cogerentur (z). Ad *Ortuinum Gratium*, ad quem Epiſtolæ ſcriptæ finguntur, quod attinet; licet is laudatisſimi *Herm. Buſchii* popularis fuerit atque condiſcipulus (a), vir alioquin non indoctus ab Hamelmanno, ipſoque Eraſmo dictus (b):

ſe

reſipiſcunt; famam, quam olim non potuerunt, conantur nunc aucupari; a coætaneis ſuis audiri vix meruerunt, nunc in ſpem & lectores & emptores ſibi conciliandi veniunt.

(z) Pirckheimer. in epiſtola ad Vlr. Hutten. quam Ritterſhuſ. de illius vita Commentario adiecit p. 24. in qua ſcribit Pirckheimerus, *monachos Huttenum obſcurorum auctorem eſſe, clamitare.*

(a) lib. IV de Viris in Weſtphalia clar. Oper. hiſtor. p. 198.

(b) ep. ad Pirckheimer. famil. lib. ep. 28. vbi hæc verba leguntur: *Quod venit in mentem Gratio, vt ſuas litterulas turpiter ſeruire vellet quorumdam ſtultitiæ, ſeu potius ambitioni, quum eo videatur in-*

ſe tamen quam maxime tum opponere cœpit, quum Alexandri Doctrinale exploſum iuerat Buſchius; & in primis reprehendit, quod hic in *Commentariis ad Donatum* ſcripſerit: eos *magnis etiam Theologis, Doctoribus atque Magiſtris vtiles fore atque neceſſarios.* Nullam vero aliam ob cauſam a barbarorum theologorum partibus ſtetit Ortuinus, quam vt ampliſſimum ab iis reportaret beneficium, quod *præbendam* appellare ſolent: idcirco cum *Iacobo Hochſtrato* conſilia ſua contra bonum Reuchlinum conſociauit: qui in Ortuinum acerbiſſime viciſſim eſt inuectus, aſpere ſatis eum tractans, vt hominem, qui vix litteras balbutire nouerit analphabetus, quum tamen oratoriam poeticamque docere gloriatus fuerat.

In hoc contra Ortuinum & ſummum eius patronum Hochſtratum certamine tam ſtrenue pro Reuchlino pugnauit *Huttenus* noſter, vt a Pirckheimero *optimus* vocatus ſit (c)

 Reuch-

genio præditus, vt ſi vero iudicio iuſtam operam adiunxiſſet, inter eloquentes ac litteratos haberi potuiſſet? Nunc non alio facinore natus eſt, niſi quod calumniatus eſt Reuchlinum & huius amicos, quodque quorumdam infanti malitiæ, mercenarium ciboque conductum rhetorculum præbuiſſe videatur.

(c) in epiſt. paullo ante citat. Etſi vero vel hoc ſolo, quod inter *Reuchliniſtas* numeratum ſe haud obſcure viderit, ſingulari ſuo in eruditiſſimum homi-

Reuchlinista: vtpote qui nihil magis in optatis habuit, quam vt interirent, & emorirentur, qui surgentibus impedimento essent litteris; quo aliquando enascerentur viua pulcherrimarum virtutum, quæ toties isti contriuerant, plantaria. Equidem tam constanter a Reuchlini partibus stetit Huttenus, vt, quum omnes boni optimo viro, qui ceteris quidem rebus omnibus superior videbatur, sycophantiis tamen, mendaciis, conuiciisque, vt superiori capite demonstraui, longe vincebatur, timerent, partes eius haud deseruerit, sed ipsi cum reliquis iustissimæ caussæ defensoribus opem ferre perseuerarit quam fidissime. Deterreri se passus non est, etsi

nem studio satisfecisse se, credidit Huttenus, (lib. II. epist. illustr. viror. A. 1.) eo tamen haud contentum se fuisse, satis declarauit, quando ad Iulium Pflugk, in Italia tum commorantem, Augusta Vindelicorum, quo cum aula Archiepiscopi Moguntini Alberti ad frequentissima ista Comitia an. 1518 acta abierat, ita scripsit: *Ipse mihi negotium his diebus feci, discurrendo, ambiendo, apprehendendo, dum optimum quemque ex aulis principum in partes Capnionis trabam: quamquam huc vltro illi concedant, nec iam opus sit parare nobis amicos.* Sibi id curæ fuisse, vt ad Reuchlini partes, quosquos in principum aulis aptos esse viderit, traduceret, dudum H. Nuenario confirmarat elegantissima epistola; qua complures clarissimos nominauit Germaniæ viros, qui cum Reuchlini sociis faciebant. citata modo Hutteni ad Iulium Pflugk epistola subiecta est eius *Nemini.*

etsi plane non ignorasse videtur, multos sub innocentiæ scuto periisse, auroque loquente cuncta silere. Aduersariorum certe opibus & potentia quam maxime pressum esse Reuchlinum, supra cognouimus. Hic licet potentissimorum auxiliis numquam destitutum se conquestus sit: pro suæ tamen naturæ modestia, pacem plus, quam gentium & nationum bella, vel diffidationes, cupiuisse se, adfirmauit (d). Quando vero Camerarius, summorum virorum fauorem Reuchlino haud defuisse, sed omnium, qui amauerint, aut videri saltem voluerint amare eruditam doctrinam, studia tam prolixe, vel tam effuse etiam præstita ei fuisse, ostendit (e), vt ipse *Reuchlinus alacritate offensus* fuerit; *Huttenum* cumprimis intelligere se, prodidit Camerarius, dum paullo post addidit, *Huttenum acerrimo ingenio, animoque confidentissimo virum, litteris perquam eruditum, litigantes monachos cum Capnione varie exagitauisse & illam factionem vehementissimis scriptis, & aliquando post armis quoque expeditis adortum esse.* Quare etsi magni ad vitæ finem vsque fecerunt amici Huttenum suum, propter doctrinæ eruditionem ingeniique præstantiam mirifice eum admirati: sed tamen,

 quum

(d) lib. II ep. illustr. viror. r. 4, b.
(e) in Vita Melanchthon. p. 16.

quum *vehementem* eius *naturam*, *excelsum animum*, & *propensam ad novas res voluntatem* probe nossent, nonnihil semper de salute eius metuere se, declararunt (f). Praesertim quum summi Pontificis iram ita in se conciuerat, vt animus huius ipso *patrocinio*, quo *Albertus Archiepiscopus Moguntinus* Huttenum fouerat, quam maxime offenderetur (ff). At Huttenus, se timorem, quo amicorum mentes ipsius caussa occuparentur, inique ferre, epistola ad Reuchlinum scripta, multum animi spirante (g), significauit. qua hunc timiditatis animique demissionis aperte coar-

(f) ibid. p. 92.

(ff) vid. Iac. Sadoleti epistola Leonis X P. nomine ad Albertum scripta, P. II Monumentor. Pietatis & litterar. p. 47 seq. qua in Hutteni, velut parum modesti hominis, scripta acriter inuehitur, quae indignissimis & rebus & verbis referta, plurimas in *Sanctam Sedem* continerent contumelias. *quum quaereremus*, scribit Sadoletus Pontificis nomine, *quinam ille esset* (Hutterus,) *intelleximus, eum Circumspectionis tuae familiarem esse, quin etiam nobis ostensus locus est, impressos hos libros, scilicet in ciuitate tua Moguntia fuisse, quae res magnam in nobis commouit admirationem, quum nec noster in Circumspectionem tuam perpetuus & singularis amor credere nos sineret, te volente ita esse factum, & res ipsa pene cogeret, credi, ante oculos tuos, in sede tua, a tuo Domestico & familiari non potuisse edi tantum scelus in apertum te ignorante.*

(g) lib. II epist. illustr. vir. ad Reuchlin. A. 1.

coarguit, quando epiſtolæ hoc fecit initium: *Per te, caput tuum, oro, per ſi quid hoc carius vtrique, noli triſtia ominari nobis. Quid enim iſta ſibi volunt?* Sin breui moriar, ſatis tibi reſpondebit virtus tua. *Noli me terrere, obſecro; noli ipſe imponere necesſitatem tibi & illum refer animum, quo ſolitus es ferundis aduerſis vti. Multos vltro ferocientes formidoloſus dux milites his querelis emollitos reddes. Ne tibi deſis: ne ardentibus pro te muliebre iſtud obſtrepe*, ſin breui moriar. *Immo non moritur, qui ſic vixit:* & quæ verba animi ac ſpiritus plenisſima ſequuntur alia: inter quæ & hæc ſunt: *Iam pridem incendium conflo, quod tempeſtiue ſpero efflagrabit. Ipſum te quieſcere iubeo. Eos mihi adiungo militiæ ſocios, quorum & ætas & conditio pugnæ generi par eſt. Breui videbis lugubrem aduerſariorum tragœdiam e ridentium theatro exſibilari. Hæc diuerſa opinante te molior. Neque enim de me ſi recte ſuſpicareris, iſta ſcriberes.* Noli deſerere cauſſam veritatis. *Egone deſeram aut hanc, aut te huius ducem? Modicæ fidei Capnion: qui non noſti Huttenum. Immo ſi tu hodie deſeras, ego iſtud (quantum per me fieri poterit) reſtituam bellum, nec mihi ignauos cœptorum comites arbitrare. his ſtipatus conſortibus ingredior, quorum vnumquemque huic colluuioni ſatis-*

futurum putes. Hæc ex epiſtola Hutteni excerpenda putaui, quum ea, quæ Bononiæ anno CIϽ IϽ XVII ſcripta eſt, Hutteni animi morumque index vere appellari queat, & nihil de Hutteni indole luculentius ea ipſa teſtari poſſe videatur (h). Nec minorem animum oſtendit Huttenus redux in Germaniam factus epiſtola ad Herm. Nuenarium ſcripta:

(h) Quæ de *Doctoris titulo*, quem aſſumere decreuerat, in præfatione Nemini ſuo præm. A. 3, profert, notatu mihi videntur quam dignisſima: *Audi* (ad Crotum Rubianum ſcribit) *meum in hac re conſilium, poſtquam mihi ſtomachum mouerunt iſti olim ſuperbi legum diſpenſatores, fateor, eſſe aliquid contendi, & eo ſtudium contuli meum: ac diſpeream, ſi vlla alia ratione, quam, vel vt meorum deſiderio ſatisfacerem, vel ipſum illud, quantumcunque nugatorum eſt, quo iſti triumphant Bartholiſtæ, aſſecutus, acceptoque doctrinæ titulo, quo decipi vulgus amat, ab illis poſtea audiri mererer, quod aliter per contemptum non fiebat. Doctorem enim eſſe oportet nunc, doctum neque neceſſe eſt, neque omnino aliquid eſt. Quanta litterarum iactura hoc facies aiebat aliquis? Nulla reſpondi, quippe impendendum aliquid ſucciſiui temporis, dum iſtas illiteratas litteras atque hanc doctrinarum fecem iactare diſcam. Nam intelligere nullo negotio licet. Sum enim plane in ea opinione, vt, qui in his ſtudiis ſuperbire ſciat, & pro tempore ingerere ſe audeat, eum conſummatum hoc tempore iureconſultum exiſtimem; quod inſtitutum, quid refert, quomodo poſtea immutauerim, ſcribere.* Multa inſuper de *Bartholiſtis* minus honorifice prædicat.

pta: vbi, poſtquam complura animi magnitudinem teſtantia præmiſerat, ita ſcribit: *Quod ſi me audiat Germania, quamquam inferre Turcis bellum neceſſe eſt hoc tempore, prius tamen huic inteſtino malo, remedium opponere, quam de Aſiatica expeditione cogitare iuſſero. Nam quid Othomannorum domum, imperandi ſtudio inimicam nobis exciſam tantopere cupimus, ſi iſtos, ferimus in medio noſtri vniuerſæ pietatis inuerſores?* multis verbis interiectis, ita pergit: *Quamquam interim dubitatio acceſſit, an obſtinatiſſime hos a nobis contemni, quam infenſiſſime aliquando impugnari præſtet. Certe enim hoc contemnere, quod ego omnibus hactenus apologiis prætuli, non ſatis eſſe videtur, ad illud, quod paramus, vt vigeant litteræ, barbaries exſulet, docti in veneratione, ſcioli paſſim deſpectui ſint. Id quod Chriſto adiuuante, ad aliquem iam progreſſum deduximus, ſed non, quo oportet.*

Inter eos, qui contra pertinaciſſimos Colonienſes ſophiſtas, capitales *Reuchlini*, omnisque humanitatis hoſtes, decertauerunt, primas, vel ipſo Hutteno atque Buſchio eas concedentibus, tenuit HERMANNVS COMES NVENARIVS, ſiue *Noua Aquila*, ſæpiſſime hactenus a me nominatus: *Canonicus* primum, *Præpoſitus* deinde *ſummi Colonienſis*

nienſis templi longe eruditisſimus, & elegantiorum litterarum, Romanæ in primis linguæ vindex ſummus, ſiue, vt ab Hutteno appellatus eſt, *omnium ætatis ſuæ in Germania nobilium doctisſimus, omniumque ibidem doctorum nobilisſimus.* Qui quum barbariem Coloniæ oppreſſam vellet, *Buſchium* atque *Cæſarium* benignisſime ibi, vt ſupra oſtendi, cum aliis præclaris viris fouit, eosque auctoritate ſua, qua plurimum valebat, contra audacisſimos aduerſarios ita grauiter defendit, vt is horum ducem *Hochſtratum*, qui *Herculem ficticium* appellare ſe conſueuerat, Colonia expulerit, propter impurum nebulonis figmentum, quo Reuchlinum proſciderat (i). Vehementisſime Nuenarius binis epiſtolis in hominem inuectus eſt, vna, eaque verboſa ſatis, ad Reuchlinum, ad lectorem altera: quas cum *Reuchlini*, *Buſchii*, *atque Hutteni* ad ipſum *epiſtolis*, *Iac. Hochſtrati libello accuſatorio contra Oculare Speculum Io. Reuchlini*, eius-

(i) Hutten. in epiſtola ad Iul. Pflugk Nemini eius ſubi. Io. Conr. Dietericus in ſuo de Reuchlino Programmate ſcribit: *Tantus erat furor Hoochſtratianus, vt inclitæ nationis Germanicæ litterarius ordo a Carolo V Imp. quum ei felix regimen per Oratorem Hermannum a Nuenar, Comitem, gratularetur, humillime peteret, vt renaſcentium bonarum artium curam habere, barbariem e ſuis finibus exterminare, Hoochſtrati audaciam compeſcere vellet.*

eiusdemque *Iacobi Diffamationibus*, item *Nouæ Io. Reuchlini ex vrbe Roma allatæ Defensioni præfixas* iuris publici fecit: *Hochstrato* quam acerbissime iis respondet, qui Nuenarium contra Colonienses theologos, contra præceptores, & vicinos *grassatum esse*, scripserat, *theologorum philosophorumque osorem, degenerem, præceptoribus ingratum, temerarium atque dicacem* eum appellans *hominem*, grauissimisque conuiciis aliis doctissimum virum lacessens; & quidem adeo, vt præter Reuchlinum & Pirckheimerum complures eruditos Germaniæ viros simul diris admodum cauillationibus sit consectatus (k). Ridicu-

(k) Pirckheimerus in epistola apologetica, Luciani Dialogo præf. de iniuria sibi illata modeste admodum conqueritur, scribens: *Quæ est Christianæ religionis defensio, si longe acrius, quam Christiana mansuetudo permittat incandescas, ac non solum in tantum virum* (Reuchlinum) *fanda pariter & infanda euomas, sed & omnes amicos eius mordicus arripias? possem & ego stulta illorum loquacitate irritatus, contra insanientes insanire ac suaues illos viros, sibi ipsis, tamquam in speculo ostendere, ni ia naturalis prohiberet æquitas, ni id Christiana detestaretur pietas.* Vel his verbis insaniam suam prodiderant inepti homines; *se a Bibibaldo, nescio quo, in Nurenberga læsos esse*, tamquam infimæ sortis homo fuerit Bilibaldus, quoniam ipsis erat incognitus: quibus vt semper ignotus exstitisset, ac numquam sibi a talibus benedictum esset, a quibus vilipendi, quam laudari præstitisset, exoptandi non leues caussas habuisse videtur Pirckheimerus.

diculum præſertim titulum, quo ipſe Hochſtratus dignum ſeſe diiudicauerat, exagitat Nuenarius. Apologiam ſcilicet ſuam is ita inſcripſerat: *Apologia Reuerendi Patris, Fratris Iacobi de Hochſtraten hæreticæ prauitatis Inquiſitoris.* Quo facilius de rarisſima Nuenarii ad Reuchlinum epiſtola iudicare queat, qui illam numquam vidit, extrema eius verba apponenda cenſui: quum hæc non de auctoris modo eruditione ſtilique elegantia, ſed etiam de ſæculi iſtius conditione abunde ſimul teſtari poſſe, arbitrer: *Quod ſi huic maledicendo vices reddere decreuiſſem: iamiam, (vti credo) experientia doctus eſſet, non parum vel ad maledicendum conferre poeticam & oratoriam, idcirco poeſeos nomen non recte mihi improperare videtur, quod tam ab eo abeſt, vt non posſit longius, etiam ab infante bimo: ſed vtinam verum diceret, contumeliam certe nullam inflictam video, niſi quod mendacium plane agnoſcam; verum id ei libens condonabo, qui in omnes æque mentitur, quam optarem, vt de me ſemel verum protuliſſet; ſed ſicut ego mihi nihil horum arrogare auſim, ita pro comperto habeo, maximam efficaciam, & incredibilem vim ſuppetere poetis, quando ab improbis & malitioſis hominibus prouocantur: Eſt furor in nobis (inquit Ouid.) agitante caleſcimus illo. Conſtat Archilochi iam-*

iambos Lycambis exitio claros fuisse. Ciceronis eloquentiam potentissimus alioqui M. Antonius etiam fuga celebrauit. Quamobrem quum adeo parui pendit poeticas facultates, caueat ipse sibi, ne repente nunc in poetas deuectus, ab illis frustratim & emembretur, & dilanietur, non secus quam Actæon a propriis canibus, & Pentheus ab insanis mulieribus, poenas luens temeritatis suæ, qui ea damnet, quæ numquam didicit, & quæ tanto interuallo sensus illius ingeniumque transcendant, vt assequi vel summis digitis numquam possit. Si enim sacræ poeseos merita ignorat, si veros theologos ipsius præconia scriptis extollentes non legit, aut didicit, quod valde equidem crediderim, perlustret Vallum Buschii viri vndequaque ornatissimi, ut tandem senex factus discat, quæ puer scire debuerat: tum fatebitur iniuriam sibi factam, quod hucusque theologus sit habitus, qui ea ignoret, quæ de hac re certatim a sanctissimis viris memoriæ commendata sunt. Et de nugis hæc quidem paucula. Nos vero interim studiis nostris operam demus, & quum ludere aliquando libebit, habes iam argumentum, quo te exercere possis, etiam vsque ad risum. Vale communis patriæ ornamentum: & me quem amas, fac impensius vt ames, Coloniæ Calendas Maias.

Con-

Confirmauerat prius Nuenarius Reuchlino, se contra belluam pedetentim incedendum decreuisse; quam, si externa præsidia accessissent, coniunctis copiis commodius expugnari posse, sentiret: licet non ita magnis auxiliis contra paucas ranas opus esse iudicaret, quas ipsas garrulitatis suæ iam puderet, & quæ paullatim dissidere iam inter se inciperent (l). Sensim enim fiebat, vt, posteaquam *Parisienses Theologistæ* maxima sua cum infamia ac dedecore contra Reuchlinum steterant, nec prohibere potuerant, quo minus Reuchlinianum nomen in omni Gallia sit celebratum, spe victoriæ reportandæ penitus adempta (ll); plurimos pœniteret, se a Coloniensibus asinis & circumforaneis nugiuendis, deceptos potius, quam instructos, suffragium addidisse suum (m). quum præsertim doctissimos quosque vrbis Romæ viros Reuchlino fauere; plurimisque, vel ipsis monachis, conatum eius probari, animad-

(l) Integram epistolam, qua hæc Reuchlino confirmauit Nuenarius, vide in Reuchlini vita a cl. Maio conscr. p. 458 seqq. desumptam ex lib. II, epist. illustr. vir. t. 3, b.

(ll) Hutten. in epist. ad Iul. Pflugk, Nemini subiect. vbi, *Guil. Budæum, nobilem, & egregie doctum virum odium in Capniomastigas strenue in Gallia aluisse*, scribit.

(m) Eob. Hessus lib. II epist. illustr. viror. y. 2, b. & z. 3, a.

animaduertebant: ſiquidem multi eorum, ſe Reuchlinum ſanctius & maiore cum pietate, quam ipſas cerimonias & inſtituta ſua colere, declarabant. Quid, quod quum *Franciſcus Poggius Florentinus* ad ſummum Pontificem aliquando oraſſet; inter alia eum dixiſſe legimus (n): *Pater Sancte; ego ſumam mihi partes Reuchlin, & volo ſtare loco ipſius. legi ſuas lucubrationes omnes, omnes, quas habere potui: homini ſit iniuria.* Ad quæ Pontificem poſt multa verba reſpondiſſe, addunt, qui hæc referunt (o): *Noli curare, Poggi,* Y *non*

(n) Paul. Geræander epiſt. ad Reuchlinum Romæ ſcript. lib. II epiſt. illuſtr. vir. B. 3, b.

(o) ibid. Quantus Mæcenas exſtiterit *Leo X. P. M* breui ſupra a me commemoratum eſt: quanto etiam is *bonæ notæ codices conquirendi* flagrauerit *ſtudio*, Phil. Beroaldi ad Reuchlinum noſtrum epiſtola præter complura teſtimonia alia confirmare poteſt: cuius lib. II epiſt. illuſtr. virot. ad Reuchlinum c. 1, b. verba hæc ſunt: *Qui tibi has litteras reddit Ioannes Heitmers Commiſſarius eſt Pontificis deſtinatus ad Germaniæ partes pro libris antiquis, qui deſiderantur, munitus venit multis litteris pontificiis & diplomatibus. Sperat, ſe omnino aliquid boni eruturum. ſignificauit autem Pontifici, poſſe te plurimum negotio iſti fauere, qui diu tam ſagax canis vepreta omnia & nitedulas olfeceris. Quare mihi commiſit, ſcriberem ad te, velles operam tuam ad iſtam rem impertiri, conſilio ſcilicet iuuare, monitionibus, indagine, auctoritate non deeſſe, præſertim apud Præſulem Wormatienſem. Crede mihi, doctiſ-*

non feremus, vt quicquam mali patiatur hic vir. hinc etiam id, quod iidem adfirmant, euenisse, arbitror, vt maior suffragiorum pars pro Reuchlino fuerit, quam pro eius aduersariis: pro quibus vix quatuor stetisse, scriptum est ad Reuchlinum ab amicis Romæ commorantibus (p).

Vt

sime Capnion, te animum Pontificis optimi in te certe amando diu excitatum, hac potissimum opera arctissime tibi deuincturum. nam hæc illi cura non in postremis. Dudum scilicet, *Campanus* populares suos (lib, IX epist. 45) edocuerat, magnam vetustissimorum librorum in Germania inueniri copiam: at omnibus ætate sua aditum ad eos patuisse negauit; mirum enim in modum libros istos esse obseruatos, nec vlla arte tam capi potuisse, scribit, quam quod poetici fuerint. Quare, *si quem libellum ab his* (Germanis) *postules*, inquit, *non aliter potes impetrare, quam quod poeticum adferri patiuntur:* & postquam eosdem Germanos suspicionis, ignauiæ, inscitiæ, ferociæque insimulauerat, addit: *quantum ad libros attinet, testimonio nobis est, quod vsurpatum veteri est prouerbio: Arma non semper artifici conuenire.*

(p) Epistola, qua *Maximilianus I*, Imperator, honorabilem, fidelem sibique dilectum Reuchlinum *Pontifici Leoni* diligentissime commendauit, lib. II epist. illustr. vir. ad Reuchl. f a, addita est; eo pluris facienda, quo apertius augustissimus Imperator suum in Germanorum eruditissimum, & ingenuas simul artes, fauorem ea declarauit. Quam qui legerit, Huttenum vere iudicauisse fatebitur, spero, vbi scripsit (in præfat. Nemini præm.) *Omnia debentur*

Vt ex diuerticulo in viam, siue ad excellentissimum Comitem *Nuenarium*, reuertar. *Mauritius Comes Speigelbergicus* erat, cuius curis tantum Mæcenatem debebant Germaniæ Musæ. Nam quum is in Italia, quo optimi præceptoris sui *Hegii* consilio cum *Rud. Langio* profectus fuerat, sub clarissimorum magistrorum disciplina plurimum profecisset, magnus semper, posteaquam redierat,

Maximiliano, Principi, qui se furentibus opposuit, non passus euerti optimum virum, & de hoc imperio suis consiliis suaque industria sic meritum. Quare *tam integri, & innocentis viri, ac optime de se meriti consiliarii protectionem suscipere officii sui existimasse*, se, scribit Imperator; Pontificem magnopere obtestatus, vt *Reuchlini aduersariis, quos ordinariam & regiam iustitiæ viam ex industria vitantes variis viis aliis modisque integrum, bonum, doctum, & a catholica doctrina nihil dissentientem oppugnare adhuc studuisse, intellexerit, perpetuum silentium imponeret:* (quale pro negotii pacificatione dudum se imposuisse iis, adfirmabat) *quo innocentissimus vir a tam sinistris vexationibus liberatus, commodius vltimos ætatis suæ annos peragere, & aliis studiis, quæ ad communem Reipubl. Christianæ vtilitatem emittere in animo haberet, liberius vacare posset.* Nam quum diu spectando, quorsum optata inimicorum perrectura, aut quem tandem finem vota eorum sortitura essent, ita animi se pependisse ipse professus est, vt nihil magnum adgredi ausus fuerit, par ei, quod a libero ingenio prodiret; coactum interea se docuit, dum otio languescere prorsus non posset, paruis saltem quibusdam foliis nauare ope-

bonarum litterarum fautor exſtitit, atque amplificator; de Comite Nuenario ingenue educando, quam maxime ſollicitus. & quo melius hic de litterarum ſtudiis in Germania magis magisque euehendis mereri poſſet, in Italiam fidisſimam ſuam magiſtram, eum ablegauit: probe deinceps ſentiens, ſe curas in tam liberali ingenio alendo non fruſtra ſuſtinuiſ-

ram: vt arbor ſua nihilo minus fruticaretur, quatriennium iam tum ab hoſtibus cæſa, non autem diuino beneficio euulſa. Scripſit ita Reuchlinus Stutgardiæ an. 1515 ad *Iac. Aurel. Queſtembergum*, ICtum, Leonis X Cubicularium & a ſecretis: cui videlicet S. Athanaſium in librum Pſalmorum ab ſe translatum eximia dedicatione inſcripſit, qua in laudes viri excurrit, qui Græce fuerit doctisſimus, & cui ab adoleſcentia dulcibus Muſis adſueto, *Romanæ linguæ ſuauitas propria fuerit ac peculiaris.* Germanus natione fuit *Queſtembergius*, *Freibergæ Miſniæ* oriundus; non *Reuchlini* modo, cui firmisſimum contra furioſos Monachos Romæ accuſandos auxilium præſtitit, & *Aeſticampiani*, ſed omnium popularium, litterarumque in patria æſtimatorum, ſummus fautor exſtitit atque adiutor, ita, vt eis non tantum raros ſubminiſtraret codices in lucem edendos, ſed etiam tam liberalem atque munificum erga eosdem ſe præberet, vt *opes ſuas Germanorum in Italiam venientium cauſſa profudiſſe*, dicatur. vid. ſupra allegatam de Io. Rhagio, Aeſticampiano diſſertat. § 7. Præſtantisſimo huic viro, & communi Germanorum in Italia coram pontifice cauſſas agentium patrono, Reuchlinus in commemorata præfatione expoſitum iuit, quam grauiter

sustinuisse, quum exspectationi abunde satisfacere eum cognosceret (q). De quo adhuc tum iuuene Erasmus prædicauit, quod rara & plusquam senili prudentia, pauciloquus fuerit, & quod de Menelao prædicauit Homerus, μάλα λιγέως locutus sit, immo cordate, citra ostentationem doctus non in vno studiorum genere tantum, totus candidus, & amico amicus (r).

 Ha-

aduersarii ipsum persecuti sint, sententia Apostolica, quam Georgius Spirensis episcopus promulgarat, inserta. Insignis huius præfationis notabilis hic finis est: *Cabalistarum adagium est: Spiritus S. non canit, nisi per medium lætitiæ. Quam si perfecte adeptus fuero, enitar maiore diligentia, vt sæculo nostro haud frustra vixisse videar. Constitui nempe mecum, posse angelorum adiutorio fieri, vt quando Italiæ Platonica Marsilius Ficinus attulit, & Iacobus Faber Stapulensis Aristotelica Galliæ restaurauit, ego quoque Capnion Pythagorica contemplantissimis hominibus iucunda Germaniæ donare queam, modo recedant diaboli, id est, detractores, & vadant retro Satanæ, id est, impeditores.*

(q) vid. Hamelmannus in scriptis citatis p. 322 Oper. & alibi.

(r) Erasm. ep. 25, lib V. Quum in Germaniam reuersus esset Nuenarius, Romanam illam de loquendi consuetudine, verbisque deligendis lepidam ac festiuam disceptationem, siue *Oci & Volsci Dialogum Ludis Romanis actum*, Reuchlino dono dedit; qui libellum Nuenarii in se beneuolentiæ, ac singularis studii gratitudinisque suæ testimonio excudendum tradidit *Ph. Melanchthoni:* cuius præfatio Tubin-

Habes, Lector beneuole, virorum nomina, quibus, dum Agricolæ, Langii, Hegii, Reuchlini & ceterorum, quibus superstites fuerunt, vestigia summo studio secuti sunt, potissimum debetur, quod Latinæ linguæ omnisque humanitatis decus contra barbaros monachos ac insulsos sophistas in Germania porro sit assertum. nomina profecto tam clara, & tam celebria, vt mentione mea, ex diuersis ætatis istius monimentis repetita, facile indigere potuissent. At recorderis, quæso, obtestationis, qua supra rogaui, vt ne peruerse interpreteris, me vberiorem paullo clarissimorum virorum subinde instituere commemorationem; sed vt reputes mecum, quanta excellentissimorum horum Germaniæ ciuium in Romanum sermonem elegantiorumque litterarum studia exstiterint merita: tanta videlicet, vt omnis ætas hæc celebrare, & memoriam eorum recolere debere videatur. Candidos lectores hocce institutum meum non plane improbaturos fore, grauissimum summi Caselii iudicium sperare me iubet, quo centum amplius abhinc annis

opta-

gæ scripta præmissa est: qua extrema fere honorificentissima hæc de Nuenario leguntur verba: *Quando virtus etiam tua splendore natalium tanto, & mira fortunæ gratia illustrata meretur, vt omni studiosorum ardore Musageta quidam, veluti communis inter Musas Hercules, colare.*

optauit (*), vt exſiſterent ſemper, qui illorum æmularentur induſtriam, qui ſua ætate de litterarum luce in Germania exorta luculente paſſim ſcripſerint. *tanti* enim *beneficii auctores non agnoſcere impium, memoriam ſilentio ſepelire nefas*, putauit prudens cenſor. Quamuis ego tantum mihi non ſumo, vt mihi perſuadere audeam, me induſtriam iſtorum digne æmulatum eſſe. meam ſaltem id præſtandi voluntatem a quibusdam laudatum iri, confido, ſi vires defuiſſe, cognouerint. Neque confuſe me acturum, ſpero, ſi, *Latinæ linguæ infantia* nec inerti eius *pueritia* ſuperiori capite adumbrata, nominatorum hactenus virorum ætate, quæ ad XXX circiter ſæculi XVI annum adſcendit, eiusdem linguæ *adoleſcentiam* optimæ ſpei quam plenisſimam circumſcripſero; ita, vt *virilis* eius *ætas* capite hoc perluſtranda reſtet; quam quum ipſa quoque laudatorum virorum ætas attigerit, eodem capite eam deſcribendam putaui.

Quum ſuperioribus capitibus de litteras pingendi ſcribendiue ratione, qua barbaris ſæculis monachi in Germania vſi ſunt, & de arte libros imprimendi, quædam adiecerim; tamquam rebus, quibus Latinæ linguæ ſtudium, vt in reliquis Europæ regionibus, ita in noſtra etiam Germania, plurimum eſt adiutum. in præſenti obiter monendum, exi-

ſtimaui, Mart. Cruſium quidem in Annalibus ſuis adnotaſſe, *circa annum cIↃ IↃ XVIII alicubi diphthongos ſcribi iam cœpiſſe, quod antehac tot ſæculis inuſitatum fuerit*, verum innumeralibus exemplis probari poſſe, id *multo ante, & ipſo iam XV ſæculo*, non in Italia ſolum (s), ſed in *Germania* etiam factum eſſe: vt, quod ad Germaniæ typographias attinet, vnicum ex ſæculo XV proferam exemplum: in *P. Terentii editione*, quæ *Argentina* CIↃ CCCCXCVI, apud *Ioannem Grüninger*, cum *directorio*, *gloſa interlineali*, *commentariis*, vt titulus præ ſe fert, impreſſa eſt in folio, *ridiculis* ſatis adornata *figuris*. in rara, inquam, hac editione, quæ in calce libri *nitidisſime elaboratum opus* vere dicitur, & cuius exemplum non ita pridem ab interitu, qui imminebat, liberaui, diphthongi omnino expreſſæ ſunt, eæque integræ, ac ita plane formatæ, vt hodie ſcribi ſolent: nam, quæ altera ſunt figura, qua olim ſcriptæ ſunt, raro ibi occurrunt; præſertim in ipſis Terentii verbis. In *Auentini* etiam *Grammaticæ rudimentis* an. CIↃ IↃ XVI editis, & in *Vlr. Hutteni* monimentis, diphthongos exſcriptas obſeruaui. nec non in *Reuchlini ſcriptis* a *Thom. Anshelmo excuſis* ſæculo XVI ineunte: quamuis

(s) & in *Aldi Manutii*, & reliquorum typographorum, qui exeunte ſæculo XV vixerunt, editionibus.

uis nullæ aliæ præter eas, quas *puncta* nominare consueuimus, comparent ibi, distinctiones: quod in Auentini Rudimentis aliter sese habet: in quibus scilicet periodi commatibus, aliisque distinctionibus sunt interpunctæ: in *Torrentini* vero, aliorumque *Commentariis* non item; vbi puncta dumtaxat apparent, & nullæ plane diphthongi sunt exscriptæ. vt de creberrimis notis scribendive compendiis, quæ *abbreuiaturæ* vulgo appellantur, taceam (f); ad aureum istud in Germania sæculum perrecturus.

Quod si nulla alia Germanis caussa esset, quamobrem eruditorum ciuium suorum, præclare de Latina lingua vindicanda meritorum, memoriam recolendam subinde putarent renouandamque: eos vel sola contemptio, in quam exterorum plurimi nationem adducere studuerunt, vt id facerent, commouere posse videtur. quum nimirum inter exteros numquam non fuisse cogitarint, qui Germanorum laudem hac in re, vt in reliquis, obliuione maxime voluerint obscuratam: cuiusmodi in præfatione nonnullos nominaui: quibus *Lazarum Bonamicum*,

 iti-

(f) verba ista, quibus M. Crusius adfirmauit, diphthongos circa an. 1518 alicubi scribi cœpisse, leguntur in eius Annal. Sueuic. lib. X, P. III, cap. 7, pag. 560.

itidem adnumeraturus fuissem; quum eum vel Germanorum facundiæ & in Latinam linguam meritorum ignarum plane fuisse, vel inuidentiam forsitan memoriam istorum ex animo ipsius euulsisse, mihi persuasissem; dum postquam in colloquio cum Georgio Fabricio *Phil. Melanchthonis* mentio facta erat, dixit: *Certe ille homo loqui incipit* (ss): hoc, inquam, responso adduci me passus essem, vt crederem, *Bonamicum* etiam non adeo honorifice de Germanis sensisse (st), nisi Io. Caselius, eum *Germanos amasse magniq; semper fecisse*, confirmasset (t). Quis enim, quæso, statuat, Rud. Agricolam, Rud. Langium, Io. Reuchlinum, infantes fuisse: qui Italis dudum,

(ss) Dresserus in præfat. lib. III Rhetor. præm. p. m. 553.

(st) præsertim quum Bonamicus eidem Dressero in orat. de Libris, quos legere deceat, visus sit putavisse, *Germaniam ita rudem, verique sermonis tam ignaram adhuc tum fuisse, vt Melanchthon inter Germanos, apud quos & scribendo & dicendo primas tenuerat, recte demum loqui cœperit.* nec asseuerare veritus est Dresserus, *doluisse eximio viro, quod Germanus Melanchthon cunctis pene nationibus reliquis eloquentiæ laudem præripuerit.*

(t) in orat. funebr. Andr. Mylio script. C. 4, a: vbi in prædicando Bonamico multus est Caselius; inter reliqua præconia & hoc est: *Erat Bonamicus omnino vir eloquentissimus: quod ex perpaucis, quæ scripta reliquit, existimare facile est: & artem dicendi tradebat nouo modo, h. e. veteri & sapientibus vsurpato,*

dum coram oſtenderant, ſe non loqui ſolum poſſe, ſed eloquentia plurimum etiam valere. *Germani*, vel ipſo *Melanchthonis æuo* non cœperunt, ſed, ſi vere dicendum eſt, *extremo* eo *ſenſim iam Romane loqui deſierunt*: ita, vt ſi quis Latini ſermonis apud Germanos ortus ac incrementa, velut in ſpirante quodam humanæ vitæ ſimulacro ſtatuere vellet, quemadmodum quidam faciunt, quando de eiusdem ſermonis ſub Romanorum imperio fatis agunt, Melanchthonis tempore non incunabula, non puerilis ætas, atque adoleſcentiæ flos, ſed virilis vigor eſſet conſtituendus: id quod ex ſequentibus magis magisque elucebit. Eo enim etiamnum puero in plurimis Germaniæ ſcholis melius longe, quam antea, inſtituebatur iuuentus, doctrina vſurpabatur politior, bonorumque auctorum ſcripta pasſim iam verſabantur ſummo cum ſtudio; Alexandri Doctrinali, & reliquis ineptiis magno conatu ab iis, qui Buſchii exemplum ſecuti fuerant, exploſit. Quod vehementisſime lætatus Vlr. Huttenus ad Iulium Pflugk ſcripſit anno CIↃ IↃ XVIII (tt);

Ma-

(tt) quo ipſo præter ætatem eruditus iuuenis Melanchthon, XXII annos natus, non illiberali ſalario, vt Græcas litteras doceret, Witteberġam eſt arcesſitus, a Reuchlino Friderico Electori diligentisſime, vt par erat, & vt ſumma Melanchthonis virtus ac eruditio merebatur, commendatus.

Magna est studiosis omnibus (in Germania) *cum barbarie lucta, spe ingenti, fore, vt peruincamus, ac litteræ vigeant. iam enim despectius audiuntur magisterculi, & recte se vbique studia excitant.* Ipsi Melanchthoni eodem isto anno scribere licuit (u): *Videor mihi videre aliquot locis reflorescere Germaniam, planeque moribus & communi hominum sensu mitescere, & quasi cicurari, quæ barbaris olim disciplinis effera, nescio quid immane, solita est spirare.* Enimuero Germaniæ iuuentuti contigit tum, vt saluberrimis erudiretur præceptis, & ipsos artium fontes ex optimis auctoribus adfluentius hauriret; postquam hic natiuum ac sincerum *Aristotelem*, ille *Quintilianum Rhetorem*, hic *Plinium* tantum non ditissimum pædeæ, ac veluti quoddam copiæ cornu, ille argutias sed arte temperatas, porrigebat. quibus mathematica accedebant, item poemata, oratores, professoribus non proletariis (v): & quidem auctores explicati cum adolescentibus in academiis atque gymnasiis Germaniæ ita relegebantur, vt omnia inter examinandum cum præce-

(u) in nobilissima oratione, quam eodem anno 1518 Wittebergæ de Corrigendis studiis habuit, T. I Declam. p. 502.

(v) Melanchthon ead. orat. p. 496, vt ea in Wittebergensi academia acciderint, optimi ac sapientissimi Principis Friderici auspiciis factum, confirmat.

præceptis enarratis diligenter conferrentur, & ipsi adolescentes ad rei grammaticæ & Latinæ linguæ cognitionem non satis instructi, in vtraque re aliquem progressum facere cogerentur (x).

Hæc omnia ita dicta nolim, quasi ego nihil superesse iudicem, quod Germania MELANCHTHONI suo acceptum referre necesse habeat. Tantum hæc vltro ipsi debet, vt *communis* sui *Praeceptoris* titulo semper eum condecorarit; quo honore omnes boni longe dignissimum eum censent. Is enim fuit Melanchthon, qui, quum singulari in recta studia esset pietate, bonasque litteras ac renascentes Musas quam maxime vniuersis commendatas vellet; illarum caussam omnium diligentissime fortissimeque tutandam suscepit, aduersus eos, qui vulgo sibi in scholis doctorum titulos ac præmia, barbari barbaris artibus, hoc est, vi & fraude arrogauerant, & malitiosis fere ingeniis homines retinuerant. Non pauci eo tempore, quo Melanchthon Wittebergam venerat, exstiterant in Germania, qui iuuentutem in felix istud litterarum certamen alicubi descendere conatam velut

(x) Arn. Burenius in oratione de disciplina Scholæ Rostochianæ, quæ vna cum Melanchthonis præfatione huius Declamation. T. IV, p. 176 seqq. inserta est.

velut e medio curſu, commento plusquam Thracico iam reuocare tentabant: *difficilius eſſe ſtudium litterarum renaſcentium, quam vtilius: Græca a quibusdam male feriatis ingeniis arripi, ac ad oſtentationem parari: dubiæ fidei Hebræa eſſe: interim a genuino litteras cultu perire: philoſophiam deſertum iri*, & id genus reliquis conuiciis (y). Cum hoc indoctorum inſulſorumque hominum grege Melanchthon per omnem vitam ſuam acerrime decertauit. vtpote qui *magiſter* fuit, *qui & animum & linguam diſcentium quum doctrinæ copia, tum exemplo formare poterat* (z): & in quo plus doctrinæ & ſapientiæ fuit, quam in toto ſciolorum multa & magna crepantium grege: qui denique non de Wittebergenſi tantum academia, ſed de ſingulis per cunctam Germaniam ſcholis bene meritus eſt, quod primum ſaluberrima de inſtituendis iis impertiuit conſilia; & omnes præterea diſciplinas recenſuit, in luculentum ab ipſo ordinem redactas; nec non in optimis

(y) Melanchthon. Declam. T. I, p. 483.

(z) id coram admiratum ſe eſſe, genuinus Melanchthonis diſcipulus Io. Caſelius teſtatur, ſecund. Luhiad. B. 3: vbi Melanchthonem auditores ſuos ſæpe hortatum eſſe, ſcribit, vt, quorum ipſe initia fideliter depromeret, ea ipſi porro perdiſcerent: nec aliud quicquam eum ſæpius docuiſſe, quam vt in conſpectu collocarit, quæ deinceps diſcenda eſſent.

mis Latinitatis auctoribus enucleandis multum temporis insumpsit (a). Vel ob id igitur *optimarum litterarum ac artium & restaurator*, & *conseruator* dicendus videtur Melanchthon, *qui omnem doctrinam, quae vaga quasi & dissipata prius exstiterat, collegerit atque in certam reuocarit rationem* (b). Qui nisi segetem seuisset, an multi ex posteris, quod

(a) Morhof. Polyh. Litter. I, 16, 51 & II, 2, 12.

(b) Boissard. T, III Icon. p. 46. Necessaria praecepta & ad iudicandum vtilia iacebant vsque ad id tempus stultissimis rixis, nihil ad rem pertinentibus, obruta. nemo plane de artis in bonis auctoribus legendis, aut grauibus controuersiis iudicandis, vsu quicquam adhuc monuerat. quare Melanchthon, vt ex immensis illis voluminibus necessaria praecepta, quorum vis atque vsus conspici antea non poterat, quum in aliarum inutilium praeceptionum turba laterent, eligeret, exorari se passus est. Quod vero *Rhetoricos libellos* ediderit, alias longe caussas sibi fuisse, perhibuit: huius enim artis scriptores, non ita, quemadmodum Dialecticorum vulgus, accusari ab se potuisse, scribit; quum nulli adhuc exstiterint tum auctores, nisi optimi, Cicero & Quintilianus, quos in hoc genere adeo excelluisse, iudicauit, vt omnes Graecos, quorum scripta viderimus, vicerint. quare non fuisse, censet, vt recentium scripta desiderarentur; seque suos libellos rhetoricos edidisse, adfirmat, vt *Rhetorices cum Dialectica cognationem* ostenderet: quos his, qui Ciceronem & Quintilianum legere constituerint, profuturos esse, non sperare, sed confidere ei licuit. vid. Crit. Melanchthon. p. 673 & 716, seq.

quod meterent, habituri fuiſſent, valde nonnulli dubitarunt (c).

Poſtquam Agricola atque Reuchlinus ſtudioſe antea operam dederant, vt barbari Germani *grammatici* prius euadere, quam elegantes eſſe ſtuderent, ſiue, vt pure prius eloqui rem diſcerent, quam ornate eam proponere tentarent: & poſtquam Hegius, huiusque eruditisſimi diſcipuli in *barbariſmis* ac *ſolœciſmis* ex oratione eliminandis diu vehementerque laborarunt. huiusmodi porro magiſtrorum deſiderabatur opera, qui Germanos *copioſe ornateque* loqui docerent: quemadmodum Agricolam & reliquos litterarum reſtauratores, veteres diligenter imitatos, pridem locutos fuiſſe, vidimus. Hac in re *Melanchthon* in primis Germanicæ iuuentuti, quoad in viuis fuit, præiuit: cuius eruditionem *Reuchlini* potisſimum conſiliis atque diſciplinæ deberi, ſupra cognouimus; & qui non ad ſuæ modo patriæ vtilitatem ac decus, ſed ad omnis Germaniæ eximium ornamentum eidem ſuo cognato natus videbatur. Eum iam tum, quum in *academia Heidelbergenſi* iuuenis admodum commoraretur, *exercendi ſtilum ſcribendique rationem* ſuo exemplo *ſuſcitaſſe*, a *Ioach. Camerario*, quo ita familiariter vſus eſt, vt nemine familiarius,

(c) Melch. Iunius in Orat. de Vita Io. Sturmii B. 7, a.

liarius, & quem dignisſimum ſummarum laudum ſuarum nactus eſt præconem, notatum legimus (d). Nam *bene dicendi curam per ſeſe vegetiorem animum reddere*, ſtatuit Melanchthon, & quidem adeo, vt quid in quaque re maxime conueniat, aut proſit, rectius perſpiciat. vt enim corporum robur exercitio confirmari videamus, ita fieri poſſe, negauit doctorum ſapientisſimus, quin hebeſcerent eorum animi, qui nullo ingenioſo labore excitarentur. Quare neminem de hominum ingeniis melius mereri, arbitratus eſt, quam qui dicendi exercitationem adiuuent. Et hoc ipſum ſtili exercendi ſtudium, quum *Wittebergam* concesſiſſet, iuuentuti magnopere commendauit, dilucide commonſtrans, *niſi* ea *ſeſe ad bonorum auctorum imitationem componeret*, *recte dicendi iudicandique facultatem prorſus eſſe deſperandam* (e). nec fruſtra; nam ex quo tempore

 Me-

(d) de Vita Phil. Melanchthonis Narrationis p. 10, edit. Vœgelin. an. 1566. Narrationem enim hanc ſæpius & in Germania & in Batauis eſſe recuſam, nouimus.

(e) vid. ſupra iam a me commendata elegantisſima Phil. Melanchthonis de *ſtudio artium dicendi* oratio, T. I, Declamat. p. 389. Præter Ciceronem *P. Terentium*, in primis atque *Iulium Cæſarem*, asſidue legendos commendauit iuuentuti, ita tamen, vt *Ciceronem* potisſimum ſibi proponeret, omnique ſtudio effingere conaretur: Tantum enim

Melanchthon Wittebergensem academiam doctrina sua beare cœperat; hæc nouum plane ab ipso eruditionis lumen in se translatum sensit. Enimuero licet ea eruditos antea habuerit doctores, quam Philippus Friderici Electoris auspiciis eo est arcessitus: quorum numero præter *Buschium Herm. Tulichius* cum primis fuit, laudati *Murmellii* auditor: qui Lipsiæ etiam bonas litteras tradiderat, priusquam Wittebergam abiit; quo postremo loco *Lutherus* tanti operam eius æstimauit, vt ipsi scripta sua, quod stilum spectabat, sæpius corrigenda dederit (f). rudis tamen sæculi squalor detergi, litterarumque cultus ante Melanchthonis aduentum penitus enitescere ibi non potuit; dum cogitationum sollertiæ explicationis officiebat adhuc obscuritas, nec optimarum litterarum artiumque pulcritudo ordine ac elegantia prius conspiciebatur, quam sapientiæ horror qui-

aberat, vt vllius generis artificem sine imitatione fieri posse statueret, vt Poetam aut Oratorem exsistere posse, negaret, qui nullum certum proponeret sibi exemplum, ad quod manum quasi dirigere liceret.

(f) Herm. Hamelmann. orat. de Doctis Westphaliæ viris Op. hist. p. 123. Idem *Tulichius* est, qui vel primus, vel cum primis primam ætatem in ludo Lunæburgensi recte erudiit. vid. Io. Caselii cit. ad Io. Reccium epist.

quidam doctrinæ veluti serenitate Melanchthonis ductu est depulsus (ff). Miserebat scilicet eum iuuentutis, quum videret, optimis quibusque auctoribus velut ordine motis, in pretio esse, amari, teri libellos quosdam ἐφημέρες, quorum alii simpliciter inepti erant, alii etiam perniciosi (*). Hinc iure a Caselio is habitus est, *qui politiores litteras primus Wittebergam intulerit, præ omnibus præclare de Saxonia meritus* (g). & cuius in-

(ff) Camerar. Narrat. de Vita Melanchth. p.27, & 31.

(*) Cris. Melanchth. p. 227.

(g) in Νέω καὶ προδιδασκ. E. 4, b. Nam etsi *Christophorus Scheurl*, Patricius Noribergensis, & Iuris in academia Wittebergensi doctor haud obscurus, in oratione, quam an. 1507, vndecim ante Melanchthonis in eam aduentum annis, quum *Iodocus Trutfitter*, theologiæ professor, academiæ non ita pridem conditæ rector electus fuerat, habuit; ipsius huius Trutfitteri eruditionem mirifice prædicauit, cuius ingenii monimenta *Parisiensis schola* in manibus tum habuerit, nec probarit solum, sed ista etiam admirata propter vnum Trutfitterum *Germaniæ plus tribuerit*. Quanta tamen cæcitate vel in hac luce, qualiscunque etiam ea Scheurli iudicio fuerit, academiæ doctores laborarint, Io. Conr. Dietericus in perquam eleganti sua dissertatione de *Infelicitate sæculi superioris in Græcarum litterarum ignoratione*, aperte maxime ostendit, quando pag. 20, *Martinum Pollichium* Græca Logices vocabula enarrando ita hallucinatum esse, monstrauit, vt vel ex ima plebe philosophum puduisset Dieterici ætate. & hic tamen *Pollichius*, *Mellerstadius*, in Scheurli

ingenio felicius nihil censuisset Erasmus, *si totus Musis vacasset*; qui naturae felicitate contentus, nec artis, nec curae permultum ad scri-

oratione nuncupatur *artium, medicinarum, & theologiae doctor illustris, theologorum decanus, vniuersitatis primus rector, & vicecancellarius perpetuus excellentissimusque. Melanchthoni* ergo illa laus perpetuo manebit, ipsum *politiores litteras primum Wittebergam intulisse*. sed tamen ita, vt nec Trutfittero nec Pollichio debita laus detrahatur: siquidem grauissima ista temporum infelicitas Germaniam etiamnum premebat; quum fatalis elegantiorum studiorum ignorantia nondum penitus erat sublata, & ipsa ista *tempora, minime* vero *ingenia* Germanorum, adhuc *degenerauerant*, vt eruditissimus Dietericus in modo citata dissertatione prudenter ac dilucide commonstrauit. Neque vero Christophorus Scheurl praeconio priuandus est, qui etsi in orationis suae ad *Martinum Kotlebum*, Ducalem Saxoniae Secretarium, dedicatione veniam *orationi* depoposcit, *quae piperis cucullos subire, quam eruditorum censuram perferre maluerit*, & cuius auctor quotidiano docendi munere districtus rariuscule ad humaniora studia diuertere potuerit: satis tamen culta est oratio, satisque pro saeculi conditione ornata; ita, vt Trutfitterus *plus eloquentiae in Scheurlio reperisse* se, testatus sit, *quam in cuncta Saxonia quaesierat*: id quod ipse Scheurlius in dedicatione confirmauit: cuius oratione academiae recens constitutae status scite satis adumbratur. dignam idcirco ego eam diiudicassem, quae aliis ipsius monimentis in Pirckheimeri operibus adiiceretur. vtrum forsitan alibi typis denuo exscripta exsistat, equidem nescio: ego saltem nullam aliam orationis huius editionem, praeter eam, quae ipso anno,

fcribendum adhibuerit (h). Sed tamen eam omnes ferme in ipfo admirati funt, & fcientiæ & eloquentiæ facultatem, quæ ætatis gentisque rationem & modum longe fuperaret: & Lutherus in epiftola quadam ad Reuchlinum (i) *admirabilem eum virum vocauit, nihil pene habentem, quod non fupra hominem fuerit.* Primus certe Germanorum fuiffe videtur, qui cœleftis veritatis doctrinam obfcuris, fpinofis, & intricatis fuperiorum temporum quæftionibus expurgatam propria ac pura oratione explicuerit: quique votis dudum a Conr. Peutingero, illuftri viro, nuncupatis, cumulatisfime refponde-

quo habita eft, prodiit, confpexi. Ceterum orationis nitorem & in hoc & reliquis Scheurlii lucubrationibus comparere, mirari defii, poftquam legeram, eum complures annos in *Italia* effe commoratum, vnde Romani fermonis cultum in Germaniam fecum attulit. Si quis viri merita noffe, & quid præterea fcripferit, fcire voluerit, Conr. Rittershufii Commentarium de Vita Bil. Pirckheimeri, & huius ipfius opera, quibus vnum & alterum Scheurli fcriptum fubiunctum eft a Goldafto, Pirckheimerianorum collectore, euoluat. inter Charitatis Pirckheimeræ, Abbatiffæ, epiftolas, & quidem omnium prima, Scheurli epiftola fefe fiftit, qua doctisfimæ feminæ libellum infcripferat, quum in Italia adhuc verfaretur: in hac epiftola *Studii Bononienfis Syndicum* fe nuncupauit.

(h) Ciceronian. p. 379.

(i) lib. II epift. illuftr. viror. ad Reuchlin. c. 4, 2.

rit. Hic enim ineunte XVI sæculo in optatis habuit (k), vt philosophi, theologi, & omnes alii, qui liberalia studia profiteri sese dicerent, vocabulis sordidis plebei sermonis fere, & sophisticis argumentationibus non necessariis, reiectis atque confossis, senticosis captionibus & confragosis abstinerent, bonis & sinceris agerent omnia mentibus, & si qua castiganda essent, pie, debita fide, summoque iure castigarent, & noctuinam fugerent atque dispuerent litterarum inscitiam.

Quamuis vero Melanchthon maxima animi intentione in Theologicam disciplinam incubuit, ingenuas tamen artes colere, omnibusque modis ornare, ac veteres auctores studiosæ iuuentuti commendare numquam destitit: licet Erasmo aliis rebus intentus eloquentiæ studium magna ex parte abiecisse visus sit (l). Equidem quosdam longe aliter, ac Erasmus fecit, hac in re mecum sensuros esse, arbitror, haud inficiaturos, Melanchthonem optimarum litterarum doctrinæve studia conformando, & expoliendo scholasticæ rei consulere nullo plane tempore cessasse, a primis quasi lineis ordientem, ad ipsas doctrinas maiorumque rerum scientias progressum. Id quod præter Camerarium diui-

(k) ibid. a. 2, b.
(l) Ciceron. p. 379.

diuini ipsius ingenii monimenta, quæ nobis reliquit & plurima & eruditissima, testari possunt (ll). Nam persuasissimum sibi habebat, *nisi litteris conseruatis, durare religionem, & bonas leges non posse*, & ἀδύνατον prorsus *esse, vt cœtus Christo in his terris proprius sine scholasticis conuentibus ac bonarum artium cultura constitui ac persistere queat.* Inde in studiorum exordiis & primis elementis versari aut Deo minus gratum, aut sibi inhonestum esse, nequaquam existimauit. immo ipsa ista fundamenta fideliter & accurate collocanda censuit, super quibus præclara aliquando doctrinæ exstrui deberent ædificia. & quum *inscitia Grammaticæ* omnes artes, religionem ac leges ingentibus tenebris obruat; & nisi quis grammaticen recte didicerit, ceteras artes Ecclesiæ ac Reipub. necessarias tueri non queat: neque puerilia studia grammaticis etiam præceptiunculis instruere se piguisse, neque huiusmodi operæ

(ll) Io. Caselius etiam Prolegom. in Thucyd. interpret. testatus est, Melanchthonem ad bene de mortalibus merendum propensissimum hoc numquam non egisse, vt ad veterum sapientissimorum hominum scripta amanda & perdiscenda, quibus nihil melius, nihil pulcrius, nihil perfectius statuerat, litterarum studiosos introduceret.

ſe puduiſſe, confirmauit (m); idem ſentiens, quod *Quintilianus* olim iudicauit, vbi *eos, qui grammaticam artem vt tenuem ac ieiunam cauillentur, minus ferendos*, cenſuit (n): *quæ niſi oratori futuro fundamenta fideliter iecerit, quicquid ſuperſtruxeris, corruat neceſſe ſit; neceſſaria pueris, iucunda ſenibus, dulcis ſecretorum comes: & quæ vel ſola omni ſtudiorum genere plus operis habeat, quam oſtentationis* (o). Plura de ipſis Melan-

(m) in epiſtol. ad Ioach. Camerarium ipſius Melanchthonis grammaticæ an. 1552 ed. præf. conf. porro T. I declamat. p. 443. & T. II, p. 209, 231. vbi doctiſſimas præfationes offendes, quas Melanchthon Metricæ Iacobi Micylli, & Syntaxi præmiſit.

(n) lib. I Inſtitut. orator. cap. 4, § 5.

(o) Multus eſt Melanchthon in hac Quintiliani adfirmatione probanda in præfatione Syntaxi præmiſſa, modo a me citata: *Scio*, inquit p. 230 T. II declam. *eſſe puerile ſtudium, & negotium videri leue, ſed mihi credant adoleſcentes, non minus prodeſſe generi humano Grammaticen, quam pleraſque alias artes aut profesſiones. hæc*, quibusdam interiectis pergit, *religionum, legum, hiſtoriarum, & multarum artium, quaſi nutricula quædam eſt.* Quum circa an. 1530 *Thom. Linacri de Emendata Structura Latini ſermonis libri VI* ex Britannia in Germaniam eſſent allati, eosque ſtudioſis ad emendate, & vere Latine loquendum, ad recte iudicandum de phraſi, & omnibus Latinæ linguæ figuris, magnopere profuturos iudicaſſet Melanchthon; vt opus quamprimum in Germania excuſum, in omnibus pasſim ſcholis ſpargeretur, curauit: illos, qui ludis litterariis præ-

lanchthoniani ingenii monimentis, quibus *Latinæ linguæ*, eiusque non *purioris* solum, sed *copiosioris* etiam ac *ornatioris* studium subleuatum iuit summus vir, addenda non puto: in eruditorum manibus ea hodieque versantur, plurimi, vt par est, a rerum gnaris æstimata. Eos videlicet, qui sine præceptis quemquam consequi posse, putent, vt certam loquendi rationem teneat, & de natura sermonis recte iudicare queat, tota via & toto cœlo errare, statuit: immo pessime de pueris Melanchthonis iudicio merentur præceptores, qui aut regulas nullas tradant, aut certa statim abiiciant, & magnifice promittant, fore, vt vsu loquendi discantur constructiones: quum aliter fieri non queat, quam vt ii, qui præceptiones non didicerint, paullo post vel erroris sui, vel ignauiæ pœnas dent; quando inscitiæ suæ sibi conscii, nec loqui, nec scribere Latine audeant. Hinc sua ætate factum, adfirmat Melanchthon, vt alii desperatione quadam in totum abiecerint litteras, alii etiamsi in studiis sint commorati,

 iustos

erant, diligenter hortatus, vt doctissimum Linacri librum, quo nullum perfectius in hoc genere scriptum exstare tum videbatur, adolescentibus proponerent atque prælegerent; si vulgares regulas breui prius tradidissent compendio. vid. elegantes præfationes, quas Camerarius & Melanchthon ipsi Linacri libro addiderunt.

iustos tamen fructus ex iis percipere haud potuerint (p).

Tantum de *dicendi genere*, quo vsus est communis Germaniæ nostræ Præceptor, quædam adiiciam, brevi comprobaturus, de Melanchthone dici non posse, quod Quintilianus adfirmauit (q): *eos, qui diligentissimi artium exstiterint scriptores, ab eloquentia longissime fuisse.* Is potius quum *bene ac proprie loquendi studium perpetuo custodiri plurimum reipublicæ interesse*, quemadmodum paullo ante declaraui, sibi persuasisset, nec non scribendi dicendique exercitationes diu in academia Wittebergensi intermissas summa instituisset cura (*): & rerum vtilium ar-

(p) eod. T. p. 223. Nam, *etiamsi ad quotidianum colloquium satis formularum suppeditat lectio, quid facient*, interrogat p. 226, *qui omissis præceptis ex sola auctorum lectione iungere verba didicerunt, si longior caussa explicanda erit, quomodo compositionem illam periodorum, & totam seriem membrorum in oratione intelligent, nisi omnem rationem Syntaxeos probe cognouerint? Postremo obscuras aut vitiosas Syntaxes quomodo iudicabunt, nisi adhibitis regulis;* & quæ sequuntur grauissima verba alia.

(q) Institut. orat. lib. VIII cap. 1.

(*) cuius curæ *VI Declamationum Tomi* vberrimi sunt testes: quorum sexti præfatio vere prædicat, ipsarum *declamationum* lectionem, etsi eæ ad eloquentiæ ostentationem & panegyricas pompas compositæ non sint, propter rerum tamen varietatem, viros de-

argumenta vt orationibus tractarentur, publiceque declamarentur, perfecit, & suo etiam exemplo ad pure ac emendate scribendum Germanos magnopere allexit. Cuius *naturam a granditate abhorrentem* iudicium & voluntatem eius ad curam in *castigato* potius quodam, *puro* atque *sano orationis genere* versandi, quam in *sublimi & vehemente, & cuius compositio operosa esset*, elaborandi conuertisse, autumat Camerarius. qua in re Erasmum sibi adsentientem habuit, qui Melanchthonem *naturae suae felicitate contentum, nec artis, nec curae permultum ad scribendum adhibuisse*, censuit (r), *extemporali dictioni quasi natum.* At quando Erasmus scire se, negauit, *an* Melanchthonem *adfectantem nerui defecturi fuissent*; Camerarius scrupulum huiusmodi remoturus visus est, vbi *lucubrationes viri* in testimonium quasi conuocauit, quas satis confirmare posse, opinatus est, auctori *non ingenium defuisse, non copiam atque sapientiae & doctrinae vim, non singularem litterarum eruditionem, sed inchoata perficiendi atque elimandi tempus atque otium* (*). Posteaquam aequissimus, vt in

ctrinae ac veritatis amantes delectare, & proficere cupientibus magno vsui esse posse.

(r) Ciceron. p. 379.

(*) ipse quidem pro insigni sua modestia de se scripsit: *Me ingenii infirmitas impedit, quo minus hoc decus*

in hac, ita & in reliquis rebus, iudex pluribus verbis probauit, *ſubtilem omnino & argutam concinnitatem & proprie diſerteque eloquendi omnia ſtudium doctrina diſputationibus & ſcholaſtica veluti vmbra conueniſſe*; ceteras *Melanchthoniani ſtili* virtutes integris paginis enarrauit (s), quas tranſcribere nihil attinet (ſ). Nec vero ſolos Germanos ſingulares

(Ciceronis imaginem) *ſperare vmquam auſus ſim, etſi quid eſſet optimum, videbam.* addit tamen continuo: *deinde incidi in has rixas, in quibus diſputatio aliam pene linguam requirit:* multisque interpoſitis: *miſeriæ noſtræ non ſinunt, nos in ſtudiis eum curſum tenere, quem maxime probamus. Vtor ergo hoc parabili ſermonis genere, vt poſſum.* Criſ. Melanchthon. p.445, ſeq.

(s) Narrat. p. 73 ſeqq.

(ſ) Egregia ſunt, quæ Frid. Taubmannus de Melanchthonis *dicendi genere* in Diſſertat. de Latina lingua profert p. 34, ſeqq. vbi præter alia, ab iis potisſimum, quos vel ingenii vel doctrinæ ratio ad exquiſitius genus difficulter admittat, obſeruandum duxit, *Philippi orationem*, eam præſertim, quam illa robuſtæ ætatis ἀκμῇ & vigore, ſed & in otio maiore, quo tamen optimus vir vt plurimum caruerit, elaborarit, *ita comparatam* iudicari a prudentioribus, *vt, ſi peiorem nemo ſcribat, nullum ſit periculum, ne reſpublica litteraria, ob hanc quidem cauſſam, damnum aliquod grauius patiatur. planam enim & apertam orationis faciem, in qua verborum & phraſium obuia & nuda ſimplicitas dominetur, in Philippico dicendi genere deprehendi*, addit: quod Iac. Monauius Criſ. Melanchthon. pag. 636, *proprium*,

lares Melanchthonianæ dictionis dotes suspexisse, verbosior Iac. Sadoleti epistola (ss) satis declarat; cuius viri iudicium eo grauius, eoque verius ac incorruptius existimandum puto, quo maiorem ei propter summam dicendi facultatem ab omnibus impertitam nouimus laudem. Minus inuidiosus, sed simplicis veritatis studiosissimus hic Italus in epistola ista, se Melanchthonis scripta propter excellens eius ingenium, & propter *elegantiam stili atque orationis* libentissime legisse, adseuerauit. Hæc de Melanchthonis in Latinæ linguæ apud Germanos magis magisque

disertum, planum, perspicuum, significantissimum ad omnem dicendi rationem maxime accommodatum & directum esse, monstrauit. Melanchthonis propterea *Epistolarum* lectionem nemini iniucundam esse posse, censuit Camerarius, in præfat. Epistolar. ad ipsum a Melanchthone scriptar. quum in iis non tam compta, & accurato exquisitoque elegantis ac venustæ compositionis studio perpolita, quam *pura, distincta, perspicua, & vsitata oratio, & rebus, de quibus habetur, conueniens*, non possit non honestissimis blanditiis legentes delinire.

(ss) Camerarius integram eam Narrationi suæ inseruit, p. 172 seqq. quam *Io. Brant* nondum editam credidisse videtur, dum eam inter *Claror. Virorum Epistolas centum ineditas*, vt titulus præ se fert, Amstelæd. an. 1702, 8, p. 290, s. num. XCVIII typis exscribendam curauit; quamlibet ea etiam inter epistolas Melanchthonis, a Peucero editas, reperitur: & quidem in edit. Londin. lib. III, n, 39. p. 519, seqq.

gisque concitandum ſtudium meritis dicta ſufficiant. Camerarii Narratio, qua limatius ac eruditius quicquam vix excogitari poteſt, iis, qui plura de tanto viro ſcire cupiuerint, abunde ſatisfaciet ; nec aliquoties repetita diſplicebit (t).

Non autem exquiſitisſimis modo diuini ſui ingenii monimentis præclare de poſteritate meritus eſt Melanchthon, ſed etiam in perpetuum Germaniam ſibi deuinxit eo, quod tot excellentibus ingeniis doctrinam de manu quaſi in manum tradiderit, cum poſteris fideliter communicandam : & quod prudentisſimo ipſius conſilio in omnibus fere Germaniæ angulis *litterarum officinæ* ſint conſtitutæ, ac ſalutaribus maxime legibus ſtabilitæ : quibus Romani ſermonis cultus ita amplificatus eſt, vt *medium XVI ſæculum, & qui id proxime anteceſſerunt anni, vere aurea præſtantisſimæ Linguæ in Germania noſtra*

(t) Confer præter Narrationem Camerarii, *Orationes, Epitaphia & Scripta, quæ edita ſunt de Morte Phil. Melanchthonis omnia,* coniunctim edita Wittebergæ an. 1561, 8. ex offic. *Io. Cratonis.* His addantur *Criſeis Melanchthonianæ,* de eligendis optimis quibusque in omni diſciplinarum genere auctoribus, *collectæ* à *Gregor. Richtero* Isleb. an. 1597, 8. præſertim p. 631 vsq. 768. vbi ſcil. de ſingulis *Melanchthonis lucubrationibus* iudicia recenſentur, poſtquam in genere primum de iis iudicia erant prolata.

stra aetas appellari posse videantur: quandoquidem opportuna magis ad meliorum litterarum artiumque copiam addiscendam tempora vix optare potuerunt tum Germaniae ciues. Horum plurimi ab Hegii discipulis praeparati quasi, Melanchthonis exemplo, ad quem videndum, compellandum audiendumque innumerabiles vndique locorum conuenisse, legimus, ita denuo inflammati sunt, vt de laude ex bonis litteris petenda certarent; sic tamen, vt nemo metueret, ne quid de suis vel laudibus vel vtilitatibus decederet alterius gloria atque commodis; & vt ipse Melanchthon sua saepius merita aliis adscribere haud dubitaret. Prosperrima itaque fruebantur tum *humaniores litterae in Germania* fortuna: vtpote quae in huius academiis *ita colebantur, vt nemini persuasum esset, se sine iis vllam sapientiae professionem tueri posse: Graecae* & *Latinae linguae scriptores* summo eam in rem euoluebantur ibi studio, sedulo a doctoribus iuuentuti commendati atque excussi (u). Quae quum ita sint, neminem temeritatis me insimulaturum, spero, si adfirmauero, *florentes quasi ex Germaniae academiis longe eruditissimorum & Latine doctissimorum hominum emissas tum esse colonias.* Enimuero peritissimos isto tempore patria

(u) Camerarius in Narratione de Eob. Hesso, init.

tria noſtra habebat *ſcholarum moderatores*, doctisſimos fouebat *grammaticos*, *interpretes*, *rhetores*, atque *oratores*, elegantisſimos oſtentabat *poetas*, grauisſimosque *hiſtoricos*, facundisſimos ſummis Principibus præbebat *miniſtros*, *iureconſultos* atque *ſenatores*: Latinisſimos etiam alebat *medicos*: neque bonarum artium litterarumque cupidisſimi derant *theologi*. Quæ arroganter ſatis ſcripta quibusdam videbuntur: in primis exterorum nonnulli, ſi modo omnino erunt, qui Commentarios hos meos dignos diiudicauerint, quos inſpiciant, neſcio cuius, me talia ſcribentem coarguent fortaſſe audaciæ. Quod ſi inſtituti ratio permitteret, ſcriptis fidem facere intermiſſurus non eſſem, cordatisſimos idcirco exteros, alienæ laudis minus inuidos fautores, teſtes adducturus. At quum breuitati ſtudendum, & ſumma ferme dumtaxat argumenti capita pertractanda decreuerim: vix *præcipuos humanitatis aſſertores*, *Latinitatisque vindices* nominando adfirmationem iſtam meam probabilem reddere licebit, nedum accuratum ac plenum eorum indicem a me exſpectare te iubeam, Lector.

Prius vero quam vnum & alterum ſecundum claſſes iſtas, ordinis cauſſa paullo ante a me conſtitutas, collaudem, ſiue nominem

potius,

potius, IOACH. CAMERARIVM *Pabepergensem*, Germanis carissimum & toties hactenus a me adductum nomen, summum Noribergensis scholæ, Tubingensis deinceps academiæ, atque Lipsiensis denique ornamentum, Melanchthoni adiungendum censeo: quum alter alterum mirifico prosecutus sit amore. accedit, quod tanta exstiterint Camerarii in politiorem litteraturam merita, vt inter eruditissimos Germaniæ grammaticos, interpretes, rhetores, oratores atque poetas, primum locum sibi possit vindicare: quippe qui in vtroque sermone, Latino & Græco, tantum adsecutus erat cognitionis, vt & verbis Ciceronis, quæ volebat, Latine enuntiaret, & Græce melius, quam vllus fere Italorum aut Gallorum scriberet (v); & quem

Aa do-

(v) Matth. Dresser. præfat. Rhetor. lib. III, p. 553. qui Camerarii mortem oratione, an. 1574 in academia Erfurdiana hab. deplorauit; lib. I orat. Dresser. p. 235 inf. Grauissimum Melanchthonis de *Camerarii stilo* iudicium legitur Melanchthon. Cris. p. 444, seqq. Scripta videlicet Camerarii propemodum vt Dureri picturas discernere consueuit Melanchthon: nam quemadmodum Durerianæ picturæ grandes & splendidæ omnes fuerint, sed posteriores minus rigidæ, & quasi blandiores, ita, quum Camerarius XXXVIII circiter haberet annos, & copiam, splendorem, sonumque grandiorem amaret, futurum denique censuit Melanchthon, vt, fidibus nonnihil quasi remissis, oratio eius hilarior etiam exsisteret;

doctisſimi ſummique vtriusque gentis homines amplisſimis adfecerunt laudibus; *Germanorum* ætatis ſuæ *ingenioſisſimum, & linguæ vtriusque principem, totius* denique *Europæ decus & ornamentum* eum appellantes (x). Neque vero Germania vmquam ignorauit, quantum decoris ſibi Camerarii eruditione obtigerit; quum tam clarus exſtiterit, vt vel ſolus doctrinæ gloriam, qua inuidi patriam priuatam voluerunt, aſſerere valeat, qui magnus vtique fuit, ſiue eius virtutem, vitæ grauitatem, & conſilii copiam, ſiue multiplicem bonam doctrinam ſpectaueris; bene de iuuentute Germaniæ, bene de litteris in vniuerſum ad poſteritatem meritus: quantus vir fuerit, præclara ipſius ingenii monimenta hodieque dilucide maxime nos edocere queunt (y). In his quotiescunque occaſio tulit, hono-

qualem in epiſtolis familiaribus fere vſurpauerat: poſtquam compoſitionem periodorum ad Ciceronis imaginem inſtituerat; cuiusmodi compoſitio antea in Camerarii ſtilo deſiderabatur: etſi nec verba, nec phraſis Ciceronis deerant. tantum recentia eius ſtudia præſtabant ſuperioribus.

(x) Caſp. Scioppius de Arte Critica p. 7. & Huetius de claris interpretib. p. 277.

(y) Io. Caſelius in Orat. funebri Andr. Mylio ſcripta D. 3, b. in Proleg. in Thucyd. interpret. Camerarium *virum* nominat, *& virtute & litteris ita præſtantisſimum, vt princeps doctisſimorum Germaniæ iure appellari posſit.*

honorificam maxime magiſtri ſui, *Georgii Helti*, *Vorchemii*, fecit mentionem, velut boni, diligentis, doctique iuuenilis ætatis moderatoris, ſic de ſe meriti, vt non minus gratiæ ei, quam parentibus, debere ſe faſſus ſit (z). quem *Herm. Buſchii* reſponſione, ſupra a me prolata, motum, *Ciceronis epiſtolarum* ordinariam horæ quotidie vnius doctrinam in frequenti admodum ſchola ſua inſtituiſſe, & ſe vnam quotidie ex illis memoriæ mandare iusſiſſe, ſcribit; quod quaſi penſum indies fere ad veſperam exigere conſueuerit (a). Nec minorem gratiam habuit Camerarius *Petro Moſellano*, *Treuiro*, quem poſt *Richardi Croci*, *Britanni*, ex Lipſienſi academia diſceſſum magiſtrum nactus eſt, & quem ingenio ac eruditione doctrinæ excelluiſſe pasſim prædicauit (b). P. Moſellani huius, Buſchii atque Cæſarii, quibus Coloniæ ope-

 ram

(z) de vita Melanchthonis p. 216. Quantum debuerit *Helto*, pluribus etiam verbis expoſuit in vita *Georgii Principis Anhaltini*, p. m. 12. vtpote qui Lipſiæ eodem vſus fuerat præceptore: & in binis *epiſtolis*, quas ad eumdem Principem *de* optimi ſui *Helti morte* ſcripſit, una cum Melanchthonis atque Lutheri epiſtolis, quibus religioſisſimum Principem Georgium, fidelisſimi præceptoris obitum lugentem, conſolatum iuerunt, Camerarii Narrationi adiectas, p. 50, ſeqq edit. Lipſ. 1696.

(a) in præfatione in Epiſtolas Ciceronis ad familiares.

(b) vid. Narrat. de Vita Melanchth. p. 91.

ram dederat, discipuli, mentio iniicienda fuit, propterea quod humanitatis Romanique sermonis in Saxonia vindicibus strenuum admodum sese præbuit adiutorem, & quidem ante Melanchthonis in Wittebergensem academiam aduentum. Præclaræ eius eruditioni *Iulius Pflug* plurimum acceptum retulit (c), præmaturum eius ingenium vehementer suspiciens; cuius fœtus adhuc admirari licet.

Quando supra scripsi, eruditissimos Melanchthonis ætatem habuisse *scholarum moderatores:* ingens talium ineundus esset numerus; non, si omnes ac singulos, quis enim id posset? sed si dumtaxat præcipuos eorum enarrare vellem. Horum itaque nonnullos, scriptis quam maxime claros, summorum virorum verbis collaudare in animo est. Plures qui cognoscere cupit, *cl. Gotofr. Ludouici Scholarum Historiam* consulat velim. quem virum honoris caussa nomino; qui iuuentutis meæ studia in Schleusingensi gymnasio, cui bene multos iam annos magna cum laude præest, per integrum triennium vna cum *Christia-*

(c) in epistola ad Hessum, P. II Monimentor. Pietatis & Litterar. p. 31, seq. Quantum debuerit Iulius huic suo magistro, oratione, qua illum laudauit, testatum fecit, a Caselio in orat. funebr. Andr. Mylio scr. citata D. 1, a.

Christiano Iunckero, clarissimo viro, optime de bonis litteris, & Isenacensi nunc Lyceo, merente, tam egregia direxit fide, vt vtrique eorum quam plurimum debeam, gratiam perpetuo habiturus: præsertim quum publicis singularis sui in me amoris ac beneuolentiæ testimoniis semel atque iterum in doctis suis lucubrationibus condecorare me haud dubitarint. Inter optimos aurea ista Latinæ linguæ in Germania ætate viuentes ludorum magistros, Melanchthonis partim æquales, partim discipulos, scriptis etiamnum celeberrimos, primo loco ponendus videtur IO. RIVIVS *Atthendoriensis*, *Westphalus*, eodem, quo Camerarius, natus anno. Hic enim merito suo, si non omnium primus, inter primos tamen, censetur, qui, postquam in Saxoniæ regionibus inculta loquendi ratio, Agricolæ, Hegii atque Dringebergii discipulis, Buschio cum primis, meliora vbique Germanos docentibus, nonnihil sordere, & altera eruditam vetustatem sapiens elegantibus ingeniis placere paullatim inciperet, Saxones ad veterum imitationem adsuefecerint (*): siquidem omni in id ferebatur cogitatione, vt *singulorum verborum vim ac*

(*) Io. Caselius in Oratione funebr. Andr. Mylio scr. C. 2, 2. & in epist. cit. ad Io. Reccium, ubi laudabilia multa de Riuio narrat Caselius.

proprietatem doceret, compositorum elegantiam & vsum monstraret; & vt in scriptis, quae proponebat, exempla & imitatio illorum elucerent (d). *Buschium* enim atque *Tulichium*, incredibili inimicorum pertinacia impeditos, quantam quantam adhibuerint industriam, desperatam fere antea rem eo, quo maxime voluerint, inter Saxones perducere non potuisse, vidimus: qui tamen Riuio viam substruxisse recte putantur, a *Melanchthone* atque *Camerario* egregie deinceps communitam. quamuis negari non potest, non parum Latinae linguae sordium ex plerisque *Misniae* scholis, quibus praefuit, expurgandum reperisse Riuium; & ei non leuia bonarum litterarum caussa cum harum inimicis ineunda fuisse certamina: quorum summam subinde inscitiam carpendi caussas habere sibi videbatur iustissimas. Non autem peritis modo scholarum moderatoribus adnumerandus est Riuius, sed meritus quoque est, vt *grammaticorum*, *criticorum* ac *rhetorum* eruditissimorum classi addi queat: dum in bonis scriptoribus emendandis non sine laude

(d) G. Fabricius in Narratione de Riuio longe elegantissima, digna idcirco, quae ab omnibus legatur. M. Adamus Philosophorum vitis eam maximam partem inseruit p. 147, seqq. Riuianarum lucubrationum indicem quaere in Hamelmanni lib. III de Viris in Westphalia illustr. oper. p. 175.

de desudauit; immo talem in hac opera sese præstitit, vt tum etiam, quum litteræ summopere erant excultæ, principibus criticis adscribi potuisse videatur (e): siquidem eius *in Terentium*, ex quo præcipue Latinæ linguæ addiscendæ auctor suis exstitit assiduus, atque in *Sallustium castigationes* ab Italis & Gallis in pretio habitas esse, scimus. Is etiam est Riuius, qui *Brassicani* & *Henrichmanni grammaticis libris* breuiorem ac tironum captui accommodatiorem multo substituit; & qui iuuentuti concinna *rhetorices* proposuit *præcepta*. in quibus artibus, vt in omnibus reliquis disciplinis, *Melanchthonis* præsertim industria Germaniæ iuuentutis commodo magnopere deinceps est consultum.

In eo etiam singulari felicitate vsus est Riuius, quod egregios in prouincia sua habuerit collegas, quos inter MATTHIAS MARCVS DABERCVSIVS, ad *Megapolitanos* tandem euocatus, vir pluribus verbis a magno Caselio passim laudatus (f) vtpote in quo omnia, quæ

 ad

(e) Casp. Scioppius in Arte Critica, p. 7.

(f) in citata modo oratione funebr. Andr. Mylio scripta, & in Grammatica, cui ad *Grammaticodidascalos* præfationem præmisit; loco ex *Commentatiuncula Dabercusii* ad calcem libri subiecto: quo multa vocabula recensentur: quorum vsus fuit apud optimos scriptores, etiamsi regulis aduersari videantur: vt iis de linguæ Latinæ proprietate tuto & recte vti

ad rem ſcholaſticam pertinent, eodem teſtante, fuerunt eximia, & qui in perquam doctis lucubrationibus, quibus Latinæ linguæ ſtudium adiutum iuit, accuratisſimum ætatis ſuæ ſe præbuit *grammaticum*. ADAMVM SIBERVM porro in adminiſtranda re ſcholaſtica habuit Riuius adiutorem, atque IOBVM MAGDEBVRGVM, viros perdoctos, elegantisſimisque ſcriptis claros maxime, & a plurimis collaudatos. Neque vero in *Miſenenſi ſchola* indignum habuit *ſucceſſorem*, *collegam* antea carisſimum, GEORG. FABRICIVM *Chemnicenſem*, de cuius doctrina ac noua dicendi facultate magnam ſua etiamnum ætate famam fuiſſe, laudatum modo Caſelium teſtem habemus (ff). cuius viri teſtimonia eo libentius adfero, quo inſigniorem eius nouimus fuiſſe eruditionem, & quo maiorem in eo cognoſcimus in iudicando gra-

intelligamus. Multum laudis impertiuit etiam Caſelius Dabercuſio in cit. epiſt. ad Io. Reccium; præter multa alia narrans, tum, quum Dabercuſius Suerinenſi ſcholæ præfuerit, non ſolum pueros nobiles & fortunatos, & tenues e prouincia, ſed ex longinquioribus etiam locis, & e Borusſia, & e Polonia eo accurriſſe, nec inanes domum reuerſos. Idem confirmauit in Laudatione Io. Alberti Ducis Megap. C. 4. vbi Dabercuſium *virum gnarum vtriusque linguæ, ſollertem interpretem veterum, induſtrium formatorem & ſtili & morum pueritiæ* nominauit.

(ff) in cit. funebr. orat. Andr. Mylio ſcript. C. 3. a ſeq.

grauitatem. Qua doctrina fuerit, quantumque & dicendo & ſcribendo valuerit *Fabricius*, ipſius eruditas & perpolitas lucubrationes loqui, iudicat Caſelius (g): quas ſimul omnibus de cauſſis apud viros doctos in pretio eſſe, & locum ſuum inter melioris notæ iſtius ſæculi monimenta facile tueri poſſe, cenſuit: neque dubitauit, quin recte dicendi facultatem in *Italia* potisſimum ſibi comparauerit Fabricius. quo cum *Wertheris fratribus*, nobilisſimis & magna deinceps eruditionis, & in litteratos beneficentiæ laude

(g) ibid. E. 4, a, *ludi Fabriciani formam* exponit, qua commodiorem habuiſſe tum Saxoniam, negat, quum pleraque ibi recte fuerint conſtituta *Etenim pueros*, inquit Caſelius, *in vtraque lingua informari rectum eſt, itemque ad ſcriptores legendos & recte intelligendos adduci, teneri diutius in poetis, non ſolum, quod verſus hærent in memoria, ſed etiam, quod animi hac via ad rectæ vitæ rationem præparantur, ſi eorum ſit doctus interpres: nec arceri ab hoc genere, ſi ingenia eo declinent: ad puram orationem non minus, quam ad elegantes mores aſſuefieri: in ſcribendo exerceri pueros pro ætatis captu: doceri præcepta non multo plura, quam neceſſaria ad dicendum: quæ ad diſſerendum faciant, pauciora: ipſam facultatem & vſum relinqui philoſophiæ magiſtris. His omnibus parantur ingenia ad percipiendas vberiores doctrinas, non deprauantur opinionibus.* Et ad hanc tamquam egregii ædificii formam complures pasſim in Germania ſcholæ tum conſtituebantur.

conſpicuis hominibus, abierat *ephorus*. Vſitatum enim adhuc erat, id quod dudum a Germanis inſtitutum fuiſſe, cognouimus, vt Germaniæ adoleſcentes, qui doctrinæ ſtudia colebant, *Alpes* tranſirent, auditum doctos homines, & viſum *Italiam*. Iſtuc autem tendentium paucisſimos ſemper eloquentiæ & ſapientiæ ſtudia colenda ſibi putaſſe, ſcribit Caſelius, vel quod exemplo potius, quam ratione conſilia vt plurimum dirigere conſueuerimus, vel quod non appareat ſtatim horum vtilitas. Eloquentiæ vero ac ſapientiæ ſtudia in Italia recte colentium Germanorum numero Fabricium, & quidem in primis, adſcripſit Caſelius. ingenii certe opibus onuſtus inde in Germaniam rediit, & ſuos ad lectionem, meditationem, & ſcriptionem diligenter tum hortatus eſt; nec inuexit eo conſuetudinem, quæ loquaces forſan aliquos, eloquentem fecerit neminem. Præclarius autem teſtimonium impertiri Fabricio non potuiſſe, arbitror, illo, per quod Scioppius ipſum *maximi Camerarii veſtigiis inſtitiſſe*, confirmauit (i): quo maius decus Germaniam non habuiſſe, paullo ante clarisſimorum virorum de ipſo iudiciis oſtendi.

Vel paucisſimorum horum ex ingenti numero clarisſimorum magiſtrorum inſtituta

hac-

(i) de Arte Critica p. 7.

hactenus a me commemoratio de *summo litterarum in Misnia flore & maximo Romani sermonis cultu* satis mea quidem sententia testari potest. de cuius regionis felicitate, qua prae aliis Germaniae prouinciis hac in re vsa videtur, neminem legisse poenitebit eruditam Dissertationem de *Graecarum & Latinarum litterarum in Misnia Instauratoribus*, & eam, quae de *Io. Rhagio Aesticampiano* agit (k). Nec vero reliquae Germaniae prouinciae nullos tum, medio, puto, XVI saeculo, eruditos habuerunt ludorum moderatores. Quos si laudare etiam instituerem, magnus sane aperiretur mihi de iis scribendi campus. Tantum ex innumerabili fere eorum numero nominabo, VALENTINVM FRIDLANDVM TROCEDORFFIVM, optimum *Melanchthonis*, posteaquam publico iam praefuerat muneri, *discipulum*, & de bonis litteris in *Silesia* suscitandis praeclare meritum: quem *ad regendas scholas non minus natum, quam ad regenda castra Scipionem olim Africanum*, laudatus modo eius praeceptor pronuntiauit (l). Nomi-

(k) vtraque supra iam a me est citata: quarum altera sub praesidio cl. Io. Burc. Menckenii habita est Lipsiae an. 1701: altera ib. an. 1703 praeside M. Dan. Fidlero; quo respondente prior ista publice erat ventilata.

(l) in cuius Declamation. Tom. V p. 817 integra oratio de *vita & gubernatione scholastica Frid. Trocedorffii*

Nominabo porro MICHAELEM NEANDRVM, huiusque ciuem BASIL. FABRVM: quos egregios ſcholaſticæ iuuentutis ductores *Luſatiam* protuliſſe, nouimus: qui tam bene eodem iſto tempore de litterarum ſtudiis, tanto hominum ardore adhuc excitatis, feliciter in Germania propagandis promereri iam cœperunt, vt ampliſſimam vterque ſua opera conſecutus poſtea ſit laudem, nullo tempore intermorituram. Quorum ille *Saxoniæ inferioris* bono ex patria *Northuſam* primum, deinde *Ilfeldam* conceſſiſſe prædicatur a Caſelio, de vniuerſa doctrina & viris doctis certiſſimo cenſore (ll). dum non primus quidem, ſed tamen prima ante omnes cura bonas litteras in *Hercinia* iuga & omnem,

reperitur: quam M. Adamus vitis Philoſophor. inſeruit pag. 167 ſeqq. conf. cl. G. Ludouici hiſtoriam Scholar. pagin. 107, ſeq. P. I. & paullo ante allegatam de Io. Rhagio Aeſticampiano diſſert. §. III. Tanta eius tum in dicendo tum in ſcribendo diligentia exſtitiſſe dicitur, vt ſummo caueret ſtudio, ne quam vel vocem vel phraſin, minus propriam, publice proferret, & vt diu ſæpe, multumque hæſitaret, priusquam commodam, ad animi ſenſa exprimenda, vocem memoria erueret. Criſ. Melanchth. p. 126.

(ll) quo præconio *Ioſ. Scaliger* a Caſelio eſt adfectus. huius de Neandro teſtimonium inuenies in vita Valentini Mylii ab ipſo Caſelio conſcr. Helmſt. an. 1611, 4. A. 4, b.

omnem, quam *Bructerus* a summo vertice despicit, viciniam detulit, tantaque nominis sui gloria docuit *Neander*, vt pietate sua, virtute, doctrina, meritisque non istis solum locis, sed per omnem Germaniam exstiterit notissimus; & in quas academias *Neandrici discipuli* venerant, plerisque statim aliis praestarent, in Graecae praecipue linguae cognitione: quorum numero *Laurent. Rhodomannus* fuit, vir non Caselii modo, sed Ios. Scaligeri etiam, aliorumque testimonio, cum priscis & elegantissimis comparandus (m). Ad *Bas. Fabrum*, Neandri, iuuenis adhuc, in Northusano gymnasio, cuius aliquamdiu rector fuit, collegam, quod attinet; non minus bene de iuuentute liberali doctrina formanda meruit; & eam *Eruditionis scholasticae Thesauro*, quo Latinae linguae munditiem proprietatemque conseruare studuit, perpetuo sibi deuinxit, libro, tot clarorum Germaniae virorum summa industria magnopere posthac adornato (n). *Reuchliniani Breuiloqui*, cuius superiori capite mentio a me facta est, haec scribens recordor, tamquam clari exempli, nihil simul & inuentum & perfectum esse, sed ab humili quasi ducta ad summum, vel prope sum-

(m) ibid. & in epistola ad Theod. Adamium separatim excusa A. 2.

(n) vid. cl. Ludouici histor. Scholar. P. I, p. 24, seqq.

ſummum, hominum ſtudio omnia peruenire.

Habes, optime Lector, præſtantisſimorum quorumdam Germaniæ noſtræ ſcholarum moderatorum ex aureo iſto ſæculo nomina, eaque per ſe longe celeberrima *Io. Glandorpii* & aliorum extremo capite mentio fiet. Non minorem clarorum *interpretum* numerum patriam noſtram tum habuiſſe, P. Danielem Huetium luculenter admodum docere, memineris (o). Qui, *poſtquam Germania interpretandi ſtudium arripuerit, eam tam pertinacem in eo ſe exercuiſſe*, adfirmat, *vt vix vlla gens meliorem, nulla certe vberiorem interpretum fœtum tulerit.* Equidem omnes, quos nominat, ſi paucisſimos exceperis, Melanchthonis ætatem, & quæ hanc proxime anteceſſerunt tempora, tuliſſe, deprehendes. Præter enim *Reuchlinum, Pirckheimerum*, ipſum *Melanchthonem*, *Camerarium*, *Neandrum*, laudatisſimos & enumeratos hactenus a me viros, pluresque alios, *Sigismundum Gelenium* laudat, *Io. Langum, Iuſtum Vulteium, Hieron. Wolfium, Guil. Xylandrum, Io. Leunclauium.* Qui omnes ſane Melanchthonis ætate, & paullo poſt floruerunt; ſingularem laudem ſtudio, quod in interpretandos auctores contulerunt, conſecuti. SIGISM. GE-

(o) de Claris Interpretibus p. m. 273 ſeqq.

GELENIVM quidem *Bohemum* natione fuiſſe, non ignoro, Germanis tamen adnumerandum eum putaui, quia & Huetius id fecit, & Melanchthoni, quo præceptore vſus eſt, plurimum debuit. accedit, quod perſuaſiſſimum ego mihi habeam, Bohemos non ægre laturos eſſe, ſi quis ciuium ipſorum inter finitimos Germanos mentionem fecerit. Virum vtriusque linguæ peritiſſimum, valde ingenioſum, & mirabiliter diligentem fuiſſe Gelenium, Camerarius, qui ſe eius *ſodalem* vocauit, teſtatus eſt (p). Huetius etiam perquam honorifice de eo iudicauit, dum vix quemquam pluribus interpretandi artem monimentis ditauiſſe, cenſuit, Gelenio, diſerto in primis habito ac elegante. LANGVS, *Freiſtadienſis Sileſiacus*, raram fidem cum pari eloquentia & nitore, VVLTEIVS, *Wetteranus*, elegantis & perſpicuæ Latinitatis laudem, Huetii ſententia obtinuit. WOLFIVS, *Oettingenſis*, eodem iudice exquiſita linguæ vtriusque facultate præditus ad interpretandum acceſſit. qui quum Græcæ linguæ perpetua induſtria pene ſupra omnes vindex exſtiterat, eum omnes Iſocratis atque Demoſthenis orationes ita interpretatum eſſe, cenſent eruditi, vt neminem eo in genere æquaturum ipſum eſſe, exiſtiment. XYLANDER.

(p) de Vita Melanchthonis, p. 105.

DER, *Augustanus*, summam vtriusque linguæ peritiam cum elegantioris humanitatis & philosophiæ, ac mathematicæ disciplinæ cognitione comparauisse, pretiosasque tot doctrinarum opes huic vni propemodum interpretandi studio consecrasse, eidem Huetio visus est. qui etiam IO. LEVNCLAVIVM, *Westphalum*, in eodem studio tam mirabilem reperit, vt quemquam scientius in eo versatum constare sibi, negarit, plurimis aliis præconiis & hoc demum addens: *Summa in Leunclauio concinnitas, perspicuitas, incorrupta Latinitatis castitas, & ipsum, quod in aliis raro inueniri, existimat,* αὐτοφυὲς (q). Huetii iudicia de industria hactenus retuli, quum id, quod demonstrandum suscepi, nulla re magis comprobari posse videretur, quam si declararem, virum tantæ inter Gallos auctoritatis atque eru-

(q) Qui singulorum horum virorum vitas cognoscere desiderat, eas apud *M. Adamum* offendet: cui *Clarmundum* addat, ad complura monimenta, quibus de iisdem agitur, lectores suos ablegantem. Plura vero de eorum doctrina iudicia *Th. Pope Plount*, in Censura Auctor *Adr. Baillet* Tom. III d. Iugemens, atque *Dan. Georg. Morhof.* in Polyhist. litterar. subministrant. Conf. etiam *Abrah: Bucholzeri* Index Chronolog. & *Io. Henr. Bœcleri* de Rebus Sæculi XVI liber memorial. cum Commentario *Io. Burc. Maii*, Kil. an. 1697, 8. inprimis Elogia viror. erudit. ex historia *Thuani* a *Teisserio* collecta & cum additionibus Gallice edita.

eruditionis tam bene de Germanorum in bonas litteras meritis & Romani sermonis studio sensisse: cuius æquis & incorruptis plane iudiciis Doleti, Bouhursii & reliquorum, qui inter ipsos istos Gallos ad Germanorum gloriam imminuendam conspirarunt, commenta infringi facile poterunt, ac penitus euerti.

Celeberrimos nonnullos Germaniæ ludorum magistros atque interpretes hactenus enumerando, præstantiores simul *grammaticos* siue *criticos*, eruditos *rhetores*, nec vulgares *oratores* nominaui: quare separatim mentionem eorum facere necesse me habere, non arbitror. *Io. Langus* cumprimis grauis ac disertissimi oratoris in Ferdinandi I, Romanorum, Hungariæ atque Bohemiæ tum Regis, aula munere egregie est perfunctus; dignus etiam, qui haud infelicibus sæculi sui poetis adnumeretur.

Cuiusmodi *poetarum*, postquam innumerabiles fere in Italia Petrarchæ vestigia secuti, reliquarum Europæ nationum industriam in hoc quoque studiorum genere exercendam concitarunt, ingens etiam in Germania fuit prouentus: quorum vel sola nominum commemoratione integræ impleri possent paginæ. Quare paucorum tantummodo ex istis, qui Melanchthonis tempore, siue aurea ætate,

de qua mihi in præsenti sermo est, floruerunt, nomina proferam. quorum perdiuitem venam exterorum eruditissimi admirati, ingeniosos ac optimos prædicauerunt eos poetas (*). De ipso *Melanchthone*, cuius magnum ingenium atque ad omnia comparatum ex poematiis etiam, quæ dedit, intelligi posse, Iul. Cæsar Scaliger iudicauit (r), de *Camerario*, *Sibero*, *Fabricio* (**), *Vulteio*, aliis

(*) Melanchthon in epistola quadam ad Comites Lipsienses scripta Deo gratias egit, quod Germaniæ sua ætate poetas aliquot dederit, quos & erudita antiquitas probasset: quorum scripta inter vetera poemata iuniores legere vtile iudicauit, vt exempla considerarent, quæ ostendant, quomodo veri Dei laudes in Ecclesia carminibus celebrare possint.

(r) lib. VI Poetices, qui *Hypercriticus* inscribitur, pag. 308, edit. nitidiss. & accuratiss. in fol. an. 1561 ap. Anton. Vincentium.

(**) Si quis ignorauerit, quam elegans poeta fuerit *Fabricius*, nec ipsa carmina eius cognoscere decreuerit, iudicia modo, priori in XXV Poematum sacror. libros præfationi subiecta, consulat; inter quæ Sturmianum hoc reperiet : *Habet Saxonia virum magnum, Georg. Fabricium, magnum virtute & doctrina : versus facit puros, apertos, festiuos, & huiusmodi, vt etiamsi laurea non donaretur, tamen vere suapte natura & industria laudatus sit laureatusque poeta*, M. Neandri porro in Erotem. Gr. L. præfationem euoluat: p. 209, poematum libris, qui Basil. an. 1567, ex officina Io. Oporini prodierunt 8, enumeratis, sequens additur elogium : *Libri certe scholis puerilibus valde vtiles, qui & pueris legendi &*

aliis, qui reliquis ſuis in litteras meritis carminis quoque adiunxerunt gloriam, agere denuo nolo. *Hel. Eoban. Heſſus* potius prodeat, popularis eius *Euricius Cordus, Iac. Micyllus, Georg. Sabinus, Io. Stigelius, Petrus Lotichius.* elegantisſima ingenia, de quibus Germaniæ noſtræ iure meritoque gloriari licet. An hæc HESSO ſuo ſuauius quicquam venuſtiusque tulerit, dubitatur; nec deſunt, qui *Teutonicum Ouidium* dicendum eum, exiſtimant (s): qui etſi præclara opera multa elaborauit ingenii bonitate, ac induſtria; nihil tamen maius aut melius in tota vita ſua præſtitiſſe videtur Camerario, quam quod *Pſalmos Dauidicos* religioſe ac erudite in Latinas elegias transtulerit: quod vere *ſacroſanctum opus* vocat *omnibusque numeris abſolutum* (ſ). De CORDO ingenioſisſimo

 æta-

imitandi commendantur, a præceptoribus, & a pueris etiam ipſis vltro & libenter & cum fructu magno manibus teruntur, vt multum ipſi debeant & præceptores & diſcipuli: de quorum ſtudiis Fabricius hactenus multis modis ſubinde alio officii genere eos ſibi deuinciens præclare meretur.

(s) Ol. Borrich. de Poetis, § 155.

(ſ) in Narratione de Eob. Heſſo, Epiſtolis huius præmiſſa, ſummoque iure inſcripta: *Comprehendens mentionem de compluribus illius ætatis doctis & eruditis viris*; dignisſima profecto, quæ typis ſuperiori ſæculo denuo exſcripta, euoluatur ab elegantioris litteraturæ amantibus.

ætatis ſuæ poeta eximia multa idem Camerarius ſcribit, inter alia adfirmans (sſ), ſe puerum, poeticam egregiam rem eſſe, ſuſpicari tum cœpiſſe, quum animus ſuus eruditis Cordi ſermonibus captus eſſet: huiusmodi enim homines *Poetas* nominari, tum audiuerat. MICYLLVM, *Argentoratenſem*, Camerarius rectorum liberaliumque ſtudiorum cultorem vocat atque antiſtitem (t): quo neminem *Proſodiam* Latine eruditius aut diligentius tum ſcripſiſſe, Melanchthon cenſuit (tt). in præſtantiorum Germaniæ poetarum, optimorumque ſcholarum præfectorum numero ab aliis relatus eſt Micyllus, cuius docta atque perſpicua carmina eo magis elaborata videantur, quod illaborata ferme appareant (u): & qui in *Francofordana* ſchola magna celebrique fama iuuentutem optimis tum moribus tum litteris Latinis pariter ac Græcis informarit (v). SABINVS, *Brandenburgicus*, Melanchthonis gener fuit; qui quum

(sſ) in eadem Narratione B. 3, b. edit. Norib. an. 1553: quæ ipſas Heſſi Epiſtolas ſubiunctas habet: & in Vita Melanchthonis p. 214.

(t) in ead. Melanchth. vita p. 367.

(tt) in præfatione, qua Micylli metricam ornauit, T. II Declamat. p. 214.

(u) Borrichius diſſert. de Poetis § 162.

(v) Io. Hagius in Petri Lotichii Secundi vita, p. 418, 420.

quum adhuc puer ſingulari diſcendi flagrauerat ardore, & diuinus quidam impetus manifeſto in eo apparuerat, ad ſapientiæ virtutisque præſtantiam ſeſe efferens, vir euaſit, in quo ſingularem omnes ſuſpiciebant virtutem, doctrinam rerumque experientiam; variæ denique & ſingulares ingenii dotes (x); quæ effecerunt, vt pauci Germanorum poetarum anteponendi ei videantur: dum ei ſollicita maxime ac circumſpecta dictio fuit, quæ tamen non minus natiua facilisue appareret (y). STIGELIVS, *Gothanus*, tamquam germana ſoboles laudem ac nomen, quod Heſſum ingenio, induſtria, ac ſtudio ſibi peperiſſe, cognouimus, legitimam quaſi hereditatem ab illo relictam adiiſſe, cenſetur (z), qui liberali cognitione & virtute, ſapientia ac carminum facultate non facile alteri vlli ſuæ ætatis cedens (a), poetici huius genii fi-

(x) Camerarius in vita Melanchthonis p. 209 ſeq. & 336. vbi multa memoratu digna cognoſcuntur de Sabino.

(y) Borrichius cit. diſſert. § 165.

(z) Camerarius de Eob. Heſſo Narrat. D. 1, b. quam huius Epiſtolis ſubiectam modo memoraui.

(a) Camerar. de Vita Melanchth. p. 266. Etſi Italia ſuauia & venuſta ingenia Melanchthonis ætate genuiſſe viſa eſt: hic tamen, vere ab ſe adfirmari poſſe, credidit, nondum poſt Ouidii ætatem cuiusquam in Italia venam *Stigeliana* dulciorem tum exſtitiſſe elegantioremque, in Germania autem Micyllum &

ducia omnis posteritatis memoriam recte sperare potuerit (b). Id quod LOTICHIVS *Solitariensis* non sperare, sed confidere potuit: vtpote qui vnus instar omnium Germanicæ gentis gloriam, quæ ad poeseos laudem pertinet, tueri potest: siquidem poetico studio toto vitæ suæ tempore totus deditus fuit, eique sic adhæsit, vt, quicquid extra carmen & versum agebat, quasi aliud agens ageret, & poeta natus non factus videretur (c). Quo neminem vmquam non solum e Germanis, verum etiam ex peregrinis felicius *Nasonis suauitatem & elegantiam* expressisse, vel exteri fateri necesse habuerunt (d): ita, vt compluribus mirum non sine iniuria visum sit, quid fuerit, cur Iul. Cæsar Scaliger de Poetis agens nullam plane Lotichii fecerit mentionem (e).

Ea-

alios felices poetas, Stigelio proximum ab Eobano locum libenter concessisse, censuit: quum nulla alia cuiusquam carmina exstarent, in quibus tanta luce, & tanto nitore ecclesiæ dogmata intertexta erant, quando in Stigeliano carmine. Cris. Melanchth. p. 477.

(b) Borrichius c. l. § 167.

(c) *Io. Hagius* in vita Lotichii eleganter atque verbose conscripta, huius operibus, edit. Vœgelin. an. 1586 adiecta, separatimque postea excusa.

(d) vid. ampliss. *Io. Frid. Cramerus* in Vindiciis Nominis Germanici p. 31 edit. Wetsten.

(e) Qui commemoratorum a me poetarum vitas, & de

Eadem porro Melanchthonis ætas *historicum* vidit, qui eo iudicio, ea fide, ea diligentia, ea etiam dictionis castimonia Commentarios suos exarauit, vt illum plerosque Græcorum Latinorumque superasse fatendum sit, nisi extera laudare vulgi more velimus potius, quam domestica. IO. SLEIDANVM his verbis, quæ Herm. Conringii sunt (f) quilibet per se facile coniecerit. Id etiam Melanchthonis æuo felicitatis contigerat, vt IO. AVENTINVM multarum litterarum virum, & egregium, quemadmodum ex superioribus patet, grammaticum admirari ei licuerit. qui tam excellentem se insuper præstitit historicum, vt quibusdam *solus* esse vi-

excellentissima eorum doctrina iudicia perdiscere voluerit, præter Camerarii de Eobano, & Hagii de Lotichio Narrationem, atque Ol. Borrichii de Poetis dissertationes, sæpius citatas, euoluat omnes auctores paullo ante a me, quum de interpretibus egeram, allegatos, *M. Adamum* intelligo, *Clarmundum*, *Bucholzerum*, *Baillet*. T. IV, P. 3 d. Iugemens. Eloges des Hommes Sçau. tirez de l'histoire de Mr. de Thou avec des Additions par Mr. *Teissier*. *Morhof.* Polyh. Litter. lib. VII, c. 2. & reliquos. quibus addat *Io. Petri Lotichii* Bibliothecæ Poeticæ Part. III in qua celebriores Germaniæ & Belgii Poetæ recensentur; vitis eorumdem velut in compendio additis: & insignem *Mich. Neandri* in Erotemata Gr. L præfationem p. 207, seqq.

(f) Præfat. I Cornel. Tacito de Morib. Germ. præm. p. 26.

deatur, *quo Germaniæ historia potuerit gloriari.* Diem suum is obiit, quum Sleidanus præclara sua sensim iam inclarescebat eruditione.

Quando vero etiam temporum istorum felicitatem facundissimos & Latinæ linguæ ad inuidiam vsque gnaros *ministros* Germaniæ nostræ *Principibus* præbuisse, adseueraui: adfirmationem hanc multis exemplis comprobare omnino possem: ex quibus vnum & alterum solummodo, breuitatis caussa, cui magnopere vbique studeo, adferam. Primum eorum, vt *Gregor. Pontanum* taceam (ff), singularis CHRISTOPH. CAROLOVICII, ex nobilitate *Misnica* equestris ordinis præcipui, virtus præbet, eruditio ac præclara in rempubl. & litteras merita: quibus in *Georgii* & *Henrici* Saxoniæ ducum aulis plurimum valuit; & in *Mauritii* atque *Augusti* Electorum gratiam deinceps sese insinuauit. Qui singuli Principes opera eius in maximis negotiis grauissimisque ad Imperatores, Reges ac Principes legationibus summo cum fructu magnaque nominis ipsius gloria

(ff) Iuris V. Doctorem & *Io. Friderici* Electoris Sax. Cancellarium: cuius vitæ cursum in eloquentia ad illustrandam gloriam filii Dei, ad ecclesiam & patriæ pacem collatum esse, Vitus Vinshemius in Oratione de Pontano T. V. Declamat. Melanchthon. p. 192 prædicauit.

gloria vſi ſunt: quam eruditisſimi eius æui viri præconiis, quibus certatim eum exornatum iuerunt, non parum amplificarunt. *Erasmus*, cuius inſtitutioni iuuenis ſeſe tradiderat Carolouicius, inter alias laudes, quas ei cumulatisſime impertiuit, & hanc protulit, eum *Latini ſermonis* tam *exacte peritum fuiſſe*, vt ſe ipſum non puduerit, illi palmam cedere (g). Melanchthon, quem conſiliis ſuis plurimum ſubinde adiuuit, teſtatus eſt, *multum iudicii ad Ciceronis eloquentiam effingendam attuliſſe Carolouicium.* Camerarius pasſim quoque eius meminit (h), velut a pueris optimis diſciplinis ac artibus præclare inſtituti atque egregie exculti, & in Reipubl. maximis grauisſimisque negotiis cum ſumma laude verſati equitis: cuius in retinendo vrgendoque bonarum litterarum ac humanitatis ſtudio incredibilis exſtiterit cura; præcipue in Melanchthone ſummo ſtudii eius antiſtite protegendo. Quis vero eſt, quem fugiat, HVBERTVM LANGVETVM, prudentisſimum atque eloquentisſimum virum, inſignem ſuam ac perutilem operam eidem Electori *Auguſto* complures annos com[illegible]daſſe.

(g) ep. 25, lib. XIX. in Ciceron. p. 379 ſcribit Eraſmus: *Chriſtophorus Carlebitzius, imaginibus maiorum ornatisſimus, ſed litteris ac moribus compoſitisſimis ornatior.*

(h) in Vita Melanchthon. p. 326, & alibi.

dasse. qui licet non Germanus, sed *Heduus*, siue *Burgundus*, natione fuerit, Melanchthonis tamen communis Germanorum Praeceptoris consuetudini, qua duodecim circiter annos vsus est, plurimum debuit; cuius initia vna cum laude, insolitis plane Langueti dotibus debita, verbosiore narratione prosecutus est Camerarius, negans (i), se vllum alterum audiuisse, qui tam prudenter, certo plane

(i) Melanchthonis cognoscendi cupiditatem Languetum ex Italia Wittebergam perduxisse, commemorat Camerarius ibidem (in Vita Melanchth. p. 341). Nam Melanchthonis & ipsius huius Camerarii fama tam celebris erat, vt aetatis eius eruditi scribant, quam plurimos nobiles ac doctos homines fama ista excitos ex Italia, Gallia, Hispania, Pannonia, ab vltimo vsque septemtrione, immo ex ipsa Graecia ac tota Europa certatim in Saxoniae oras aduolauisse, ad raram tantorum virorum doctrinam cognoscendam; haud secus, ac Romana olim iuuentus Athenas ad Cratippum, vel Plato in vltimam Italiam ad Philosophos Pythagoreos audiendos. vid. Ioan. Hagius in vita P. Lotichii p. 442. Quid, quod tantam exstitisse Melanchthonis auctoritatem ac celebritatem, Caselius in Secund. Luhiad. B. 3, 4 adfirmat, vt nemo fere absque hoc magistro litteris operam feliciter nauare se posse, crederet. qui quanto Languetum hunc suum complexus sit amore, epistolae, quas ad eum dedit, declarant, *Langueto, carissimo fratri*, inscriptae. Si quis plura de excellentissimo hoc homine cognoscendi cupidus fuerit, vitam eius legat *Mario* auctore elegantissime descriptam, & an. 1700. a cl. Io. Petr. Ludouico in 12. editam: cui lucu-

plane ac dilucide diserteque exposuerit, quicquid narrare instituerit. Quo ampliores Langueto tribui isto nomine videmus laudes: eo maiores omnis posteritas illis debebit gratias, qui ipsius ad *Augustum* Saxoniæ Electorem, ad *Camerarios*, & ad *Phil. Sydnæum*, epistolas diuersis temporibus iuris fecerunt publici. Insignis etiam eloquentiæ laude DAVIDEM PEIFERVM, *Lipsiensem*, grauissimum eiusdem Augusti consiliarium, ne ipse quidem liuor priuauerit: cuius elegans ac limatum dicendi genus in epistolis & reliquis, quæ reliquit, ingenii monimentis admiramur (k). Vt tribus prudentissimis eloquen-

lentam huius adiungat præfationem, quam Langueti secretis ad Augustum El. Epistolis præmisit.

(k) Honorificam admodum Peiferi mentionem fecit Fr. Taubmannus in epistola Dissertat. de Latina lingua præf. p. 6. vbi in vtraque oratione, libera pariter & adstricta, exercitatum eum fuisse, scripsit. Quanto studio Peiferus puriorem Latinitatem propagatam voluerit, eleganti sua ad Matth. Dresserum *de Latinitatis Magistris Commentatione* ostendit, *senili sapientia & eloquentia*, vt Dresserus vere eam appellat, *plena*: cui conscribendæ vt tempus assiduis occupationibus ereptum tribueret, propensior iuuentuti consulendi voluntas effecerat: quam grauissimis prolatis argumentis hortatus est, vt animum ad optimorum auctorum æmulationem transferret, vias in dicendo scribendoque a Latinis ipsis tritas indagans. Addidit Commentationem hanc Dresserus binis suis *orationibus*: quarum vna

quentisſimisque his Senatoribus addatur, meruiſſe omnino videtur ANDREAS MYLIVS, *Miſnenſis*, sereniſſ. Ducum Megapolitanorum Conſiliarius; qui poſtquam Dabercuſio magiſtro litterarum tirocinia abſoluerat, & in eloquentia Georg. Fabricii conſilio magnopere erat adiutus, in Lipſienſi academia Camerarium ſibi delegit, quem ſic audiret, vt conſilio eius maxime vteretur, & veſtigiis eius ſimul inſiſteret. Quanto ſtudio diligentiaque id fecerit Mylius, ſatis declarauit, quum ſummus Princeps *Io. Albertus* opera

de *libris*, *quos legere*, & *de orationis genere*, *quod imitari ſtudioſos decet*; altera de *modo parandi facultatem ſermonis elegantis*, & *cognoſcendi hiſtorias*, agit; Lipſ. an. 1596, 8, emisſis, an. 1606 deinceps ibidem, vna cum reliquis Dreſſeri orationibus, & ipſa Peiferi Commentatione, in vnum volumen collectis. Eiusdem commentationis citandæ infra etiam erit mihi occaſio, vbi de diminuto apud Germanos linguæ latinæ excolendæ ſtudio ſermo a me inſtituetur. *Peiferi* mentio hoc capite facienda videbatur, propterea quod eius iuuentus auream Latini ſermonis in Germania ætatem attigit, & quod vna cum laudatisſimo *Langueto* ſerenisſimi *Auguſti*, qui eadem hac felici ætate, extrema licet, ad temp. acceſſit, vno eodemque tempore fuit a conſiliis. Quodſi excellentisſimi viri præclara in Saxoniam merita inſpicere volueris; vitæ curriculum, quod eius *Lipſia* ſiue *Originum Lipſienſ. libris IV*, an. 1689, 8, curante cel. Ad. Rechenberg. editis, præfixum eſt, te ea edocebit.

pera eius vteretur: cui ſcilicet, quæ cum fructu legi poſſent, diſpicere, ac nodos diſſoluere iuſſus erat. cui prouinciæ tam præclare præfuit, vt, quum & prudentiæ & eloquentiæ ſtudia vſu vitæ multaque negotiorum tractatione in eo ſenſim maturuerant, Dux eum oratoris loco vbique ſecum duceret, nec a latere dimitteret ſuo, ſiue quid conſulendum fuerat, ſiue dicendum. Singulari præterea induſtria ac fide ſua effecerat, vt Princeps pleraſque legationes, præcipuas ſaltem ac longinquas, quibus Latine orandum erat, ei mandaret: quales creberrimas ad Imperatores, Reges, Principes, Imperiorumque & regnorum Proceres, tanta cum laude obiit, vt eius in dicendo facilitas, puritas, perſpicuitas, atque copia quum ceteris cultisſimis nationibus, tum potisſimum Polonis, admirationi eſſet; & vt Caſelius primas ei in eloquentia tribueret, præſertim quum neminem nouerat, qui ſe illi parem profeſſus ſit, plures vero, qui ei vltro ceſſerint (*).

Quum

(*) in oratione funebri ipſi *Mylio* ſæculi XVII initio ſcripta, at an. XI demum emiſſa. Fuit nimirum Caſelius Mylii gener, cuius filiam *Gertrudem* vxorem duxerat; decimo a nuptiis anno defunctam, quum nondum XXX annum exceſſerat. Lucubrationem vero hanc ſuam, neque temere ab ſe cogitatam neque ſubito litteris conſignatam, politicæ cultoribus, aditum ad remp. & regias molientibus

Quum tot omnibus in rebus factæ sint mutationes, ex quo Romani terrarum orbi leges imponere desierunt, vt noua multa in qualibet noua republica accedere deinceps, necesse

profuturam, sperauit sapientissimus senex Caselius; quum multa inde & suo & publico bono primariæ isti disciplinæ initiatus, tamquam ex statua *Polycleti* addiscere posset. Ita enim de multifariæ doctrinæ homine egit, vt de ipsius studiis multa passim sint adspersa. quæ non potuit non cognoscere Caselius quum ab adolescentia in *Mylianis ædibus* sæpenumero sit versatus: de quibus ipsis ædibus idem dici potuisse, censuit, quod de Musarum domicilio proditum sit: nam quemadmodum huius fores apertæ fingebantur; ita Mylianas etiam ædes bonis, litteratis potissimum, apertas fuisse, scribit. quos optimum socerum non solum commendasse, sed pro re sua, quibus potuerit modis, adiuuisse, testatur. Vtilia porro profert, vbi eloquentiæ cupidis dicendoque præstantium æmulis exponit, *vnde viro tanta ad dicendum exstiterit facultas*, quem *Demosthenem* & *Ciceronem* sic in manibus habuisse, adfirmat, vt neque alios despiceret, e quibus aliquid in vsus suos deprompturum sese, considerct; & vt ab ineunte ætate in litteris versatus, & eleganter eruditus ad veterum lectionem sic se contulerit, vt nec novos & bonos contemneret, & alicubi necessarios esse, fateretur: ab illis semina lectissimarum rerum & optimas sententias sumens, quibus *Commentariorum* suorum, quorum duo genera instituerat, hortos confereret. De his Commentariis multa etiam adnotauit Caselius, eloquentiæ studiosis conducibilia valde & accommodata. Vbi denique de ingenii monimentis, quibus socer posteritatem donauit,

necesse fuerit: siue, quemadmodum magnus Erasmus eamdem rem exprimit: *quum ita in diuersum sint mutata, religio, imperium, magistratus, respublica, leges, mores, studia, ipsa hominum facies, vt præsens sæculi status cum eorum temporum, quibus Cicero vixit, ac dixit, ratione parum congruere videatur* (l). Hæc, inquam, quum ita sint, peregrinis, quæ vetustas ignorauit, in oratione vti non adeo falsum putauit Caselius: qua sententia nihil plane de Latinæ linguæ dignitate derogauit grauis huius munditiei vindex (ll). cui nempe illi, qui contra eadem Latinius effari adfectent, longissime aberrare visi sunt, velut homines, qui negotiis tenebras lucem desiderantes inducant. Hæc si quis secum reputarit, *Medicis*, *Iureconsultis*, atque *Theologis*, felici isto sæculo viuentibus, tanto vitio haud vertet, credo, si eos in monimentis suis puritati non semper magnopere studuisse deprehende-

verba facit, hunc *Dionis Chrysostomi* quatuor de *Regno* siue *Regis officio*, libros diuinitus scriptos, tanta diligentia in Latinum sermonem conuertisse, iudicat, vt non aliunde translati, sed Latine compositi videantur; quum sententiam luculente expresserit, proprie ac perspicue. bonos etiam & exquisitissimos versus Latinos, quos cum admiratione & voluptate legas, scripsisse negotiis reip. semper occupatum virum, adiicit.

(l) in Ciceroniano p. 294.

(ll) in Epitaphio Io. Borcholdo scr. D. 2.

henderit; vocabulis, quæ Augusti, eiusque I & II sæculi successorum, ætas ignorauit, vsurpatis. Habuit nihilominus Germania altiorum disciplinarum doctores, qui dilucide pleraque, ac pura, quousque materia ferre id videbatur, exposuerunt oratione.

Si inter æui istius *Medicos* exstitit, qui curæ id sibi habuit; IO. CRATO A CRAFFTHEIM, *Vratislauiensis*, certe fuit, trium Imperatorum magnæ doctrinæ multique vsus medicus, & spectatissimus simul eorumdem consiliarius: cuius virtutum præconiis sæculi istius monimenta sunt refertissima. siquidem vir fuit, cui nihil antiquius erat, quam præclare de litteris, harumque cultoribus mereri: cuius, Io. Sturmio testante, de studiorum genere, quod puritatem & ornatum orationis sequitur, iudicium certum fuit atque sincerum (m), & qui ipse *diligenter omnia scripsit, belle, atque erudite*, Quanti Camerarius eum fecerit, aperte declarauit, vbi *ingeniosum, doctum* atque *eruditum iuuenem* iam cum fuisse, commemorauit (n), priusquam in Italiam profectius Medicinæ arti perdiscendæ operam dederit; id postea consecu-

(m) in epist. ad Crationis filium *Io. Baptistam*, Steph. Doleti Phrasib. L. L. præm.

(n) de Vita Melanchth. p. 253. conf. Dresseri oration. de Cratone lib. I orat. p. 299.

ſecutus, vt a præſtantibus ea facultate viris & artis præcipuis profeſſoribus non modo fauorem & caritatem, ſed admirationem quoque ac laudem ſit adeptus; eximia dignitate auctus deinceps & amplificatus. Qui ne talis quidem *Latinæ linguæ* cauſſa velle vmquam deſiit: ſed adfecta etiam ætate magnam elegantiorum litterarum curam ſuſtinere perſeuerauit; luculenta admodum ad filium *Io. Baptiſtam* præfatione oſtendens, ſe linguæ eius euehendæ ornandæque fuiſſe adhuc tum quam cupidisſimum (o). Vel ex hac ipſa præfatione ſæculi iſtius genium & ſingularem in Romanam linguam fauorem patefieri, arbitror: quemadmodum ſcilicet eruditi iuuentutem ad veræ laudis & puræ orationis atque vitæ ſtudium excitare elaborarint. *Crato* ſane filium ſuum præfatione iſta excitatum quam maxime volebat; vt is ſe non modo e numero corrupte & peruerſe viuentium, verum etiam ſcribentium eximeret, ita deſiderabat, vt nihil magis ex animo ſe exoptaſſe, teſtificaretur. Cratoni & alios ex eodem ſæculo medicos Latinæ linguæ amantisſimos addere poſſem. Quis enim neſcit, præter *Stromerum Aurbachium* (*), & *Ioach. Vadianum*,

(o) Hub. Suſſanæi Connubio Aduerbior. præf.

(*) Is idem *Stromerus* eſt, cuius ſuaſu *Huttenus* feſtiuisſimum Dialogum ſuum *Aula*, aliquoties impreſ-

num, ſuperiori capite laudatos, complures felicisſimo iſto ſæculi in Germania medicos multiplici doctrina, eloquentia, elegantiorumque litterarum ſtudio inclaruiſſe. in quorum numerum adſcribendi ſunt, *Gisb. Longolius*, *Georg. Sturcius*, *Iod. Willichius*, *Ian. Cornarius*, *Iac. Milichius*, *Caſp. Peucerus*, *Wolffg. Lazius*, & inter celeberrimos poetas iam nominati *Eur. Cordus*, atque *Petr. Lotichius*: nec non eruditisſimi Belgæ, *Iac. Bordingus*, & omnium facile princeps, *Hadr.*

ſum, conſcripſit, iocoſa ac lepida valde dedicatione ipſi nuncupatum: qua ſimul *Alberti*, Cardinalis atque Archiepiſcopi, cuius medicus fuit Stromerus, & cuius patrocinio Muſas, tamquam nouam coloniam in Germaniam deductam, fortiter defenſas eſſe, in ſuperioribus declaraui, laudes celebrat, extrema dedicatione ſcribens: *non magnopere noſtri nos ſtatus piget, ſub illo ſcilicet, omnium, quos hæc natio habet principes, benignisſimo humanisſimoque Alberto, qui quum maximo virtutum omnium teneatur ſtudio, & ſingularis probitati amicus ſit, inprimis tamen bonarum litterarum ſtudia, eorumque aſſertores, reuerenter ſuſpicit, ac liberaliter fouet. Quis enim nunc recte per Germaniam eruditus eſt, quem ille non norit? aut a quo tali vmquam ſalutatus eſt, quem non largo munificentiæ ſuæ imbre conſperſerit? Atque vt ſollicitus nuper fuit, ne quid ſe indignum pateretur bonus Capnion? vt cupide litteris ad ſe vocauit Eraſmum, cuius etiam nomini honorificam ſemper præfationem ſolet adiungere? & a nobis crebro percontatur, ex docte doctis, quid quisque faciat, quid patiatur.*

Hadr. Iunius (*). IO. LANGIVM tantum, doctrina vſuque præſtantisſimum quatuor Electorum Palatinorum Archiatrum, adducam, *Cratonis popularem*, at triginta amplius annis maiorem. Equidem non eo ſolum nomine Langii mentionem faciendam putaui, quod Romani ſermonis amans exſtiterit, ſed etiam quod magnus *Camerarius* eo vſus ſit *præceptore*: vt videlicet ſimul appareret, ſub quibus magiſtris tantus Germaniæ ciuis adoleuerit.

Neque in *Iureconſultis* Latine perdoctis, & de bonarum litterarum ſtudiis præclare meritis, recenſendis multus ero: qualium ingentem omnino numerum adducere posſem. Cui enim præter *Huttenos*, *Mutianos*, *Pirckheimeros*, *Peutingeros*, ſupra a me commemoratos, *Sebaſtiani Brand*, *Iacobi Sturmii*, *Ioannis* & *Hieronymi Baumgartnerorum*, *Dan. Stibari*, *Conr. Heresbachii*, *Thom. Wolffii*, & aliorum nomina obſcura ſunt? vtpote quorum amplisſima in humanitatis ſtudia ac litteratos exſtiterunt merita, mirifice ab Eraſmo, Melanchthone, Camerario, Sturmio, poſteritati commentata (**)

(*) de ſingulis vid. M. Adamus in vitis Germanor. Medicor. conf. Thom. Bartholini de Medicis Poetis diſſertatio, Hafn. 1669, 8.

(**) *Heresbachium* Eraſmus virum *omni litterarum genere abſolutum* nominauit, quo nihil excellentius

& quorum monimenta ſatis declarabant, quantum præ illis ſaperent, a quibus *Felini* iactabantur ſuperiore tempore, *Baldi, Bartholi, Iaſones, Accurſii, ſpeculatores*, ac id genus doctorculi: in quos inuehendi cauſſas Huttenus habuiſſe putatur plurimas grauiſſimasque; vbi homines, qui tot annos, tot perlectis voluminibus, quid iuris, inuenire haud potuerint, & qui tractabile alioquin ſtudium omni caligine inuoluerint, ac Cymmeriis plane tenebris obſcurius reddiderint, doctrinæ opinionem perſuadere ſibi potuiſſe, negauit, exclamans: *O mores, o ſtudia, o temporis huius capita, quin iſtas abſtergimus nebulas? & aliquando verum intuemur* (p)?

Abſter-

fuerit, ſiue vtriusque linguæ peritia ſpectata ſit, ſiue felicitas ingenii, ſiue morum comitas.

(p) Præfat. Nemini præm. A. 4, a. vbi clarum inſignis *Bartholiſtarum* inſcitiæ exemplum profert Huttenus: *Ex his*, ſcribit, *quemdam noui, inſignem aſinum quod mihi videtur, quod ipſi iureconſultum, qui aliquando ſimul audientibus nobis Papiæ illud iuris columen Iaſonem, quum is prælegeret, ac multis citatis auctoribus ſubiiceret, &* Alexander de Imola ac ſequaces *conuerſus ad proximum quæſiuit, quis ille eſſet* ſequaces. *Putabat enim ex gloſſatoribus uni* ſequaces *nomen eſſe. Ad idem ille*, pergit Huttenus, *qualis qualis eſt, nuper ex Italia rediit libris ac veſtibus ſplendide inſtructus, & inter doctores numeratur, ac me, qui melius capio Iaſonem, poſt tergum relinquit.*

Abstergere demum nebulas, & verum intueri cœperunt in Germania laudatisſimi iſti ciues, iuris peritisſimi. In horum numero referendus in primis eſt VLRICVS ZASIVS: quem Eraſmus ita ſuſpexit, vt nihil in Germania vidiſſe ſe, adfirmarit, quod æque ſit admiratus, atque Zaſii ingenium. cuius *orationem ſic ex tempore bonis verbis bonisque ſententiis, nec id ſine lepore, ſcatentem* adeo collaudauit, vt parem in Italo quoquam animaduertiſſe ſe, negauerit (q).

Quanta *theologorum*, quorum omnium inſtar eſt ipſe PHIL. MELANCHTHON; perpetuo talis vna cum beato MART. LVTHERO noſtro futurus, in bonarum litterarum & Latini ſermonis ſtudio in Germania magis excitando exſtiterint merita, pluribus perſequi nihil attinet. Plures, quorum ſi non æque magna, non contemnenda tamen hac in re fuerunt merita, theologos ſi nominare conſtituiſſem, *Iuſti Ionæ* etiam mentio facienda eſſet; qui tantum natura valuit, vt Melanchthon nullius ingenium ad eloquentiam aptius cognouerit; tanta in oratione eius vbertas erat, tantusque ſplendor, magna doctrinæ copia naturæ felicitatem inſtruente (r):

(q) in epiſtola ad Pirckheimerum, lib. miſc. ep. 54. vbi memorabilia de *Zaſio* leguntur.

(r) præfat. in Syntaxin: T. II Declam. p. 231.

mentio porro facienda esset *Vrb. Regii*, supra, occasione ita ferente, iam laudati, *Georg. Spalatini, Casp. Crucigeri*, & *Io. Bugenhagii*, cui R. Agricolæ, Hegii atque Herm. Buschii scripta, quæ superiorum temporum solœca corrigentia Germaniæ iuuentutem ad rectius loquendi diligentiam reuocabant, stimulos addidisse, legimus: & multorum aliorum piorum maxime, meliorumque litterarum, non ita pridem renascentium, & fouendarum in posterum, caussa cupientium theologorum: qui scilicet summi Melanchthonis & optimi Lutheri exemplo id faciebant: ex quorum schola prodiit etiam *Dau. Chytraus*, magnus sane theologus, optime de bonis litteris vindicandis vergente sæculo promeritus; cuius nomen ea re magnum per Germaniam exstitit.

Sed vt plures disciplinis scientiisque eruditos homines, Latinarum litterarum cupidos, nominem, instituti ratio non fert. Enimuero satis hactenus comprobasse, atque exemplis testimoniisque confirmasse mihi videor, *Melanchthonis æuum aureum Latini sermonis ac omnis in Germania feliciter demum asserta humanitatis fuisse sæculum.* Litteræ scilicet, quæ summorum Principum gratia exeunte sæculo XV in patria nostra diuino auspicio fundata, amplissimisque propositis

præ-

præmiis excitatæ erant, ſingulari cultorum concordia ac indefeſſo ſtudio opus vrgente; eæ ineunte ac procedente ſæculo XVI ad ſummum prope ſunt euectæ. Firmiſsimis teſtimoniis comprobare poſſem, tantum abeſſe, vt *Principum in litteras fauorem* medio XVI ſæculo imminutum conqueſti ſint earum antiſtites, vt mirifice adauctum eum prædicarint. Pii, Felicis *Maximiliani* veſtigia, vt in reliquis excellentibus regiisque plane virtutibus, ita in ſummo quoque erga optimas litteras exornandas amore ſecuti erant Auguſtisſimi eius *Nepotes Carolus V* & *Ferdinandus I.* quorum hunc veterum hiſtorias, & præclara poemata libenter legiſſe, publicis ſæpe occupationibus aliquam temporis partem, quæ in lectionem collocaretur, ſuffuratum; & tam laudabilem, tamque glorioſam liberorum diſciplinam domi ſuæ inſtituiſſe, celebrarunt iſtorum temporum eruditi (s): vt ſumma litterarum atque prudentiæ ornamenta ex tribus eius *Filiis* eluxerint: inter quos Cæſarem *Maximilianum II* ita litteris tinctum & inſtructum prædicarunt, vt loqui cum litteratis potuerit, & de ipſis ac eorum do-

(s) Melanchthon in præfatione ad Regem Ferdinandum in Danielem Proph. T. II Declamat. p. 233. & Io. Sturmius in præfat. in Steph. Doleti Phraſes & Formulas L. L.

doctrina grauissime verissimeque iudicare (f). Cuiusmodi plerique ætatis eius Germaniæ erant Principes: postquam diuino acciderat beneficio, vt præpotenti *Austriacæ domui*, inde a Maximiliani I temporibus, genti-

(f) Adolescentem perfectis moribus ac litteris erudiuerat *Caspar Vrsinus Velius*, natione *Silesius*, cuius funesta fata eo magis dolenda videntur, quo maiorem de se præbuerat exspectationem: si enim per ista licuisset, Velius inter eruditione, facundia, librisque celebres Germaniæ viros præcipuus futurus visus erat Erasmo lib. XXVI ep. 28 vbi laudes hominis fuse admodum prosequitur: inter alia elogia, quæ Velio ibi impertiuit, hoc etiam legitur: *Quanta ingenii promptitudo, quam emendata, vel ex tempore dicentis oratio, credas, illum de scripto dicere! quam felix stilus! quam varia rerum cognitio!* in Ciceroniano suo de eodem Velio Erasmus hoc tulit iudicium: *Vrsinus Velius in carmine felix, nec infelix in oratione soluta, spirituum & vrbanitatis habet affatim: vbi prodierit historia, quam de rebus a Pannoniæ Boœmiæque rege Ferdinando gestis texere dicitur, certius pronuntiabimus. mihi certa spes est, illum & Principis sui claritati & rerum magnitudini facundiæ viribus responsurum.* Qui plura de infelici hoc litterato (subito an. 1638 amissus est) percipere cupiet, euoluat, quæso, præter Erasmi lib. I, ep. 36. & VI, ep. 30, 31, P. Iouii Elogia doctorum virorum: honorificam admodum Velii reperiet ibi mentionem: *nobiles Poetas læto carmine, historicos stili grauitate superare* is videbatur Iouio. G. Matth. Kœnig. in Bibliotheca Vetere & Noua plures, qui memoriam viri conseruarunt, citat.

gentilitium pene esse cœperit, vt *Hercules Musarum* in ea cognosceretur suspiceretur-que (*). Bone Deus, quales habuit tunc *Saxoniæ Electores* atque *Duces?* quantam curam ii egerunt de *re scholastica* per eruditissimos viros summa munificentia concitatos melius communienda: qua nempe *vniuersam religionem niti*, sibi persuadebant. *Ad Rhenum Palatinatus Dominos* habebat omni Musarum laude maiores: qui litteras non solum amabant, sed etiam præclare intelligebant; ac multa non solum in otio, sed etiam in ipsis negotiis, in castris, inter tubarum atque armorum strepitum legere solebant. Id fortissimum Principem *Philippum*, *Ottonis Henrici Electoris* fratrem, egisse, Melanchthon scriptum reliquit (ss). Ipsum hunc Electorem *Heidelbergensem* suam *academiam* copiose atque eleganter ornasse, exquisitissima *bibliotheca* ibi instructa, quis ignorat? *Brunsuico-Luneburgicas* atque *Hassiacas* terras Principes etiam regebant, Musis quam maxime fauentes. De *Duce Ernesto*, quem omnes ac singuli potentissimi serenissimi-

(*) vide perdoctam R. Reineccii præfationem In Io. Glandorpii Onomasticon. Histor. Rom. qua hoc *Rudolpho II* Imp. dedicauit.

(ss) qui *Philippo* Abbatis Vrspergensis Chronicon luculenta nuncupauit dedicatione, quæ T. II Declamat. p. 187 inserta est.

ſimique Duces Brunſuico-Luneburgici hodie viuentes generis ſui agnoſcunt auctorem, legimus, eum in academia Wittebergenſi, vbi auunculus Fridericus Saxoniæ Elector, cui litteras tantum debere, ſupra ignouimus, ipſum vna cum fratre *Ottone* a Georg. Spalatino erudiendum curauit, linguam Latinam ita dediciſſe, vt huius copia neque in colloquiis neque in ſcribendo ei defuerit: poſtquam Lutetiæ etiam in eadem copia comparanda deinceps ſeſe exercuerat; hiſtorias Latine ſcriptas legere numquam deſinens: & tanto quidem ſtudio is hoc peregiſſe dicitur, vt quoties iter fecerit, librorum ſarcinam ſecum circumvexerit (t). Optimi Principis veſtigia in honeſta maxime ac laudabili re ſecuti ſunt patria virtute præditi Filii: quorum maximus natu *Franciſcus Otto*, quum puer Latinas & ſplendidas exararet epiſtolas, & ſumma induſtria in liberalisſimarum artium ſtudiis, ad publicam Germaniæ pacem retinendam, & propagandam Euangelii doctrinam pertinentibus, verſaretur; eum vtilem operam toti Germaniæ nauaturum fore, facile quisque ſibi potuit perſuadere (tt). Vtilisſimam etiam operam benignitate, qua do-

(t) T. IV Declamat. Melanchth. p. 721 vbi integra de *Duce Erneſto* comparet oratio.

(tt) earumd. Declam. T. II, p. 477.

doctrinæ ſtudia complexus eſt, Germaniæ nauauit ſereniſſimus Princeps PHILIPPVS *Landgrafius Haſſiæ:* cuius grauiſſimo iudicio ſummum Melanchthonis in aſſerenda optimarum diſciplinarum doctrina ſtudium ſingularem in modum commendatum eſt celebratumque (u). Inter Principes inſigni pietate & præclaris in eccleſiam ac bonas litteras meritis conſpicuos ætas iſta mirifice ſuſpexit GEORGIVM *Anhaltinum*, Principem religioſiſſimum iuxta atque eruditiſſimum: in quo quum doctrinæ auida & capax fuerat natura, puer celeriter grammaticam & Latinam linguam didiciſſe, memoratur; egregia Georgii Helti in Lipſienſi academia vſus inſtitutione (x). *Badenſi* itidem *regioni* Princeps tum præerat, qui etſi verbis ſimulabat, tamen re ipſa ipſe eius ſermo prudentia litterarum tinctus, quid in ipſo latitaret, indicabat (y). Quam amantes litterarum, litteratisque beneuolos Principes *Marchiæ Brandenburgicæ*, *Bauariæ*, *Moguntinæ* atque *Wur-*

(u) Camerarius in proœm. Narrat. de Vita Melanchthon. ad ipſum Philippum Landgr.

(x) Orat. de Vita Georgii Pr. T. III, Declam. Mel. p. 198. adde Camerarii de eiusd. Principis vita Narrationem, an. 1696 Lipſiæ recuſam, ſanctiſſ. Præpoſiti concionibus initio præmiſſam.

(y) Io. Sturmius in præfat. in Golii Onomaſticon, quã hoc Iacobo Marchioni Badenſ. inſcripſit.

Wurtenbergicæ terræ veneratæ ſint, & ſuperiore & hoc ipſo capite breuiter a me eſt oſtenſum. quorum vel ipſorum ætas, felicisſima, de quibus in præſenti ſermo eſt, tempora attigit, vel egregii nec minus litteris dediti exſtiterunt iis ſucceſſores.

In eadem felicia tempora optimi & ſapientisſimi Principis IO. ALBERTI, *Ducis Megapol.* ætatis flos incidit: qui quum abunde expertus eſſet, litteras mirifice ad humanitatem omniumque vitæ partium cultum conferre, nec poſſe res hominum mediocriter absque ſapientia conſtitui, ludos litterarios tanta per omnem prouinciam aperuit cura, vt merito ſuo omnium primus fuiſſe exiſtimetur, qui non ſuam modo gentem ad humanitatem & litteras deduxerit, ſiue compulerit, ſed litteras in vniuerſum etiam, præſertim ad litus Balticum pleno dignitatis exemplo ſummaque munificentia ſuſcitarit. quandoquidem nihil plane reliqui fecit, quod ad ingenia, quorum ipſe prudens cenſor erat, ſtimulanda pertinere videbatur; ampla idcirco litterarum ſtudioſis proponens præmia. De Io. Caſelii certe ſtudiis ita meritus eſt, vt hic ipſe lubentisſime profeſſus ſit, ſe, ſi quid præſtiterit, præſtitit autem quam plurimum, id Principis huius bonitati & erga ſe beneficiis potisſimum acceptum referre neceſſe habere.

bere. Quantopere vero vniuersas Musas sibi deuinxerit optimus Princeps, ex eiusdem Caselii, gratissimi totque beneficiorum numquam non memoris clientis, *Laudatione* patet, quam ei triginta circiter annis post obitum *ad Nepotes Adolphum Fridericum* & *Io. Albertum* conscripsit (z): postquam communem Germaniæ Mæcenatem in ipso etiam funere laudauerat (a), tamquam *rarum & singulare vitæ regiæ exemplum*, cuius pleraque dicta & facta mererentur admirationem; sed vnum præ omnibus, quod litteras incredibili plane complexus sit fauore. Nam quum *Latinam linguam* in haud vulgarem modum puer didicerat, & sublimiorum disciplinarum capax ei fuerat ingenium, tantum abfuisse, confirmat Caselius, vt tum, quum populum

(z) Helmæstad. an. 1611, 4.

(a) Suerini in summo templo prid. K. Mart an. 1676. oratio eodem anno Rostochii ex officina Iacobi Lucii prodiit in form. 8. Virtutes Io. Alberti D. perstrinxit etiam Caselius in oratione, memoriæ *Caroli*, Io. Alberti fratris, consecrata Helmst. an. 1610, 4, & quam an. 1592 *Ioanni*, Io. Alberti filio, conscriptam, ibidem edidit: nec non in oratione funebri *Andreæ Mylio*, Ducum Megapol. consiliario, scripta & an. 1611 Helmæst. ed. & aliis lucubrationibus: nam oblata subinde occasione Principis sapientiam & beneficentiam, quam erga studia sapientiæ & omne genus bonarum litterarum exercuit, prædicare haud intermisit Caselius.

pulum auſpiciis ſuis regere cœperat, litteris harumque cultoribus fauere deſierit, vt, quo plus, adultior factus, proficere voluerit, hoc impenſius litteras colere, iisque præditos amare, ingeniis delectari, & hæc mirifice fouere perſeuerarit. Quamquam ſcripſit Caſelius, doluiſſe Principem, non plures in terris ſuis fuiſſe varia bonaque doctrina politos; & quam maxime ipſum optaſſe, vt eiusmodi ibi homines naſcerentur: addit tamen, ſedulo indulgentisſimum Patriæ Patrem curaſſe, vt id fieret, nec rationem, qua voti huius ſui compos fieret, non inueniſſe, nullis plane parcentem ſumptibus, nec ab inſtituto deterritum, quod plus ex arca depromendum fuerit. Satis nempe fructus percepiſſe tum ſibi videbatur Princeps noſter, quum multos apprime nobiles & ſplendidos viros circum ſe conſpiceret, qui noua ornamenta a Muſis accepiſſent, ingenii dotes cum cura cuſtodientes, pro aulæ rationibus magis magisque in dies adauctas: nam præter legum ſcientiam eloquentiæ ac ciuiles prudentiæ laudem ii adfectabant. Horum nomina quum legerem in Caſelii lucubrationibus, de Eraſmi cogitabam vaticinio, eumque verum vatem exſtitiſſe, reperiebam: vtpote qui, vt ſupra commemoraui, confiſus erat, fore, vt eorum Germanicæ nobilitatis iuuenum, qui ad laudem

dem litterarum ſtudio comparandam iam tum contenderent, exemplum ad plures mox dimanaret; & *vere claram, generoſam, illuſtrem*, & *ſuſpiciendam* quamprimum futuram *Germaniæ nobilitatem*, quæ pro chartis & alea optimos veteres libros tractaret, pro ſcortis amplecteretur virgines Camœnas, pro bellis ac latrociniis ſanctisſimæ leges ac philoſophiæ decreta curæ ſibi haberet cordique. Enimuero nobiles illuſtria ſummorum Principum exempla asſidue intuebantur, vnde ſibi, quæ imitarentur, caperent. Illuſtre maxime huiusmodi exemplum cunctæ Germaniæ præbebat in primis IO. ALBERTVS: qui, quum *Latinum ſermonem plurimum amaſſet, genuinam eius puritatem ſingulari diligentia ſectatus*; vnde coniecturam cepit Caſelius, eum, qui puerum primas litteras docuerit, nihil in minutisſimis quibusque tradendis neglexiſſe: tanto litterarum flagrauit amore, vt absque eruditis ſermonibus haud cœnarit; & ſæpius vel poetam, vel hiſtoricum, vel oratorem, quam gemmatum calicem vino plenum in triclinium inferri curarit, pluresque libri, quam catelli Melitæi in curru eius viſi ſint. *Ciceronis* inprimis *epiſtolarum* lectionis tam cupidum fuiſſe Principem, referunt (b), vt has non aliter, atque Alexander Ho-

(b) R. Reineccius in præfat. lib. 14 Annotat. Io. Glan-

Homeri carmen, Scipio Xenophontis Cyri pædiam circumtulerit, manibusque triuerit. Animaduerterunt interdum satellites, f ruente venatione substitisse Dominum, nihil latratu canum permotum, nihil auersum ab instituta lectione, siue meditatione. Quum igitur litterarum amantissimum & erga doctos liberalissimum sese præbuisset, minime mirum videtur, singularem eius virtutem, & perpetuam in Musas munificentiam Caselii multorumque aliorum ore esse celebratam (*): quippe quos mirifica sua clementia suos reddiderat. Melanchthonem in primis, Camerarium, Georg. Fabricium, Adamum Siberum, in pretio habuerat, ad quorum litteras, quas subinde ad ipsum dederant, rescribere non dubitauit.

Ad summam singulas Germaniæ nostræ pro-

dorpii in Epist. Cicer. ad familiar. p. 511. vbi recens hoc atque inprimis memorabile Io. Alberti exemplum omnibus Germaniæ nostræ proceribus non ingratum esse posse, censuit Reineccius.

(*) G. Fabricius in dedicatione, qua ei Militiæ sacræ libros nuncupauit, inter alia præconia, quibus Principis summi virtutes celebrauit, refert: *Te in optimorum studiorum rerumque vtilissimarum cognitione versatum esse, scio: & tanta quidem ingenii facultate & copia, tanto iudicii acumine, vt & intelligas præclare, & sentias sapienter: & quæ in tanta dignitatis amplitudine virtus admirabilis est, bene sentientes audias, & admittas clementissime.*

prouincias aurea ista ætate Principes gubernabant, qui litteratos tamquam *laudum suarum præcones* fouebant, & mira dignabantur benignitate: dum ipsi plerumque cognoscebant, quid in quoque virtutis esset, atque litterarum, & in nemine non, quem cognouerant, virtutem & litteras liberaliter exornatum ibant. Quo clarius id appareret, illustre Io. Alberti, optimi Principis, exemplum, instar omnium, pluribus verbis Caselii ductu persequi volui. cui plura, nam in procliui erat, addere potuissem. *Iulii*, serenissimi *Brunsuicensium Ducis*, si longior esse cuperem, mentio in primis fieri deberet: cuius iuuentutem virtuti litterisque deditam Musis tam propitium sæculum valde suspexit, velut Principis optime aliquando merituri, & cognatorum paullo ante memoratorum vestigia, quod ad doctrinæ studia cumprimis attinebat, insistentis (c). Io. Alberti similes

 Prin-

(c) vid. Ἐπιτάφιος Princ. Iulio a Io. Caselio scriptus & an. 1589 Helmæst. editus; vbi ostenditur, plurimos tum in terris Brunsuicensibus exstitisse, qui cum armorum studio studium sapientiæ coniunxerint; postquam nemo ex ipsa nobilitate fuerat, quin, quum a filiis equos, arma, & quæ cum hisce cohærent, negligi passus non sit, tum plures litteris erudiri iusserit, facultate litteras in tot ludis apertis & florente *academia Iulia* discendi data. Se Academiam hanc, vti *filiam amoresque suos quotidie in ore habuisse, sibique dormienti etiam curæ eam fuisse,*

Principes *Latinum sermonem*, quum vniuersæ sapientiæ studiosis, tum regum filiis, non solum ob sapientiam, sed ob singularem etiam in omnibus Christiani orbis regionibus vsum, necessarium existimabant, quod maxima sæpe negotia cum exteris gentibus ac regibus eo ipso sermone gererentur, de quibus ab interpretibus erudiri non solum turpe principibus, sed & interdum periculosum videretur: tantum aberat, vt Germaniæ Principes ordine suo indignum crederent, quod quidam ad Alexandrum M. scripsit, *regium esse, cultissimam habere orationem.* Istius porro ætatis Principum illa cura erat (d), quæ paullo post ad pædagogos cœpit ablegari: & res academicas tantæ sibi habebant ii tum curæ, vt in intimam earum sese demitterent considerationem, confirmantes partim, quæ maiores bene ordinauerant, partim noua, eaque salutaria maxime, constituentes. Immo ipsos hos Principes in loca, plerisque fortunatis spreta hodie atque inuisa, sæpissime de-

scen-

dicere solitum esse Ducem Iulium, confirmat Caselius : qui simul serenissimum eius Parentem *Henricum*, huiusque duos reliquos filios collaudauit ; quorum natu secundus *Philippus* animum tam profunde imbuerat liberalibus disciplinis, vt doctrinas etiam vtiles ex Etrusco sermone in Latinum eleganter conuerterit.

(d) Morhof. Polyh. litterar. I, 24, § 44.

ſcendiſſe, legimus, in diſcentium profectus inquirentes, nec quemquam indonatum facile dimittentes, de quo virtutis ac doctrinæ ſpem conceperant: donis enim tironum ingenia excitari poſſe, ſibi perſuadebant, præſertim quum ii cognouerint, in litterarum ſpatio cum laude currentes munifice etiam a Patriæ Patribus adiuuari.

Quamdiu iſtiusmodi Principes imperabant Germaniæ; quibus nulli conſiliarii gratiores erant, quam quos vna cum nobilitatis ſtudiis litterarum etiam doctrina erudiuerat: quales Duces *Pomerania* quoque iisdem temporibus oſtentaſſe dicitur (e): qui nemini prope ſecreta conſilia committere conſueuerant, niſi *nobilibus litteratis*: ſiue quamdiu Pontani, Carolouicii, Langueti, Peiferi, Mylii atque Cratonis ſimiles, partim ipſa doctrina ducti, partim Dominorum ſuorum iudicio excitati, a conſiliis Principum erant, a barbarie magnopere denuo metuendum non erat. Accedebat, quod ad ſummorum Principum, & Ducum, Imperatoriſque exemplum minores etiam ordines ſeſe componebant. Vt vnius IVLII PFLVG, *Naumburgenſis Præſulis*, mentionem faciam: quotquot Germania eius ætate, quæ in aureum ſæculum cadit, eruditos habuit, ad vnum omnes maximum eum ve-

(e) Io. Sturmius in cit. præfat. in Golii Onomaſticon.

nerati sunt Mæcenatem : summis ipsius in litteras merita ad cœlum efferentes laudibus. id quod Melanchthon in primis fecit (*): inter quem & Iulium singularis intercessit vsus. Cuiuslibet præterea amplioris paullo Germaniæ ciuitatis *Senatus* doctos ac peritos ludi intra pomœria sua constituendi moderatores liberalibus satis oblatis præmiis, tantoque certamine, ad se arcessitum ibat, vt, quo melius quæque Respublica erat constituta, eo liberalior erga studiosos tum exsisteret. Satis enim prudentissimi quidam vrbium Senatores perpendebant, quantum ad omnis prosperitatis, diuinarum humanarumque rerum ac salutarium in hac vita actionum spem in puerili institutione situm esset: inde reliquo senatui hortatores atque instigatores erant, vt aliquos bonarum artium & litterarum peritos viros conquirerent, qui ciuitati in pueritia erudienda operam darent; quibusque congrega-

(*) Camerarius in vita Melanchth. pag. 200. Multa de Iulio Pflug commemorat Io. Caselius in orat. funebr. Andr. Mylio scr. D. a. vbi, postquam ostendit, quantum is celeberrimis Italiæ doctoribus in sapientiæ eloquentiæque studio acceptum retulerit, pergit: *clarum erat viri nomen passim gentium: ipse acceptus regibus, & Carolo V imperatori sapienti, carissimus doctis per Europam omnibus: bene de patria deque vniuerso imperio mereri studuit, ac monimentis ingenii, hanc suam egregiam voluntatem ac potius pietatem testantibus, sempiternæ memoriæ nomen suum consecrauit.*

gregatis eximius quidam apud se ludus aperiretur. Talis ludus vt in florentissima ceteroquin vrbe sua aperiretur, *Senatum Noribergensem* inprimis operam nauasse, pluribus verbis Camerarius ostendit (*): cuius consilium in vtili maxime atque necessaria re *Phil. Melanchthon* eleganti oratione prædicauit: quem Senatus scholasticæ rei apud se constituendæ caussa Witteberga aduocauerat (**). Ipsum istum de reliquo *Camerarium* vna cum *Eob. Hesso*, aliisque optimis viris in recens de Melanchthonis sententia atque iudicio constituta Noribergæ schola docuisse, scimus. Cui vero obscurum est, quantas curas *Senatus Argentoratensis*, ac in eo cumprimis *Iacobus Sturmius*, paullo ante inter iureconsultos optime de melioribus litteris meritos nominatus, de ludo in celebri ac copiosa vrbe sua adornando susceperit?

Talia, quæ ad argumentum, quod tracto, spectare, quidam forsitan negabunt, hactenus persecutus sum, quo luculentius temporum istorum felicitas appareret, & vt caussæ simul proderentur, quæ perfecerint, vt Germania

Dd 3 tot

(*) de vita Melanchthonis p. 104.

(**) oratio, *in laudem nouæ Scholæ* inscripta, quæ an. 1526 in corona doctissimorum virorum & totius ferme Senatus Noribergens. habita est, T. I Declamat. Melanchth. p. 435 seqq. reperitur, copiosa sane atque elegans.

tot Latine doctissimos viros decem circiter lustrorum spatio numerauerit, quot omne fere reliquum ad nostram vsque memoriam tempus vix habuisse videtur. Omnes enim isti viri circa medium saeculum XV floruerunt, ita, vt paucissimi eorum ad octogesimum eiusdem saeculi annum vita processerint sua. Iuxta *honores* autem, *praemia*, summorum Principum *fauorem*, hominumque ardentissimum *studium* ac *aemulationem*, litteras ab *Agricola* potissimum & *R. Langio* in Germaniam *translatas*, ab *Hegii* atque *Dringebergii* discipulis, optimo in primis *Reuchlino*, fideliter *propagatas*, a *Buschio*, *Hutteno*, *Nuenario* atque *Erasmo* fortiter contra humanitatis elegantiaeque hostes *assertas* a *Melanchthone* denique, *Camerario*, & horum discipulis feliciter *stabilitas* ac melius *munitas*, summa earum cultorum *concordia* & propensissima *bene* de re publica *demerendi* voluntas *sartas tectasque* aliquamdiu conseruauit. Quam firmum vtrumque hoc studiorum columen, & quam artum doctorum hominum exstiterit isto tempore vinculum, supra intelligi potuisse, arbitror, vbi dictum est, Melanchthonem, praeterquam quod puerilia studia grammaticis praeceptis adiuuare haud dubitarit, sua saepius merita aliis adscripsisse. De quo notatum etiam legimus

mus (e), ipſum pro doctrinæ publicæ, quam vrgebat, aſſiduitate crebro in ea loca, & ad illas horas Wittebergæ veniſſe, quibus collegæ aliquid docuerint, & apud diſcipulos aſſidentem profitentes audiuiſſe: quo factum eſſe, addunt, qui id commemorant, vt hi magis attenti, & exiſtimatio ipſorum melior eſſet, & diſcipulorum retineretur frequentia. Sæculum porro erat, quo eruditos non pudebat, ab iis, quos non ita multo ante in diſciplina ſua habuerant, petere, vt locos, qui in auctoribus obſcuri videbantur, ſibi explicare haud grauarentur (f). Tanta erat diſcendi proficiendique inter Germanos cupiditas. Vt multa paucis comprehendam: *Optimus tum atque humaniſſimus in Germania mos erat, eximius in tribuendo cuique, quod illi deberetur, candor: ſumma eorum, qui virtute & doctrina præſtare viderentur, reuerentia. mira ad gratiæ reconciliationem facilitas, ſi quid*

(e) in vita Melanchth. p. 71.

(f) eorum numero fuit ſupra laudatus G. *Fabricius*, qui ita ad *Greg. Berſmannum*, ſuum paullo ante diſcipulum, ſcripſit: *In carminibus Horatii locus eſt mibi obſcurus, quem vt explicare ne graueris, quum otium eſt: & ex eodem γένεσιν principis poetæ inueſtigare, ſi quo modo fieri poteſt, etiam atque etiam peto.* Epiſtolam Fabricii, qua id petit, inuenies cum multis doctiſſimor. virorum ad Berſmannum epiſtolis aliis, P. I Poematum huius pag. 334. edit. an. 1592.

forte simultatum incidisset: in consuetudinis & familiaritatis vsu nihil fucatum aut exulceratum: discendi, quod ignoraretur, inflammati studio animi, & nullus in confitendo pudor: nullum persequendi occasiones tædium, neque fastidium audiendi: in primis autem parata bene meritis grati animi memoria. Quæ dilucida maxime Camerarii verba (ff), quibus aureum istud sæculum egregie delineatur, addenda censui, ne *Melanchthonis æuum* temere *aureum, Musisque longe optatissimum* appellatum a me videretur; & quo facilius hactenus a me scriptis fides haberetur, tempore, quo diuerso plane more viuitur. Idem istud sæculum Caselius felix prædicauit (g), quod eo in Germania primum quasi e terra sinceræ litteræ, numquam antea ibi fatæ, natæ viderentur.

Si vero quis certius ac clarius, auctarii quasi loco, desiderauerit testimonium; tale eiusdem *Caselii*, æquissimi scriptorum censoris, *ad Io. Reccium Goslariensis reip. Consulem epistola*, supra nominatim a me allegata. præbebit. qua scilicet aliquot *non vulgari doctrina præditi nationis Westphalicæ viri*, qui ipsa ista aurea ætate *de bonis litteris in Cisueseranis prouinciis cum primis bene meriti sunt*, pro-

(ff) in Narrat. de Eob. Hesso, A 4, b.

(g) in epistola quadam ad Theod. Adamium.

proferuntur; ſingulari eorum in formandis ingeniis & in dicendo exercendis induſtria prædicata. Namque ſollertes hos maxime in erudienda ætatis eius iuuentute magiſtros non ita aberraſſe, oſtendit Caſelius, vt philoſophos ante annos fingere ſe, oſtentaſſent; quum *dicendi* potius *artes a puberibus ad vetuſtatis monimentorum lectionem ſedulo inuitatis deguſtari vellent*. Id quod *Herm. Tulichium*, *Io. Riuium*, *Marc. Dabercuſium*, ſupra laudatos a me viros, quam maxime voluiſſe, demonſtrat. Quibus præter complures alios præclaros inſtituendæ iuuentutis artifices ex *Weſtphalia* oriundos (h), ARNOLDVM BVRENIVM addit & IO. GLANDORPIVM. Illum, cui inter omnes populares primas tribuit,

(h) Priusquam eos recenſet, de *doctis Weſtphaliæ viris* generatim ita loquitur Caſelius : *Neque enim vel hoc obſcurum eſt, & absque contumelia dici poteſt, quod ab illis etiam ipſis ante annos centum celebratum fuiſſe, inficiari nemo poteſt, [ſunt enim monimenta in manibus lepida & ſalſa] ex gente populoſa, quam patria omnem capere poſſe vix videatur, transire quotannis in has citeriores regiones non ad Albim ſolum, ſed & ad mare Balticum, ex humilioribus plures, nec nullos ex litteratis, fortunas ſibi & ſedes quæſitum. Quum enim & ingenioſi ſint multi, & parati ad honeſta ob æquia, & laborum tolerantes & induſtrii, facile ſibi beneuolentiam apud nos bonis artibus inueniunt, & absque inuidia tuentur honeſtum inter noſtros locum, quorum porro elucet fides & integritas.*

buit, ſumma ſua induſtria & præclara eruditione vnum & primum collapſam *Megapolitanam academiam* erigere cœpiſſe, adfirmat, quum relictis rebus magno ſtudio id egerit, vt auditores ſaperent, & virtutem colerent, & iis potisſimum magiſtris vterentur, qui ad informationem animi ſimul & linguæ recte ducerent (i). De *Io. Glandorpio*, quem ſecundo

(i) quod prudentisſimum ſuum conſilium ipſe Burenius vberius explanauit in elegantisſima oratione de *Diſciplinæ Scholæ Roſtochianæ*: quæ vna cum Melanchthonis præfatione, in qua *Burenius ſenex eruditione, virtute, & eloquentia excellens* nuncupatur a Melanchthone; in huius Declamat. T. IV p. 176 ſeqq. reperitur, ſeorſim antea Wittebergæ an. 1556 edita. Si plura de præſtantisſimo oratore perdiſcere voles, ea Hamelmanni opuſcula te edocebunt: lib. III de Viris in Weſtphalia ſcriptis illuſtr. p. 168, Oper. hiſtor. ſcripta eius, numero non adeo multa, recenſentur: & pag. 1447, lector ad *Nath. Chytrei* de Arn. Burenio orationem ablegatur; quam Caſelius etiam citauit: qui ſatis verboſam etiam atque perhonorificam Burenii eruditionis meritorumque mentionem fecit in Io. Alberti Ducis Megapol. Laudatione D. 1. vbi recenſet, optimum virum iusſiſſe adoleſcentes, & linguam excolere, & perpolire vitam, indicantem, & ſubinde iterantem, *eloquentiam ex Latino oratore peti*, *ſcientiam ex Græco philoſopho*: nihil videre, qui hoc non viderent. Hanc ipſam rationem admirari ſe cœpiſſe, addit Caſelius, ſequendamque ſibi quoque putaſſe; quum meliorem inuentam non eſſe, ex re ipſa compererit tum, quum doctisſimos viros audiuiſſet multior,

cundo a Burenio loco inter recensitos populares collocauit, aliquot paginis agit ibi Caselius; vna etiam re Burenio superiore, quod plura ingenii monimenta reliquerit, non solum quod erudiendæ primæ ætatis veram rationem princeps in diuersas Cisueseranorum oppidorum scholas attulerit (k). *Vir*, non

Caselii

doctissimorumque monimenta accuratius euoluisset. Fusius quoque idem Caselius de Burenio egit in orat. funebr. Andr. Mylio scr. F. 2.

(k) de *Glandorpio* eadem Hamelmanni opuscula eximia multa commemorant. in Apologia altera pro Westphalis contra Iusti Lipsii calumnias Oper. hist. p. 1431, *Rein. Reineccius* vitam Glandorpii edidisse dicitur; quam *Albert. Lenicerum* oratione & carmine docto etiam descripsisse, in Historia eccles. renati Euangelii pag. 1045 adfirmauerat. neutrius commentationem ego vidi. At multa de Glandorpio perdidici ex R. Reineccii præfatione, quam eius *Romanæ Historiæ Onomastico*, Francofurti an. 1589, atque ita viginti quinque annis post auctoris obitum in fol. edito, præfixit: plura, ex eiusdem Reineccii quatuor præfationibus siue dedicationibus, Glandorpii *Annotationibus in M. Tullii Ciceronis Epistolas ad familiares* an. 1580 Basileæ 8 editis, partim præmissis, partim ipsis Annotationibus insertis, p. 179. 360. & 509. in quibus non tantum Annotationes, earumque auctorem laudat, sed multa etiam de semet ipso suisque fatis narrat. Ad *Annotationes* ipsas quod attinet, se has, veluti *thesaurum eximium*, vbicunque vixerit locorum & gentium manuscriptas secum circumduxisse, adfirmat Reineccius, quum earum ope in Ciceronis epistolis extra salebras facilique & expedita via proce-

Caselii modo, sed grauissimorum etiam censorum aliorum, iudicio, *magni ingenii, animi non abiecti, diligentiæ incredibilis, iudicii dextri.* cui propositum fuit, vt rem litterariam ornaret, & recte educaret pueritiam, non ad opinionem aut vmbram aliquam doctrinæ: &

dere liceat. quandoquidem nullus pene angulus in iis relictus videatur, ad quem Glandorpii lima non penetrarit: quo neminem quoque *Romanam Ciceroniani temporis historiam* exquisitius enucleasse, iudicauit. Licet vero optimus Glandorpius posteritatem excellentis ingenii sui monimentis, & iis, quæ viuus edidit, & postumis, magnopere sibi deuinxerit: nescio tamen, annon posteritas æque magnam ei habeat gratiam, quod suo studio, quod in erudiendo *Reineccio* collocauit, effecerit, vt Germaniæ gloria summa huius eruditione non parum sit adaucta. Quantum debuerit Reineccius Glandorpii disciplinæ, cui quatuordecim annorum adolescentulus traditus fuerat, quum is an. 1555 in hac ipsa vrbe, vbi hæc scribo, scholæ præesset publicæ, ipse in citatis præfationibus exponit. id etiam ex *testimonio* patet, quod Reineccio a fidelissimo hoc suo præceptore tum impertitum est, quum iactis iam apud eum fundamentis in academiam cogitaret; primæ præfationi adiectum: quo confirmauit Glandorpius, Reinerum suum eam præstitisse diligentiam, vt, quum primos tantum nominum & verborum flexus tenens ad se venerit Hannoueram, tunc *Latinæ linguæ probe sciens & in vtraque orationis facultate perinde felix, tinctus etiam litteris Græcis* ad parentes sit reuersus: id quod an. 1559 accidit: vnde de magna Glandorpii in docendo dexteritate,

& qui *historiæ Romanæ* magnam attulit lucem; dignissimus præterea, qui *felicioribus Germaniæ* adnumeretur *poetis*. Glandorpii huius ætatem *omnem elegantis bonæque doctrinæ in Cisueſcranis regionibus lucem Melanchthoni debuiſſe*, expreſſe fatetur Caſelius. Omnes certe, quos in elegantisſima epiſtola laudauit litteris formandæ iuuentutis artifices, *Melanchthonem* ſuum coluerunt *magiſtrum*. immo cuncta Germania *communem*, vt vidimus, venerata eum eſt *Præceptorem*.

CAP.

egregia Reineccii indole, & magna ſimul ſæculi felicitate poteſt diiudicari. Quo paullo poſt, quam Reineccius Hannoueranam ſcholam frequentare cœperat, Glandorpius commigrarit, & quibus præterea fatis vſus ſit, ex Hamelmanno, & Reineccii præfationibus tranſcribere nolo. quorum ille lib. IV de Viris in Weſtphalia eruditione illuſtr. p. 192 Oper. Hiſtor. lucubrationum ab ipſo Glandorpio emiſſarum dedit indicem. docuit etiam, tantum virum ex *Murmellii* ſchola prodiiſſe; quem Melanchthon *doctisſimum pubis informatorem & hiſtoriarum exactum ſcrutatorem, prudentem denique ingeniorum cenſorem* appellarit, & *quo vna cum Herm. Buschio Marpurgenſis academia eloquentiorem habuerit neminem*.

CAP. VI.

Latinae linguae omnisque elegantioris doctrinae cultura eadem Melanchthonis *aetate, qua ad summum in Germania adscenderat, retro sublabi iterum visa est. cuius mutationis culpam an* Lutherani *sustineant, & vtrum b.* Lutherus *bonarum litterarum vindices inuidia saltem degrauarit, quemadmodum quidam statuerunt, inquiritur: vtroque negato, maior, aeque magna certe, Latini sermonis contemptio in* Papatu *deprehensa esse ostenditur: eiusque aliae ac diuersae recensentur caussae. Optimorum Romanorum scriptorum imitatione neglecta,* Apuleiani, *obsoletaeque antiquitatis adfectatores prouenerunt, minus tolerabiles, quam* Ciceroniani. Adagiorum abusus *saeculi stilo non parum quoque obfuit: quem temeraria* Criticorum Ramistarum*que soboles neutiquam adiuuit. Quantopere docendi ratio degenerarit, & a superiorum temporum felicitate omnia sub* saeculi XVI *exitum in Germania discreparint, luculentius nemo declarasse videtur, Casp. Hofmano. Irruenti barbariei strenue obuiam inter Germanos iuerunt* Io. Sturmius & Io. Caselius *singulari Germaniae fato exorti, & de Romano sermone feliciter vindicando praeclare meriti viri.*

Stur-

Sturmii collegis, successore, discipulisque nonnullis simul laudatis, pauci quidam eiusdem sermonis assertores, ex aurea ista aetate in Germania exeunte saeculo XVI reliqui, nominantur: horumque de discordia, *eruditorum animos quam maxime dissociante,* Maecenatum paucitate, *& aliis incommodis, quae, Latinae linguae vniuersaeque humanitatis studio perquam molesta atque noxia, eruditos in contemptionem sensim adduxerunt, adferuntur querimoniae.*

R*Omanorum* quondam *oratorum laus* eadem *Ciceronis* aetate, qua *ab humili ducta ad summum demum peruenerat, senescere etiam breuique in nihilum ventura iterum videbatur* (a). Idem & *Melanchthonis* tempore, quo Latinae linguae ac vniuersae elegantioris litteraturae studium ad summum itidem apud *Germanos* peruenisse, non obscure hactenus, vt spero, a me commonstratum est, accidit. Ioach. Camerarius tantam *Germanorum contentionem* tam celeriter sua iam aetate *repressam*, & *ardorem* istum *exstinctum* esse, aegerrime tulit (b); paucissimos iam tum exstitisse, conquestus, qui elegantiora studia vel coluerint, vel admirati sint, vel omnino

(a) Cic. Quaest. Tuscul. lib. II, c. 2.
(b) in Narrat. de Eob. Hesso, init.

omnino respexerint, atque curarint. Quare, quum *litteras* tanti antea æstimatas, tantoque studio ac labore ab interitu prius vindicatas, *nugas*, & *in vita communi* tamquam *lusuum puerilium* ἀθύρματα, existimari iam a multis, cerneret; ne de bonarum artium studiis futurum quid esset, valde metuendum ipsi videbatur: præsertim quum *Principibus* nonnullis *nihil regium* denuo videri cœpisset, *nisi quod* ἄμουσον putabatur: id quod Melanchthon etiam vehementer doluit (c). Quod igitur *Petrum Victorium* longa sua ætate in Italia nactum esse, in præfatione vidimus, vt *litteras* in Italia *renascentes* viderit, & pene iterum *exstinctas*: idem *Camerario* in Germania contigit: quem Caselius etiam cum Victorio & ætate, & statu corporis, & sermone, & bonitate ac varietate optimarum disciplinarum, & seueritate comparare alias consueuit (d). Res, quod mirum sane, non parum Melanchthonis iam ætate labefactata, vna cum vergente XVI sæculo ita ad interitum ruere simul visa est, vt septuagesimo sexto eiusdem huius sæculi annno Io. Sturmius non absque animi dolore senserit (e). *barbariem in ciuitates & aulas Principum, in scholas*

(c) Declamat. T. I, p. 366.
(d) in Elogio Bartoli Richii A. 2, b.
(e) Præfat. in St. Doleti Formulas L. L.

ſcholas etiam academiarum partim clam irrepere, partim etiam impetu & vi quadam aperte denuo inuadere. Io. Caſelius nonageſimo quinto eiusdem ſæculi anno dolenter admodum quæſiuit (f): *Quotusquisque Latinæ lingua ſtudet, ſic, vt eius vim & puritatem noueris?* poſteaquam viginti amplius annis ante ſatis demonſtrauerat (ff), in reliquis ingenuarum litterarum peſtibus hanc quoque eſſe, quæ *litteris perniciem creaturam* demum videretur, quod *Latina lingua tantopere aut negligeretur, aut aliter, quam fieri conueniebat, diſceretur, atque non tantum ab adoleſcentibus, ſed & ab iis, qui egregios ipſius ſe profitebantur magiſtros, perperam tractaretur.* Eam ſcilicet opinionem plurimorum ſenſim animos peruaſiſſe, oſtendit idem præſtantisſimus vir (g); vt, *humaniora ſtudia puerorum eſſe, nec niſi puerilia, & tales lectiones otioſis hominibus relinquendas, quibus libeat tempus fallere, vti alii totos dies pila fallant, aut alea,* ſtatuerent. Mart. Cruſius quoque querimoniam circa idem tempus inſtituit (h); *bonas litteras & diſciplinas ſordere iam cœpiſſe:* & quum eruditorum hominum

Ee

(f) in epiſtola ad L. Fr. ab Hoim in altero Caſelian. epiſtolar. volum. a Fuchtio edit. p. 65.

(ff) præfat. Aldi Manutii Phraſib. præm.

(g) in epiſtola parænet. ad Greg. Cernicouium.

(h) Annal. Sueu. lib. IX, P. III, c. 8, p. 568.

minum copiam paullo poſt Melanchthonis æuum deſpicatui eſſe, cerneret, ne *res, poſtquam in ſummo ſteterat, ad barbariem rurſus decideret*, veritus eſt.

Complures eiusmodi eruditorum hominum a medio ſæculo XVI viuentium querelas adducere poſſem ſine negotio. At illæ, quas adduxi, tanti ponderis mihi eſſe videntur, vt neminem fidem iis derogaturum credam, quum a grauisſimis profectæ ſint viris. Quorum ipſa verba niſi protuliſſem, difficulter admodum, ſi meis præſertim id adfirmaſſem verbis, perſuaſiſſem forſitan quibusdam, tantam ſubito rerum exſtitiſſe mutationem; & Germanos tam facile ad alia prorſus animos deflecti paſſos eſſe. Eraſmus omnis mutationis, ipſius ætate iam tum intentatæ, culpam in *Lutheranos* transferre viſus eſt: ſcribere ſaltem haud dubitauit: *Vbicunque Lutheraniſmus, ibi litterarum eſt interitus* (i). & alibi: *Euangelicos iſtos, quum aliis multis, tum illo nomine præcipue odi, quod per eos vbique languent, frigent, iacent, intereunt bonæ litteræ, ſine quibus quid eſt hominum vita? Amant viaticum & vxorem, cetera pili non faciunt* (k). Quam eruditisſimi viri adfirmationem ita miror, vt, ſi partium ſtudio captum ſe nusquam prodidiſſet, iſta tamen ſcribentem aperto

(i) lib. XIX, ep. 50. (k) ep. 56, eiusd. libri.

te id prodidisse, censeam. Negari quidem non potest (l), non parum multos, Reformationis opere etiamnum feruente, inter Lutheranos repertos esse, qui *inficiati*, *dicendi artium scientiam ad Theologicarum litterarum tractationem conducere*, bonorum cursum retardauerint: quum error, ceu contagione quadam late vagatus, plurimos ceperit tum; qui, ne non valde theologicari viderentur, humaniores disciplinas omnes contemnendas decreuerant. Sed quis adfirmare ausit, omnes Lutheranos ita statuisse? *Melanchthon* certe, vt serio istiusmodi homines theologicarentur, eaque præstarent, quæ Christianam mentem decerent, exoptauit; vehementer dolens, *Theologicum nomen ignauiæ* tantum a quibusdam *prætextum* esse; qui nihil minus de reliquo fuerant, quam quod profitebantur. & ipse *Lutherus* Erasmo aperte fassus est (ll), *per litteras ad sinceram Biblio-*

(l) id quod ipse Melanchthon in *Encomio Eloquentiæ* T. I Declam. p. 410, professus est; de eadem re in orat. Noribergæ hab. *in laudem Nouæ Scholæ* p. 438, ita conquerens: *Errore quodam vulgi scholæ deseruntur. quidam enim stulti concionatores a litteris abstrahunt; magna pars ventri metuens, ad quæstuosas artes se recipit, postquam spes abiecta est sacerdotum reditibus victitandi, quos solos laboris sui præmia esse, putabant.*

(ll) in epistola, quam an. 1524 ad eum scripsit, Pirckheimeranor. Appendici insert. p. 396, seq. alibi ita

bliorum lectionem veniri; quas quum in Germania florentes viderat regnantesque, mirifice lætatus est; tamquam de singulari beneficio, quod supremum Numen in genus humanum postremis his temporibus benigne contulerit. In summa, beatus *Lutherus*, & qui operam suam in diuino Reformationis negotio summa fide ac prudentia ipsi commodauit, *Melanchthon*, bonas litteras tanti omnino fecerunt, vt nemo Pontificiorum in cuncta Germania pluris eas fecisse vmquam, videatur: siquidem eas magis magisque excitatas, & ad posteros propagatas quam maxime, summoque studio voluerunt; non ignorantes, *quantum linguarum scientia, optimarumque artium studia ad cælestem doctrinam a traditionibus humanis purgandam contulerint* (m): nec quemquam inter vere doctos Lu-

locutus est Lutherus: *Deus adeo nobili dono* (linguarum peritia) *cumulata liberalitate Germaniam nostram præ cæteris pene omnibus gentibus donauit, videmus autem, quomodo Satanas per Academias & Monasteria his studiis semper fuerit reluctatus.* ipsius & hæc verba sunt: *Ignorabant omnes, quum primum emergerent linguæ, quo consilio diuina sapientia linguas in lucem prodire sineret, donec re comperta videmus, hoc Euangelii instaurandi caussa factum esse.*

(m) in qua veritate demonstranda Melanchthon longus est orat. de *Vtilitate Philosophiæ* T. I Declamat. p. 326, multis argumentis ostendens, *Ecclesiæ opus*

Lutheranos repertum, arbitror, quin diuino plane beneficio factum ſtatuerit, vt litterarum παλιγγενεσία clarisſimæ Euangelii luci, ceu Phoſphorus præiuerit (n). Neque dubito, quin multi inter Lutheranos Vlr. Hutteno adhuc aſſenſerint, ſcribenti (o): *Poſtquam*

eſſe liberali eruditione & non tantum cognitione grammatices, ſed & aliarum multarum artium & Philoſophiæ ſcientia. Ipſarum artium dignitatem & vim ex nulla re magis conſpici poſſe, arbitratus eſt Melanchthon, quam ſi videamus, quantum opus ſit illis in eccleſia, quantis tenebris obruat inſcitia *religionem*, quantam vaſtitatem, quam horribiles diſſipationes *Eccleſiarum*, quantam barbariem & confuſionem totius *humani generis* pariat.

(n) id quod idem Melanchthon his verbis expoſuit: *Nuper quum reſpicere adflictos iterum cœpiſſet optimus Pater, eſſetque redditurus nobis Euangelium, pro ſua liberalitate & litteras reſtituit, quibus Euangelii tractatio adiuuaretur.* in obſcuro certe non eſſe, addit, *bonis quibusdam viris auxilio fuiſſe litterarum ſcientiam, in Theologia reſtituenda.*

(o) præfat, in Neminem B. 2, a. Melanchthon ſane aſſenſit, qui in orat. de *Studiis corrigendis* T. I Declamat. p. 500, monſtrauit, *eccleſiam, litteras uni vſu deſtitutam, veram ac germanam pietatem traditionibus humanis alicubi mutaſſe.* in *Encomio Eloquentiæ*, eiusd. T. p. 413, 415, Germaniæ iuuentutem ſedulo cauere iuſſit, ne bonas litteras contemneret, quum haud dubie futurum tum eſſet, vt, *optimis neglectis, omnes ſacræ bonæque res peſſum irent: litterarum enim inſcitiam publicam comitari ſolere impietatem:* & certisſimum *diuinæ iræ* putandum eſſe *exemplum*, ſi quando accideret, vt *litteræ mundo eriperentur.*

quam discessum est ab illa veteri & Germana Theologia, tum vero cum studiis declinauit simul religio, ac illa increbuit omnium pestium pestilentissima superstitio. quae sua caligine ita verum Dei cultum infuscauit, vt nescias, Christi sint, quae obseruas, multa, an alicuius noui dei, qui hoc sibi vindicet vltimum mundi tempus. Habent tamen, de sui saeculi Theologistis fari incipit Huttenus: *pessimorum librorum magnos aceruos: ac dum istos negligunt antiquos, & recte doctos auctores, in his ver-*

quare quos pietatis teneret studium, ii vel Christo, vel publicae necessitati Ecclesiae hoc officii praestarent, suasit, vt *recte loqui discerent*; ne litterarum imperitia res omnes humanas atque diuinas labefactaret: nihilo saniore, superioribus saeculis, exsistente posteritate; cui *tolerabilius fore*, existimauit, *pestilitate aut annona caritate plecti Ecclesiam, quam eiusmodi abiecta plane amentia.* Singularem in eam rem de *Studiis litterarum non deserendis* orationem conscripsit salutis reipublicae Christianae cupidissimus vir; qua litteras non deserendas esse, docet, etiamsi *nullus* amplius iis haberetur *bonos*, & ingentia discentibus *odia* proposita essent, atque *pericula*. inuenies orationem hanc T. IV Declam. pag. 415. Huc spectat quoque oratio de *Necessaria Coniunctione Scholarum cum ministerio Euangelii*, & pia maxime & erudita: qua ex omni historia plane ac dilucide commonstratur, *fuisse semper adiunctas scholas Ecclesiis, & amissis litteris Euangelii lucem exstingui.* quare eiusd. T. p. 434, *sapientes gubernatores, vt Ecclesias, ita Academias, cura sua complecti debere*, iudicat.

versantur nugamentis, & in scripturarum sordibus, non secus ac in luto Scarabeus, deliciantur. Quod si itaque id Erasmi ætate statuerunt Lutherani: quis, quæso, fidem habiturus esset summo viro, cos effecisse, vt *litteræ in Germania sint neglectæ?* quas potius adiutas maxime voluerunt atque conseruatas: quod non ita obscure a me præcedente capite declaratum esse, mihi persuadeo. Quando autem illi homines, qui nihil præter *hæreses, schismata* & *Antichristos* in ore habuerunt, atroces nugis suis excitantes tragœdias, tum, quum Lutheri lucubrationes prodirent, exsiluerunt, gestiuerunt, atque gauisi sunt, perinde ac si *præclara & dudum exoptata bonas litteras lædendi per Lutherum data ipsis esset occasio:* Erasmus Lutherum insimulare posse sibi visus est, quod is *bonas litteras inuidia saltem degrauarit*, & Erasmo & reliquis studiorum caussam agentibus exitiabili, ipsique Luthero infrugifera, nec posteris profutura (p). At hunc culpa vacare, arbitror; siquidem ipse Erasmus ad Fridericum Saxoniæ Electorem scripsit, improbos istos homines, quibus perpetua nocendi fuerit voluntas, Lutheri negotio apud mulierculas præsertim, & indoctam plebeculam, trium linguarum, eloquentiæ, politiorisque litte-

 ratu-

(p) passim in epistolis.

raturæ mentionem miſcuiſſe, quaſi aut Lutherus his præſidiis fiſus eſſet, aut ex hiſce fontibus hæreſes naſcerentur: quam impudentiam, plusquam ſycophantiam, optimis quibusque non diſplicere non potuiſſe, cenſet Eraſmus. Neque diffitetur hic in epiſtola, qua Bilibaldum ſuum compellat (q), theologos quosdam, antiquis ſtudiis renaſcentibus, ſenſiſſe, auctoritati ſuæ paullatim aliquid decedere; nihil non in Eraſmum, per quem litteras in primis renaſci animaduertebant, molitos; *etiam priusquam Lutheri nomen audiſſet orbis*. Quid multis verbis opus eſt? res ſole clarior eſt, Lutherum, Melanchthonem, & reliquos, non religionis modo, ſed oppreſſarum ſimul litterarum, reductores atque reformatores, licet non ſolis linguarum ac politioris litteraturæ præſidiis, in reformanda eccleſia, ſed cauſſæ ſuæ bonitate ac diuina ope ſiſi ſint; rem tamen Chriſtianam præſidiis iſtis & ornare & iuuare ſtuduiſſe. Quod ipſe Eraſmus teſtimonio ſuo confirmaſſe videtur, vbi *Fridericum Saxoniæ Ducem*, paullo ante laudatum, cuius ſolius præſidio ſubſtitiſſe Lutherum alibi ſcripſerat (r), *rem Chriſtianam linguarum ac politioris litteraturæ*

(q) ep. familiar. Pirckheimer. lib. ep. 33. quæ inter Eraſmi epiſtolas eſt 28, lib. XXX.

(r) ep. 4, lib. XIII.

raturæ præsidiis quum ornasse, tum iuuisse, prædicauit (s).

Scripserat Erasmus: *Vbicunque Lutheranismus, ibi litterarum interitus.* item: *per Lutheranos vbique languent, frigent, iacent, intereunt bonæ litteræ: amant viaticum & vxorem, cetera pili non faciunt.* Sed, vt vere dicam, nescio profecto, vtrum in *Papatu* litterarum studia longius abfuerint tum ab interitu, ac diutius sarta ibi sint conseruata, quam apud Lutheranos, Erasmo tam inuisos (*). Hoc quidem boni habuit tum Pontifica-

(s) ep. 14, eiusd. lib.

(*) Neque vero ab ipsis Pontificiis magnam gratiam suo in Lutheranos odio iniisse videtur Erasmus: nam vt de ignauis monachis, quos, velut crabrones, in se irritauerat, nihil amplius addam, & alia minus honorifica Pontificiorum de ipso iudicia taceam: tantum Melch. Inchoferi verba ex historia S. Latinitatis lib. I, cap. 19, p. 36, apponam: *Vbi Concilium Tridentinum controuersiis forum aperuit, constitere viri docti, & Latini non pauci, qui adfirmatione veteris doctrinæ, rem Catholicam eloquentissime vindicarent: Echii, Roffenses, Cochlæi, Mori, Poli, Hosii, Ioannes Fabri, Alberti Pii, deinde Sanderi, denique serius Campiani, plures alii, quibus adnumerari &, tu Prothee Batauice, poteras, nisi pietatem stilo vulnerasses.* Quum igitur Erasmus & Pontificiorum fauorem consectaretur, & Lutheranorum beneuolentiam simul conseruare vellet, idem ei accidisse videtur, quod iis, qui duabus sellis sedere cupiunt; quippe qui minus commode plerumque sedere solent.

catus, quum Erasmus Lutheranismum negligentiæ,& nescio quorum aliorum criminum, insimulauit, vt, tametsi emendationis atque correctionis impatiens is maxime erat, *litteratos* tamen *homines, magnosq; viros amplissimis præmiis ac summis honoribus adfecerit*; vt essent, qui Maximo Pontifici contra aduersarios opem ferre perseuerarent; & vt Sedes Romana potentiam suam contra puriorem religionem atque doctrinam per eos retineret. tanta valebat Pontificatus calliditate! a Io. Sturmio scienter detecta (f). qui postquam quæsiuit: *Quid calliditas contra veritatem? contra religionem? contra mortem? contra reditum ad vitam? contra triumphum Christi?* pluribus docet, eloquentiam, si contra veritatem adferatur, a virtute remotam esse, & apud prudentes locum non habere. Itaque Lutheranos æquo animo ferre potuisse, arbitratus est Sturmius, Pontificem *Alexandrum*, *Sadoletum*, *Polum*, *Bembum*, magnos sane viros, & doctissimos homines, sibi comparauisse. *Quid* enim *homines*, inquit Sturmius, *aduersus Christum? quid aduersus veritatem auctoritas?* quæ veritate conseruatur, errore vero amittitur. Sed fac, Italiam Sadoletum Erasmi ætate ostentasse, Bem-

(f) in Gymnasii Argentorat. Luctu ad Ioach. Camerarium D. 2. a.

Bembum, Polum, & reliquos excellentissimos, si eruditionem spectes, homines: litteras tamen æque ibi deinceps iacuisse, Romanique sermonis cultum æque ibi neglectum esse, ac in Germania, in præfatione strictim commemoraui. idque sine *Lutheranismi* culpa contigit; vtpote quem Inquisitionis sica eo penetrare passa non est. Sed quid, quæso, in caussa fuit, cur in iis etiam Germaniæ regionibus, quo eidem Lutheranismo aditus est præclusus, Romanus sermo pariter sit contemptus & æque magnus litterarum fuerit interitus. Anno CIↃ IↃ XXV scripserat Erasmus: *Longe plures fauent Luthero, qui neque Græce sciunt, neque Latine: multo plures his litteris instructi pugnant cum Luthero: certe Louanii nullus est ex hoc genere non alienissimus a re Lutherana. Cardinalis ab Alta Ems, Constantiensis* circa ista tempora *Episcopus*, a re Lutherana alienissimus exstitit; & tamen *Latinæ linguæ* tam *ignarus* fuit, vt barbara maxime sæcula, supra perlustrata, vix rudiorem habuerint episcopum. Inscitiæ suæ luculentum in colloquio cum *Ferdinando*, Imperatore, is dedit aliquando specimen: Nam quum Imperator Constantiam venisset, & episcopus ipsum adiisset, ille hunc ita allocutus est: *Memento, te esse piscatorem hominum: da igitur operam, vt multos Christo*

lucri-

lucrifacias: tum episcopus, Latinæ linguæ rudis prorsus, recordatus tamen, *Pisces* a Germanis vocari *Fische*, respondit Imperatori: *Ia, allergnædigster Herr Kayser, es hat sehr gute Fische im Costnitzer See.* Quo responso Imperator valde offensus esse dicitur, indigne admodum ferens, tam *indoctos* ac *rudes* Ecclesiis præfici solere Episcopos. Idem hic Episcopus, quum Cardinalis, Romæ hiberno tempore mulo vectus, cum aliis Cardinalibus obequitaret, & quidam de frigore quererentur, interlocutus est: *Est magnum frigum:* ne videlicet Latinæ linguæ expers penitus videretur. quod vbi familiares audiuerant, vnus ex iis terminationem correcturus, in aurem ei insusurrauit, *gus, gus.* errorem igitur quum corrigere vellet Cardinalis, repetiit: *Est magnum friguncus.* quo factum est, vt Cardinalis *Friguncus* deinceps sit appellatus (ss). De huiusmodi Episcopis vere dici potest, quod Melanchthon olim de *Regulis* quibusdam dixit: eos *ita crassos fuisse, vt litterarum pretium haud intelligerent:* qui etiam, se vsquam *infestiores bonarum artium hostes*, quam in *sacerdotum sodalitiis*, sua etiamnum ætate, vidisse, negauerat (t). Ipse Erasmus,

(ss) vtramque historiam narrat Io. Zwingerus in orat. de Barbarie super. tempor.

(t) in orat. in Laudem *Nouæ Scholæ* Noriberg. hab. T. I Declam. p. 438, seq. quando vero Erasmus Luthera-

Erasmus, inter Pontificios tales se expertum esse

nis exprobrauit quasi, quod *vxores suas amauerint*, Sturmii grauissima, & ad Erasmi adfirmationem, *Lutheranos cetera pili non facere*, refellendam apta maxime, verba, ex eius, & gymnasii Argentoratens. ad Ioach. Camerarium Luctu, D.3, b. 4, a, opponam: *Episcopi, Canonici, Clerusque plus præsidii in* astutia *&* calliditate, *quam in* doctrina *&* religione *esse putant. Illud etiam perspicuum signum est, fore aliquando, vt omnis ab ipsis tollatur dignitas: quod postquam istæ offensiones religionis natæ sunt,* vitiosius *&* turpius viuere *instituerunt, quam antea: atque ita viuere, quasi auctoritatem conseruare non possint, nisi huiusmodi* licentiam vitiorum *retineant: quum nulla via sit alia ad tuendas res contra potentiam magistratus & populi importunitatem, quam* correctio doctrinæ, emendatio disciplinæ; *qua efficerent, vt nos sine caussa ab ipsis secessionem fecisse videremur, & recuperarent veterem auctoritatem. quod quoniam non fit, sequuntur huiusmodi genus vitæ, quod apud omnes contemptum est, & cuius ipsos quoque, quoties de se cogitant, pudet.* Postquam aliquot paginis comprobauit *matrimonium* per se malum non esse, nec Ecclesiasticæ curationi contrarium D. 8, b, seqq. pergit: *Veruntamen interdictum fuit, vt ne vxores ducerent sacerdotes, sed vt reliquis molestiis liberarentur, omnem curam in Ecclesia & religione ponerent. Nostris vero temporibus, quid simile illi instituto? quid est, quod excusari, nedum defendi possit? necessariarum rerum curatio ab ipsis opum copia atque affluentia sublata est: pro eaque aliam susceperunt,* ambitionis, auaritiæ, conuiuiorum, luxus: *nullius rei minor apud ipsos sollicitudo est, quam* doctrinæ, disciplinæ, religionis, Ecclesiæ: *& pro calibe vita, omnis* impuritas

esse *theologos* conquestus est, vt similes nus-

quam

vsurpata est: quae consuetudinem *patronam habet: sed consuetudinem solum, eamque* vitiosam & pessimorum temporum. *ideoque quum caput esse vxorum nollent*, scortorum membra *voluerunt exsistere: & vt ne vxoribus honestate amoris, & caritate, atque prudentia praeessent, & liberos ad religionem & communes vtilitates educarent*; concubinas *dominas compararunt: quas vbi semel ablato pudicitiae flore domi habent, nec quamobrem retineant, nec ob quam dimittant, caussam inuenire possunt:* dominas *ergo esse in familia patiuntur: dominas etiam in thoro & lecto: infidas in re familiari, non consociatas amoris & matrimonii religione: sed vetitis nuptiis adiunctas: ideoque & in beneuolentia infideles, summa cum turpitudine Ecclesiae, & maxima sanctissimi ordinis infamia. liberos suos spurios nothosque, quam legitimos, esse malunt: pudet eos* paterni nominis: filii nomen *ipsis infame est; infamis generis sui sanguinisque propagatio: atque haec scilicet omnia incommoda ferunt, vt omni cura sordida, atque illiberali liberati; ad Ecclesiam accedant, religioni operam nauent, disciplinam sacerdotum clericorumque, vt incorruptam virginem, conseruent.* o virginem, o disciplinam, o clerum, sortem Ecclesiae, o vacationem! *in regum* aulis *sunt: in regum non solum* conciliis, *sed etiam* venationibus, pugnis, amoribus, *versantur: & quoniam* vitae dissolutione *a ceteris hominibus non differunt, & virginalis illa disciplina in crassum putidumque scortum euasit,* impurum caelibatum *retinuerunt: & vestium se generibus a reliquis hominibus seiunxerunt, caelibes homines, ecclesiastici pastores, vt ne quid scribam grauius; & metuo, ne haec ipsa vehementiora, quam deceat, esse videantur. sed ignoscendum est maerenti*

quam gentium *lenones* exſiſtere, credidiſſe ſe, adfirmarit (tt).

Tantum igitur abeſt, vt bonæ litteræ per Lutheranos interierint, vt laus, Germaniæ ob litterarum, Romani inprimis ſermonis, ſtudium diligenter excultum debita, per ipſos magnopere ſit amplificata. Tantos ſane humanitatis ſtudio viros Pontificatus in Germania non habuit, quantos Lutheraniſmus producere poteſt, a Thuano, Huetio, & aliis ſummis inter Gallos, ipſosque Italos, viris, amplisſimis laudibus illuſtratos. Alia omnino contemptionis, in quam litteras per cunctam ferme Germaniam a medio ſæculo XVI adductas eſſe, doctisſimorum hominum teſtimoniis paullo ante comprobaui, cauſſa exſtiterit, neceſſe eſt: qualem reperire in procliui erit. Verior longe cauſſa ab ipſo Eraſmo prodita eſt, vbi multorum partim *ignauia*, partim *ſiniſtris moribus* factum, ſtatuit (u), vt bonæ litteræ, quæ ſat feliciter cœperint efflorescere, ad interitum pasſim vergere iam iterum viſæ ſint. Quis vero ſolos Lutheranos ignauiæ ab Eraſmo inſimulatos ibi eſſe, cui-

atque lugenti, & cogitanti de vitiis ſummi ordinis; *pro quo nemo bonus mortem oppetere, quum eſt opus, non dubitat.*

(tt) in epiſt. ad Bilib. Pirckheimer. familiar. huius ep. 28.

(u) ad Io. Vlattenum epiſt. Ciceroniano præf.

cuiquam perſuadere audeat? Demetrius certe Chalcondyles viginti ſex circiter annis ante, quam Lutherus Reformationis negotium aggreſſus eſt; anno ſcilicet CIↃ CCCC XCI, Florentia ad Io. Reuchlinum ſcripſit, iſto iam tempore litterarum ſtudia in *Italia* iacere iterum viſa eſſe, *quum ignauia & ignorantia principum, tum maxime cupiditate hominum circa quæſtum, quem omnibus bonis artibus maior pars hominum anteponat* (v). Cum Chalcondyle Nicolaus Quadus conſenſit, qui in epiſtola ad Herm. Nuenarium *Roma* ita ſcripſit (x): *In litteris nihil eſt noui: adeo pasſim hic ſtudetur quæſtui. Florentinorum mira ſitis: frigent ſtudia litterarum. Humanarum* deinde *rerum naturam* in omnibus id ferre, Cicero, præter vſum, longe optimum præſtantisſimumque magiſtrum, nos edocet: vt, *ſi quid ad ſummum adſcenderit, deſcendere iterum, ſiue relabi neceſſe habeat.* Idem & nobis recte in iſta litterarum rerumque mutatione ſtatuere licebit. Nam, præterquam quod ſtudia, vt imperia & reſpublicæ,

quæ

(v) lib. II epiſt. illuſtr. viror. ad Io. Reuchlin. o. 4, b.

(x) Epiſtola ſeparatim excuſa eſt, nec anno, nec loco addito, hac inſignita inſcriptione: *Epiſtola Nicolai Quadi nuper ex vrbe miſſa ad Herm. Comitem de Noua Aquila, miranda nuntians de quodam nouo opere, breui illic emerſuro, cui titulus eſt: De Memorabilibus Prædicatorum & Carmelitarum.*

quæ admirabili & arcano consilio Deus dispensat, & sedes mutant atque hospitia, & præcipitata euersaque concidunt, & resurgunt instaurata atque eflorescunt, & recollectis receptisque viribus vigent aliquamdiu, atque consistunt (y): singula mortalium bona, velut minus constantia, sed mobilia maxime atque fluxa, creberrimæ mutationi obnoxia esse, probe scimus; hominesque id, quodcunque nouitatis gratiam exuerit, cuiusue copia suppetat, fastidire denique solere, aliarum rerum studio ductos (z). Quali

Ff tum

(y) id repetitam inde vsque ab initio historiarum seriem docere, oratione de *Studiis veteris Philosophiæ*, T. IV Declam. Melanchth. p. 754, probatur.

(z) Complures præterea & *contemptionis*, & *ardoris Germanorum diminutionis* caussæ conuenisse videntur: quales optimus Melanchthon in Declamationibus suis libere enarrauit. Nam quum *Regulos* partim ita crassos exstitisse, conquestus erat, T. I, p. 438, vt pretium litterarum deriuo non intelligere cœpissent, partim ita malos, vt tyrannidi suæ expedire crederent, *leges omnes, religionem, & ciuilem disciplinam aboleri:* p. 442 dolet, eo rem sensim adductam esse, vt *episcopi* pro litteris *arma* tractarent; & multi inter *principes* hanc *curam indignam* se ducerent. passim tum *Germaniam tumultuatam* esse, addit, & ad arma conclamauisse; quo tempore veterem versiculum recte vsurpari a Germanis potuisse, censet:

Pellitur e medio sapientia, vi geritur res.

Quo facto, accidit, vt paullatim non solum *nullus* litteris haberetur *honos*, sed vt *odia* etiam, & ingentia

tum ſtudio non minus facile, quam Itali antea, duci ſeſe paſſi ſunt Germani: præſertim quum iſtud ſtudiorum genus, cui non tam lucrum & quæſtus, quem pleroſque omnibus artibus anteponere conſueuiſſe, vere dixit Chal-

pericula proponerentur diſcentibus: qui propter doctrinæ, aut ſapientiæ opinionem ſuperbiſſime non modo ab imperitis, a mercatoribus, centauris, ſed etiam ab illis *ſemideis*, qui regnabant in aulis, contemnebantur. vnde porro euenit, vt ad ipſos ſtudiorum labores ea accederet *paupertas*, quam perferre poſſe, non vulgaris erat animi magnitudo: de ſingulis incommodis, quorum quædam extremo capite a me denuo attingentur, iuſtæ inſtituuntur querimoniæ T. I Declam. p. 438, 442, & 445. T. IV, pag. 417. vbi *diſcentes* non leuiter ſimul a Melanchthone *accuſantur*. T. I, pag. 406, queribunda admodum voce interrogat: *At ex noſtris iuuenibus quotusquisque vel perpetuo decennio vnum aliquem verſiculum ſcribere inſtituit? Plerique compendiariam viam ad conſequendam eruditionem eſſe cenſent, ſi quam plurima audierint, aut legerint. Itaque alii totos dies ſurſum ac deorſum currunt, ſcholas omnes perreptant, præceptores paſſim audiunt, miranturque non intellectos, dictata excipiunt, vncialibus litteris elenchos commentariorum notant, minio illuſtrant. In pretio ſunt interpretes, qui quam plurima dictando tempus extrahunt, nec quisquam ſemiſſe præceptorem emerit, qui ab hac conſuetudine, vel transuerſum vnguem diſceſſerit. Rurſum alii domo nuſquam pedem proferunt, libriſque ſe, tamquam piſtrino cuidam, addicunt, chartas voluunt ac reuoluunt; beatos ſe putant, vbi quotidie magnum numerum chartarum percurrerint. Annon vtri-*

Chalcondyles, quam doctrinarum per se considerata excellentia, finis proposita est, paucis oppido sese commendet: etiamsi hominem

que miseri videntur cum tanto labore, tantaque valetudinis iactura desipere tantum discant? pag. 416, eiusd. Tom, doluisse se, adfirmat, quando conspexerit, plerosque intempestiue ad grauiores, vt vocauerint, disciplinas properasse, quosdam vero ad *Iura* discenda, ad *Medicinam*, spe quæstus rapi se passos esse, alios ad *Theologiam*, priusquam robur aliquod in studio artium dicendi fecerint, contendisse. Qui si suo quæque ordine aggressi essent, felicius multo, Melanchthonis iudicio, res suas gerere potuissent, male tentato compendio ipsi sese morati. Grauiter etiam de Germaniæ iuuentutis *negligentia* conqueritur oratio de *Studiis veteris Philosophiæ* T. IV Decl. pag. 738. seq: *Refrixit ardor ille ac deferbuit studium, contraque creuit delicata ac diffluens laborumque impatiens animi mollities in degenere a maiorum vestigiis adolescentia, quæ --- vt in vita communi contemptis legibus, ita in doctrinarum campis visitata methodo reiecta, sic imbecillitate degenerantis prorsus ac languescentis naturæ aspernatur accuratioris studii & diligentiæ exquisitioris laborem, abhorretque ac refugit, quæ intentionem animi applicationemque exigunt paullo vehementiorem ac diuturniorem.* & paulo post: *de nostris auditoribus queri iure possumus, qui quum ordimur auctorum enarrationem, nouitate allecti accurrunt frequentes, sed principio vix leuiter degustato, vbi ad res ipsas peruentum est, capti satietate, aut absterriti impensioris & diuturnioris studii opinione, quam ex falsa difficultatis persuasione induunt, mox diffugiunt, neque ordine, neque integre artes discunt.*

cum primis ad humanitatem ducere videatur. Inde etiam accidit, vt Camerarii ætate, atque ita ipso isto aureo Latinæ linguæ sæculo, industriis litterarum cultoribus, velut error, ab ambitiosis atque auaris quibusdam hominibus exprobrari cœperit, quod statuerint, *litterarum studium virtutis atque sapientiæ viam esse, & directum, quum pietatis & religionis, tum humanitatis & laudis, in hac vita comparandæ, iter*. Hunc enim errorem, vt cum hominibus istis loquar, litterarum cultoribus impedimento fuisse, perhibebant, quo minus *opes, dignitatem* atque *honores* sint consecuti (a). Id quoque R. Agricolæ tempore præcipue fuit, quod Germanorum mentes ab studiorum istorum cultura deterruit; quum plurimi humaniores litteras *steriles* iudicarent, & *ieiunas*, quæ magis animum explere possent, quam arcam (b). Quum *Vlr. Huttenus* post suam tot annorum per Europam peregrinationem, tot aditis periculis, tot exhaustis calamitatibus, nullis non ærumnis adflictus, tandem ad suos rediret, populares longa exspectatione fessos aduenienti occursaturos, obuium manibus excepturos, blanda aliqua præfatione salutatum amplexa-

(a) Camerarius in Narrat. de Eob. Hesso A. 3, b.

(b) Rud. Agricola in epistola ad Barbirianum, opusc. p. 194.

plexaturos, gratulaturos ipsius incolumitati, probaturos, quod cum patriis Musis rediisset in gratiam, sperauerat: sed frustra (c). Nam quum fama iam præcesserat, quibus studiis operam impenderit Huttenus, reperti adeo sunt, qui reducem accusarint; omnes eum reprehenderunt; *frustra ipsum laborasse, tempusque perdidisse*, opinati.

Minus æquis eiusmodi rerum æstimatoribus ne aures præberet Germaniæ iuuentus, Agricola, & omnes, qui postero tempore veram eruditionis laudem adfectarunt, auctores exstiterunt, docentes, *ea, quæ honesta sint, propter se expetenda esse, elaborandumque, vt quæ recte de rebus sentiamus, commode eloqui possimus.* Sturmius idcirco eamdem Germaniæ iuuentutem scire voluit (d), se non auaris sordidisque hominibus præcepta consignasse; sed contra barbariem se pugnasse, confirmauit: *omnem* enim *auaritiam*, *omnem sordium colluuiem*, *barbaram* se censere, ostendit; in quam eloquentia ne caderet quidem. ingenium potius quæsiuit cupidum laudis, litterarum & elegantiæ studiosum: ardentem præterea animum flagitauit; qui non tam sibi, quam aliis, viuere videretur, & alio-

 rum

(c) hæc de se refert Huttenus in luculentissima, quam *Nemini* suo præmisit, præfatione.

(d) de Exercitationib. rhetor. lib. c. 1.

rum bona & felicitatem suas arbitraretur esse possesſiones. Quum vero nihilominus ingenia quæque elegantisſima indies magis cognoſcerent, non ſolum ſibi meliores litteras colentibus præmii nihil propoſitum porro eſſe, ſed ne incredibilium quidem laborum *minutam* ſperandam eſſe *mercedulam:* non adeo mirum putauit Caſelius (e), ea a ſtudiorum cultu deterrita, vſibus ſuis tempeſtiue ad artes quæſtuoſiores ſeſe tradidiſſe. Quibus moribus Latini ſermonis puritas ruinam omnino minari videbatur (f). Siquidem Germaniæ ciues natiui & elegantis Romani ſermonis vſu relicto, non optimorum veterum dictionem Agricolæ Goclenii, Melanchthonis, reliquorum, exemplo exprimere perſeuerarunt, ſed compendio quaſi ducti, riuulos, eosque turbidos plerumque, ſectari cœperunt. Via videlicet, quam optimi iſti viri ingresſi ſunt, ardua, ac longa nimis ad *honores diuitias*que ipſis videbatur: licet minus aſpera, & minus periculorum plena; qualem Agricola, Reuchlinus atque Buſchius eam inuenerant: ſed trita plane eſſet, aperta, ſimplex, ſicque directa, vt bene

muni-

(e) ep. ad Eberhardum, Præſulem Lubecenſem, in epiſtolar. Roſtochienſ. Mantiſſa a Vagetio ed. pag. 24.

(f) præfat. Lexico trilingui Baſileæ ed. præter Sturmianam præm.

munita tenere
edita doctrina sapientum templa serena
potuissent, si modo placuisset.

Temporum, quæ modo laudatorum virorum ætatem antecesserunt, in Germania nostra barbariem cur tantopere stupeamus, caussam forsitan haud reperiemus, si ipsa ista tempora accuratius paullo inspexerimus. Nullos primum, si Eginhartum, Lambertum Schaffnaburgensem, & paucos oppido alios, excipiamus, inuentos tum inter Germanos, quorum industriam in veterum dicendi genere imitando reliquis imitari licuerit; vel qui populares ad laudem, pura, ornata atque copiosa oratione quærendam, exemplo stimularint suo, supra demonstratum est. Pauca deinde veterum monimenta barbaris istis sæculis, & nonnisi in paucissimorum fuerunt manibus, magno ob singularem raritatem coempta pretio; etsi a parum doctis manibus plerumque erant descripta, minus ideo accurata. Postquam autem Germania non aliquot sæculorum spatio, sed non ita multorum lustrorum interuallo, ingentem ciuium Latine quam doctissimorum habuerat numerum: & postquam typographicæ artis beneficio factum erat, vt plurimorum lectissimorumqueRomanorum monimenta bella papyro, elegantibus typis, & emendate admodum

exscripta, paruo sane pretio comparari potuerint, facilius, Caselio ita sentiente, mirari quis potuisset, quid fuerit, quod extremo sæculo XVI *Latinum sermonem miserum in modum didicerint, sibique praclare eum tenere visi, ac Romanorum similes se putarint homines, qui primos litteratorum canones haud violarint*. Namque, vt eius proprietatem, puritatem, & elegantiam nossent, ita paucis studio tum fuisse, addit laudatissimus vir, quasi ex veteri sæculo nullus plane scriptorum superfuisset. quem fateri plane pudebat, *in scholis pene omnibus, tam publicis, quam priuatis, tam celebribus, quam obscuris, cuiuscunque potius libros, etiam indoctorum & barbarorum hominum, tritos tum esse, & veluti oracula tractatos, quam veterum aurea illa monimenta*. Quæ quum de manibus deponere litterarum cultores numquam oportuerat, plerique vix ea intuebantur, raro aperiebant (ff) : Quintiliani consilium minus secuti, qui præcipit (g): *grammatices amor, & vsus lectionis, non scholarum temporibus, sed vitæ spatio, terminetur*. Quum Camerarius ad Principem quemdam, summum libera-lium

(ff) Caselius in epist. ad Io. Ern. ab Hoim, Galeni libellæ: *quomodo quis & dignoscat & sanet proprios animi sui adfectus:* ab ipso Caselio edito adi. & in præfat. Aldi Manutii phrasib. præm.

(g) lib. I Instit. Orat. cap. 8.

lium ſtudiorum fautorem, litteras aliquando ſcribere conſtituerat, Latini ſermonis proprietatem ita in iſtis obſeruare vix auſus eſt, vt neque vocabula, neque formam a Latinitate alienam vſurparet; veritus, vt id apud ineruditos vel inſcitiæ, vel ſtultitiæ, vel etiam arrogantiæ crimine careret. quamlibet tale quid ab ipſo Principe, viro doctrina præſtante, & bonarum artium in primis perito & maximo amatore pertimeſcendum fuiſſe, negauit: iſtiusmodi tamen litteras mittendas non putauit, niſi quas in ſolius Principis manus peruenire nouerat (h). Tantopere ſuperioris ſæculi, quo ipſe Imperator auguſtisſimus Maximilianus I Commentarios de rebus ab ſe geſtis Latino ſermone, eoque puro admodum, proprio atque perſpicuo conficere haud dubitauit, genius tum erat immutatus (i).

(h) epiſtolar. familiar. lib. I, ep. 5.

(i) atque ita Camerarii ætate iam eueniſſe, inde cernimus, quod Taubmanus in diſſert. de lingua Lat. p. 85, ſua etiam ætate contigiſſe, narrat: *Et eſt tamen hodie [vt verum fatear], vbi quis diligentior voce aut phraſi principis etiam alicuius e Latio timidius vtitur: quod intelligat, ſibi rem eſſe cum iis, qui eadem, ſi forte non legerint, pro parum Latinis habituri ſint.* multis deinde exemplis probat ibi Taubmanus, licet quædam a perfectisſimo illo Cæſaris & Auguſti. ſæculo mutuata, ipſam Venerem venuſtiorem facere potuiſſent, fuiſſe tamen, qui ea inuenuſta dicere auſi ſint.

Licet enim *orationis summa virtus* habeatur *perspicuitas*, & *omnis oratio, quæ interprete egeat*, *vitiosa* visa sit Quintiliano; qui *adfectatione odiosius nihil* censuit. sed tamen, quemadmodum ipsius huius Quintiliani ætate fuerunt, qui *abolita* atque *abrogata* retinuerunt, & in Gracchorum, Catonisque & aliorum similium lectione durescere voluerunt: id demum eleganter atque exquisite dictum putantes, *quod interpretandum esset* (k): ita litteris vix renatis, *Apuleiani* iam *obsoletaque antiquitatis adfectatores* sese obtulerunt in Germania (l), ingeniosi maxime sibi visi, si ad intelligendos ipsos *interpretatione* opus esset: accurate idcirco cauebant, ne Ciceronis, eorumque, qui hunc imitari studuerunt, more loquerentur, aut scriberent, nec commune aliquid cum aliis haberent; vetustissima vocabula, dudum reiecta, summo conquirentes studio, vt noua quasi ea donarent ciuitate (ll). Quos multi minus forsi-

(k) lib. I Instit. Orat. cap. 6. l. II, c. 5. & l. VIII, c. 2.

(l) Erasm. de conscr. epist. p. 8.

(ll) vide *Matth. Dresseri* aptam ad illa tempora orationem, *de libris, quos legere deceat*. vbi *antiquum* illud & *obsoletum dicendi genus* de industria in scholas inducere quosdam conatos esse, narrat Dresserus, se cohorruisse adfirmans, quotiescunque tam monstrosum sermonem audiuerit. rem, quum sæculum XVI prope in exitu esset, eum iam in locum addu-

forsitan tolerandos, existimauerint, quam eos, qui Erasmi tempore *Ciceronianos* sese nominarunt; & quos *nouam* veluti *sectam* inuectam fuisse, queritur, vt *sermo purus atque apertus exploderetur*, Ciceronis dictione plurimis sordente; & vt ii, qui eum profitebantur, expellerentur: postquam soli docti haberi cœperant, qui *libertatem*, vt in doctrina, sic *in lingua* quoque, sectabantur, studiose cauentes, ne *Ciceronis serui*, sed liberi prorsus, viderentur, qui in nullius magistri iurauissent verba. In eius generis homines acriter valde inuectus est amplissimus *Dau. Peiferus*, superiori capite in eloquentissimorum senatorum numero relatus; qui in *Commentatione* sua *de Latinitatis Magistris*, ibidem a me citata, magnopere miratus est, homines aetatis suae satis alioquin ingeniosos, non vidisse, nec intellexisse, ipsos, si in comprehensione verborum obsoleta atque prisca cum tritis & vsitatis promiscue connecterent, a veritatis regula & Latine loquendi veterum eruditorum approbata consuetudine longe abesse, atque suopte ingenio, nullo Latinorum exemplo, *orationis confusae & versicoloris genus*, ex se ipsis gignere; quod res, quae illo verborum habitu vestiantur, plane effeminare videretur. Tales deinde, qui vitiosa imitando consectarentur, praeterquam quod stultissimos sese praeberent, quum ex infima Romanorum iam ad interitum spectantium fere haustam Latinitatem nitidae illi & eleganti Tullianae orationi anteponerent, id lucri facere, ostendit Peiferus, vt *malis magistris peiores fiant discipuli*, qui ab optimis longissime absint. Id aeuo suo factum esse, euidenti demonstrat documento, quod *interpolatorum simiolum* subministrasse sibi, ait: huius obscurorum maxime versiculorum, quorum primus est,

inuehere molitos esse, ipse Erasmus coarguit, apertissimo odio eos prosecutus, ceu homines, intolerabili supercilio omnium scripta, quæ

Sic est : Nam nenum latiunt vls Manaca: præsest
Andreas, ipsus horritor ego cluo:

exemplo adiecto, exclamat: *o præclaram Latinitatem, o flagitiosam barbariem, non probris, sed virgis coercendam.* Ambitiosos huiusmodi Latinæ linguæ deprauatores, nec Ciceronem nec Catonem imitando, *peculiare* quoddam, *a Romanorum, tam priorum, quam posteriorum, loquendi consuetudine alienum dicendi genus* induxisse, monstrat; quum non in simplicibus tantum verbis, sed in pluribus continuatis etiam, data opera obscuritatem secuti sint; quamquam ipsis latere haud potuerit, omnium ætatum ac temporum consensu, conspiratione & iudicio, a Latinis auctoribus explosos fuisse eos, qui in iactationem eruditionis cuiusdam singularis vetustatem adfectarint, & disparium sæculorum loquendi consuetudines constructione verborum priscorum vsitatorumque inepta confuderint, nouam quamdam rationem adferentes orationis, temporibus veterum Latinorum alienæ, membris & incisionibus abruptæ, fractæ, minutæ, obscuræ, & ad ostentationem ab hominibus ambitiosis comparatæ; vt soli quædam scire viderentur. A *monstrosa* hac *Latinitate* & barbarie, ad *assiduam Ciceronis, eiusque æqualium, lectionem* vt maturæ auocaret iuuentutem, studiose operam nauauit Romano sermoni amicissimus Senator, singulos Germaniæ eruditos, doctissimum in primis Dresserum, obtestatus, vt idem secum facerent. nisi enim coniunctis viribus istas *Latinitatis pestes* a bene institutis scholis depulsum iuerint, verendum declarauit,

quæ Ciceronis lineamenta referre non videbantur, reiicientes; qui adolescentiam insuper, a ceterorum scriptorum lectione deterritam,

ne malum longius serperet, & incautos adolescentes, suaque sponte ad nouitatem plerumque procliues, fœda barbaries infuscaret; & ne *litterarum* insuper *lumen*, quod in densissimis barbariei tenebris patrum memoria diuinitus Germaniæ ostensum esset, non absque *religionis perpurgatæ periculo*, obscuraretur denuo. *Nefariæ periculumque minitantis* tum *rei prodigium* ac *portentum* nominat idem excellentissimus eruditæ Commentationis auctor quemdam *inquinatæ* eiusmodi *Latinitatis artificem* ac *coryphæum*; qui, quum prius orationis nitorem & perspicuitatem in squalorem & obscuritatem vertisset, tum, veritate cœlestis doctrinæ prodita, lucem cum nocte commutans in Pontificiorum castra sese coniecerit. Enimuero *fanaticorum hominum orationem monstrosam* esse solere, dudum in orat. de *Cura recte loquendi* T. IV Declam. Melanchth. p. 703, ostensum est. qua simul confirmatur, omnium illorum, quorum dictio perplexa, ænigmatum Sphyngos similis, verborumque nihil significantium portentis sit referta, opiniones quam maxime esse suspectas. talem enim orationem *sophisticam præstigiatricem* iure haberi posse; qualis *Osiandrica* quoque & *Schwenckfeldiana* oratio exstitisse, ibi traditur. Hactenus enarrata si consideramus, Melanchthoni grauissimas caussas fuisse, confitebimur, cur Germaniæ iuuentuti *orationis puritatem natiuamque faciem* diligentissime commendarit orat. de *Studio artium dicendi* T. I Declam. p. 389. etenim perspectum primum habuit, iuuentutem casu, non ratione, viuere, & temerario quodam impetu ad ea delati, quæ vulgo maxime ce-

ritam, ad vnius *M. Tullii superstitiosam æmulationem* adigere conati sint ; quum tamen nulli minus, ex eiusdem Erasmi sententia, expresserint Ciceronem, quam ipsi, qui se huius tituli fumo molestissime venditarint, adeo, vt postulare denique & ausi sint, vt ipsi *Cicerones*, non Ciceroniani modo, haberentur ; mirum quo supercilio Thomæ, Scoti, Durandi similiumque barbariem exsecrantes : quibus ipsi, qui se nec eloquentes, nec Ciceronianos iactabant, magis Ciceroniani sæpius Erasmo videbantur (m). Tali adfectu nonnihil

lebrentur. optime deinde cognouit, nisi eadem iuuentus *proprietatem* atque *perspicuitatem in dicendo*, velut singularem elegantiam, tueretur, homines non modo non venuste, aut inquinate, sed improprie, obscure ac inepte dicturos, sermone absurdis ac ineptis metaphoris obscurato. *Quis* vero, ait Melanchthon, *Apuleium & huius simiam ferat? sed recte Apuleius, qui, quum asinum repræsentaret, rudere, quam loqui maluit.*

(m) in epistola Ciceroniano addita, & in ipso *Ciceroniano*. Erasmum prauitate quorumdam ad quamdam velut iniquitatem deductum potius esse, quam voluisse eximiæ rei ac rationi nocere, Camerarius in Tuscul. Cic. l. Comment. lib. 1, pag. 137, credidit: qui lib. 2 Commentar. p. 145, 146, Erasmo amplissimum testimonium scripsit, quod eo grauius & sanctius videri posse, existimauit, quo minus id iudicari queat, aliquo beneficio peculiari, aut merito erga se illius datum esse. De Erasmi *Ciceroniano* ac *recta Ciceronem imitandi ratione* grauissimum *Iulii Pflug* iudicium legitur in epistola ad Menzerum ab ipso

nihil adflatos iuuenes ex Italia, præcipue Roma (n), in Germaniam remissos esse sua ætate, conquestus est Erasmus: vnde ipse *Christophorus Longolius* ortum traxerat (o): cui vni

data, P. II Monumentor. Pietatis & litterar. pag. 34. seqq. Quid senserit illustris vir, vel ex paucis his elegantis epistolæ verbis apparet: *concedo, multa propria rerum vocabula in Cicerone desiderari, eaque, si opus sit, ex aliis auctoribus sumi oportere --- quasi vero non possimus aliquem recte imitari, si in ea ipsa imitatione adhibeamus aliqua, quæ aliunde sumpta sint.* extrema fere epistola scripsit: *Quis igitur non malit vnum Ciceronem imitari, quam ceteros illos, tot ac pene infinitos? Huc accedit, quod si varios imitabimur, naturalis ille nitor & succus orationi inesse non poterit.* paucis interpositis: *Quamobrem si constitutum est illud, Ciceronem vnum imitandum esse, vt ego nihil addam præterea, per te statuere poteris, quid ego de Ciceroniano Erasmi sentiam.* Cum Iulio Pflug facit *Peiferus* in paullo ante commendata lucubratione. At *Fr. Taubmannus*, qui in Dissertat. de lingua Latina p. 36, seqq. fuse satis de *Ciceronianis* agit, in plerisque cum Erasmo sentit. Plura de Erasmo, eiusque Ciceroniano, ac singulis libris, iudicia Th. Pope Blount subministrat p. 526 seqq inter quæ & illud est, quo Scaliger, filius, Scaligeran. II, p. 74, censuit: *in Dialogo Ciceroniano nugaciter lapsus est Erasmus.*

(n) quatuor ætate sua ineptos adolescentes in Italia fuisse, tradit Erasmus Ciceron. pag. 342, qui *Ciceronianos* iactare se cœperint, quum tamen nihil Ciceroni fuerit dissimilius.

(o) ipse de se scripsit: *Ego Maclinia natus sum, Maclinia educatus, Germanica lingua & Cæsarum di-*

vni Cisalpinorum in Cicerone imitando palmam tribuerunt ætatis istius Itali, & ob admirandam sermonis Latini elegantiam *ciuis Roma-*

tionis oppido. vide Longolii vitam Epistolis eius præfixam, & a M. Adamö Philosophorum vitis ab se collectis insertam: & Erasmi Ciceronianum pag. 383 seqq. vbi de *Longolii dicendi genere*, & via, quam is in *Cicerone imitando* ingressus est, verba facit. p. 384 scribit: *Nihil est, quod isti Ciceronis simii nobis Longolium obiiciant, aliis dotibus ille magnus erat, etiamsi Ciceronianus non fuisset, & hæc ipsa vanissimi tituli ambitio fructum propemodum studiorum illius corrupit, vitam abrupit:* p. 392, inuidendum ferme hoc testimonium impertiuit industriæ a Longolio in *orationem*, qua *famam* suam contra vituperatores *defendit*, conscribendam collatæ: *in hac materia tanto ingenio, tantaque ingenii dexteritate rem gessit egregius iuuenis, vt hodie neminem norim, vel apud Italos, quem existimem idem præstare posse, tantum abest, vt Longolii laudibus aliquid studeam detrahere. Talibus enim ingeniis non queam non fauere, etiamsi mihi male velint.* Quanti vicissim Longolius Erasmum fecerit, ex 34 epistola eius lib. IV cognoscere licet: qua extrema ad *Iacobum Lucam* scribit: *Studeo homini* (Erasmo) *si quis mortalium alius, tametsi de facie numquam mihi viso, idque ob communem patriam [sumus enim eiusdem, vt nosti, & linguæ & ditionis] colo autem ob eximias illas animi dotes, quas in eo ita suspicio, vt votorum meorum summa sit, hinc ad annum etiam alterum supra vicesimum, quo me ætate superat, si non illum, quem nunc tenet, saltem proximum eloquentiæ gradum attingere. Improbum, inquis, votum: improbum sane, sed quod nec ipse plane improbet.*

Romani titulum decreuerunt; Longolii patriam indignam quasi censentes, quæ *Ciceronianum* protulisse diceretur.

Sed nimia ista, qualis videbatur Erasmo, in Ciceronem adfectio, sub sæculi XVI exitum apud Germanos maxime diminuta est, postquam, dilucida atque ornata *Ciceronis dictione* plerisque *sordente*, nouum illud atque

Gg adfe-

Ego nec existimationi, nec commodis tanti viri inuideo, cuius eloquentia apud me pluris est, quam totius Galliæ opes *Longolii laudes* late etiam persequitur *Peiferus* in Commentatione toties hactenus ob elegantiam atque eruditionem, qua conscripta est, citata. narrat ibi, Longolium, adolescentem adhuc, in omnium, qui exstant, Latinorum auctorum libris volutatum, formam quamdam dicendi scribendique inconditam & inæquabilem contraxisse: deinde a *Petro Bembo* monitum, genus illud orationis mutasse, nec vllum postea Latinum scriptorem alium, præter *Ciceronem*, habuisse in manibus: nec aliis, quam *Tullianis verbis*, vsum fuisse; quæ ipsi ad omnia sensa animi exprimenda abunde suffecerint. *moriturum denique amicis suis commendasse: Quæ prius verbis vndique arcessitis scripta edidisset opuscula, illi vt penitus abolerent. Ceterum præclara* omnino *imitationis exemplum* dedisse Longolium, censuit Peiferus; in quod sciolos, qui tamquam triuiale aspernati sunt eo tempore, quicquid obsoletis & vetustis verbis non scatebat, intueri iussit; & vt idem, quod Longolius magna cum laude fecerit, & ipsi facerent, vitiosæ Latinitatis curriculo, quod prauæ opinionis errore ingressi viderentur, mature conuerso, monuit.

adfectatum ſcribendi genus ex antiquisſimis & obſcurisſimis ſordibus contra inualuerat (p). Eodem fere tempore, quum *adagiorum* copia non moderate pasſim vterentur homines, *aetatis* iſtius *ſtilo id obfuiſſe*, Io. Sturmius vſu compertum habuit (q). qui etiam,

(p) id factum eſſe, valde etiam doluit Mart. Cruſius, Annal. Sueu. lib IX P. III, c 8, p. 508. Quantum Latinitati obſit *Ciceronis contemptus*, Melch. Inchofer cap. 15, lib. II S. Latinitatis, pluribus argumentis declarauit.

(q) teſtatur hoc præfatio eius, Adagiis clasſicis Argent. ſcholis a I. L. Hauenreutero digeſtis, præm. Abuſus Melanchthonis æuo iam ſentiebatur: qui Criſ. pag 718, ſiue in præfat. in Rhetoricam, ſciolos quosdam erroris arguit, qui ſomniarant, ſe in arce eloquentiæ ſedere, poſtquam didicerant epiſtolium ſcribere octo aut decem verſuum, in quo duo aut tria ineſſent hemiſtichia, aut *prouerbia*, quaſi emblemata. Imitandas fortaſſe ſibi propoſuerunt eiusmodi adagiorum amatores *P. Fauſti Andrelini, Foroliuienſis, Epiſtolas prouerbiales*. quas *B. Rhenanus* an. 1508 Seleſtati *ad Germanicæ iuuentutis vſum impresſioni mandauit*, vt ipſius Rhenani verbis vtar. quas *protritam triuialemque eruditionem in ſe continere*, negauit: quum *eximiam in primis verborum elegantiam, nec minorem ſententiarum venuſtatem habere* viderentur. etſi auctor in nonnullis opuſculis genuino poetarum more laſciuiuſculus fuerit; in epiſtolis tamen hiſce *integrum* ac *modeſtum oratorem* eum ſe gesſiſſe, confirmat Rhenanus; qui ſuam de *adagiorum vſu* ſententiam his verbis in dedicatione expoſuit: *Ceterum norit candidus lector, adagia condimentorum rationem ſubire. iis*

etiam, quum Argentinam venerat, *solutam orationem & huius numerum* ita in Germaniæ ſcholis *neglectum* deprehendit, vt *verſus ſolum conficerentur*; quam boni & elegantes, lectorum iudicio reliquit.

Ingens quidem ſub tempus iſtud prodiit *criticorum exercitus*; at tantum abeſt, vt is Latinis Muſis auxilium tulerit, vt multum moleſtiæ exhibuerit, & maxima inuexerit incommoda atque detrimenta: dum plurimi

 eorum

nempe ſi immoderatius, in concinnandis eduliis popinatores vtantur: guſtui haud grata, iucundaque reddent. Illis, ſimili pacto, ſi modus abſit, non tam ſplendorem, ac ornatum, quam obſcuritatem ſermoni tuo adferes. Vt lector *prouerbialis ſtili* exemplum habeat, IX Andrelini adagialis epiſtolæ, quæ omnium poſtrema eſt, partem adſcribam; nam, quantum ſcio, epiſtolæ hæ perraræ ſunt: *Nodum, Andrea, ſi in ſcirpo queris: & apinas tricasque inueſtigas: quum a me petis, cur epiſtolas ſcribam vndique adagiis ſcatentes, vixque ab Apolline intelligibiles. iuxta epigrammaticum illud: Non auctore tuis opus eſt, ſed Apolline verbis: filum diſrumpam manumque in os inſeram. Poſteaquam mammæ lallare, & buas atque papas infantiliter balbutire non deſinis. ne ſcilicet videaris aquam ex pumice; aut ab aſino lanam poſtulare, linumque lino connectere, & ab eo velle nandi modum ediſcere, qui numquam vel cortice vel veſica natauerit. Ego [vt ſcias,] non conſulto ſcribendi ſtilum obſcuro, vt tenebras iudicibus offundam: ſicut & Nigidius figulus, & Heraclitus Ephesius de induſtria fecere. ille vulgo culpatus eſt: hic Scotinos cognominatus, ob immodicam ſcil.*

eorum in veterum monimentis confodere, atque iugulare audebant, quæ volebant, & subst tuere, quæ modo videbantur: summa in hac, vt in reliquis rebus omnibus, pro perniciosa ingenii libidine, vsi libertate. Aspere eo nomine ab iis, qui inter Germanos incorrupti Latini sermonis caussa quam maxime etiamnum cupiebant, accusabantur *liberi* eiusmodi *censores*; conuicti, ipsos veterum scripta contaminasse, & immoderata licentia, qua in emendandis his vsi sint, effecisse, vt numquam *corruptiores* exstiterint *auctores*, quam ipso isto tempore, quo tam copiosa ac temeraria criticorum soboles ex omnibus fere Europæ angulis prodierit (*).

Fue-

quam adfectauit, intelligendi cæcitatem. Sed ne claudi more pilam tenere censear, tentandam esse orbitam, duxi, nulli hactenus protritam, qua me quoque possim tollere humo, victorque virum volitare per ora. Ingenerosum est, vt ait Seneca, sapere solum ex commentario. nullum certe prænium sequor, vel pessimum, vel optimum ducem me ipsum habeo. Publicam viam perambulat, vel occæcatus Phyneus: non vtendum est aliorum filo; nam crambe bis posita, vt Græcorum paræmia fertur, mors est. & quæ sequuntur.

(*) Dresserus in cit. orat. & Caselius in orat. funebr. Andreæ Mylio scr. C. 2. conf. in primis eruditas *Iani Gruteri*, quas tribus prioribus *Artium liberalium Faci*, (*Thesauro Critico*, præmisit, *præfationes*, quibus ostendit, complures *assumptam Critici personam* tam inscite atque indecore sustinuisse, vt vel

Fuerunt etiam, qui nonnihil caussæ, cur Ciceronis dictio, tamquam simplex nimis, sordere cœperit in Germania, a *Petro Ramo*, eiusque *Philosophia*, profectum putarunt. ex quo enim Rami nouitates, ex veteri tamen barbarie, tamquam ex ruderibus erutæ, in

Gg 3 phi-

per ipsam *meræ* apparuerint *simiæ*. Quare, nisi nascenti statim typographiæ, fato quodam, reuixisset *genus* illud *Aristarchicum*, quorum tutelæ & ipsa acquiesceret, vindicareturque ab inscitia & petulantia eorum hominum, qui ei subministrabant tum, sibique *omne putabant licere, quod liberet*, eam numquam fuisse, præstitisse, censuit: vtpote præ qua prior ista Barbaries, illa librorum artiumque corruptrix, vix fuisset barbara, ex sententia Gruteri. *Neque enim*, pergit, *quieuissent Satagei isti, donec vniuersa & singula Classicorum Scriptorum latifundia ad eam redegissent faciem, qua Aper Mineruæ Calydoniam. non Theologiam tutam præstitisset Religio, non Philosophiam Natura, non Iurisprudentiam Lex; sed vna ruina omnia inuoluissent diuina atque humana isti Typographiæ ad prela sedentes, quibus neque pudor curæ, neque honor, sed, nescio quis Plutus, a quo tamen nihil vmquam eis obuenit, nisi species illa cæcitatis, vt, quum non videant, quæ sunt, videre videantur, quæ non sunt. Nibil me loqui ad inuidiam, vtinam ipsamet auctorum monimenta non de se loquantur! nam quamuis subiaceret ipsi Criticæ natio illa correctorum minime correctorum: ita tamen sibi indulsit in eis fœdandis, vt plus vulnerum præferant, quam Regulus ille Carthaginiensi arcæ inclusus, quam cloaca Maxima, quum Romæ minime pluit.*

philosophiam inuectæ, Aristotelicæ, atque ita Melanchthonianæ simul, philosophiæ sint prælatæ; libertatem non minus in philosophia, quam in theologia, vsurpatam ostendunt. Quocirca Ramus ab iis coarguebatur, qui *quisquilias in Mineruæ templum inuexerit*, per coniurationem, manu negligentiorum, aduersus omnem vetustatem factam, *in regno sapientiæ tyrannidem parans*. Illos certe, qui nouationi circa medium XVI sæculum excogitatæ, petulanterque passim introductæ studuerint, multis elegantibus ingeniis fraudi fuisse, monstrant, vt quum ad veram frugem non venissent, se sapientiæ arcem tenere, arbitrarentur. Nouæ huius sapientiæ famæ in Germaniam quoque iter patuisse, eruditi eius vehementer doluere; quum nouatores pueriles ludos ingressos adolescentulis, penes *se nouæ sapientiæ & eloquentiæ fontes esse, seque solos omnium scientiarum compendia tenere, ac monstrare, nihil alios intelligere, obsoleta esse, & nulli vsui monimenta veterum*, facile persuasisse, cognouerant: & mox senserant, eosdem nouatores academias quoque tentasse, famamque sibi comparare iam cœpisse (r).

Quan-

(r) Dresserus c. l. & Caselius in epist. ad Io. Reccium, A. 3: & in Laudat. Io. Alberti, D. Megapol. D. 3. conf. Francisci, Regis Galliæ, de *Libris Petri Rami*

Quantopere in imperiis, ecclesiis, scholis, & studiis a superiorum temporum felicitate omnia tum discreparint, *Caspar Hofmanus*, in Siluula orationis de *Barbarie imminente* (s) luculenter ante oculos proposuit; monstrans, eo ætate sua rem rediisse, vt contempta iam tum iacerent & frigerent bonarum artium studia, & disciplinæ Reip. vtiles, velut ex alto, despicerentur, ita, vt apud summos pariter, & imos, *eruditi nomen* propemodum

Gg 4 in-

Decretum publicum, deque iisdem Iudicium a iudicibus, quos tum Rex, tum partes elegerunt, factum anno CIↃ IↃ XLIV. vtrumque post centum annos integros ex bibliotheca H. I. S. editum, Helmest. an. 1644, 4.

(s) Francoford. ad Oderam an. 1578, 8. vbi Philosophiæ ac Medicæ artis doctoris munere summa cum laude est perfunctus, Electoralis Brandenb Archiatri honoribus deinceps conspicuus. de quo vid. Io. Molleri Homonymoscop. p. 684 Leoberga Silesius natione fuerat, *Valent. Trocedorfii* discipulus; cui præceptori suo quantum debuerit Hofmanus, his verbis satis declarauit: *Trocedorfius scholæ Goltbergensis moderator, optimus instituendæ pueritiæ artifex, præceptor meus eruditissimus, grata memoria semper celebrandus.* Ad ipsam Hofmani orationis Siluulam quod attinet, eruditissima ea est, optimis de feliciter instituendis studiis præceptis referta, & dignissima, quæ a bonarum litterarum studiosis diligenter legatur, & quæ idcirco prelo subiiciatur denuo. me certe libelli lectione mirifice delectatum esse, fatear, necesse est.

inuiſum, & *ſcholaſticæ dignitatis* virtute partum *teſtimonium* apud eos, quibus Panico cornuum ſono nihil fuerat antiquius, tantum non contumelioſum eſſe cœpiſſet. Mirum maxime videri potuiſſe, exiſtimauit Hofmanus, ab iſtis quoque neglecta, & in odio apud eos fuiſſe tum ſtudia atque ſcholas, qui ob hoc ipſum, quod didicerant, & ſcire aliquid putabantur, in honore & exiſtimatione fuerant (ſ): quos in primis decuerat, auctoritate ſua apud reges honeſtos cœtus tueri & ornare, ſtudia promouere, & diſcentes beneficentia ſua pro viribus iuuare. Poſtquam perſpicue porro monſtrauit, *docendi rationem degeneraſſe*, *ingeniorumque culturam neglectiorem fuiſſe* ſuo tempore; coniecturam fecit, quam plana ea re ad barbariem ſterneretur via: præſertim quum *diſcordia* ſenſim intercederet inter doctos, atque *ſimultates*. Nam quum ſuperioribus temporibus docti in Germania humaniter inter ſe verſati erant, & dulcis exſtiterat profeſſorum, velut inter fra-

(ſ) id ſequens narratio, quæ in Io. Manlii Locor. commun. collectan. legitur p. 544, quam maxime confirma: *Quidam Comes breui commendatione doctrinæ ad magnam adminiſtrationem apud Imperatorem Carolum V propter eruditionem peruenit. nullus ex ipſius liberis diſcit litteras & artes liberales, neque ipſe adhibet eos ad illas diſcendas, neque etiam vult eos diſcere.*

fratres vnanimes, concordia, & amica omnium ordinum coniunctio; vt nullum ornatius spectaculum apud homines iudicio aliquo praeditos esse putaretur, quam honorabiles coetus eruditorum candore, & ingenuitate aliis praelucentium: & quum studiorum labores in hunc finem direxerant eruditi, vt vna cum pietatis studio *apposite* quisque *& eleganter dicendi facultatem, recteque de rebus iudicandi scientiam* sibi compararet; & praeclarum hunc ingenii cultum & eruditionis adparatum ad publica commoda verteret, siue de religione docendi essent homines, siue Reipubl. opera danda, siue valetudini consulendum, siue formanda iuuentutis ingenia: quum denique in eruditionis aedificatione, ordine instituenda, *sermonis studium*, velut fundamentorum locum ita obtinuerat olim, vt ab hoc discendi initium fieri oportere, crederent; & vt existimarent, quamuis *sollicitudo de vocabulis res* esset *fastidii plena*, & in tenui labor esse videretur; tamen absque his in speciem minutis, nec aditum nec adscensum ad maiora patere. Hofmanus aetate sua aliter omnia facta esse, testatur; quandoquidem tantam in plerisque locis *ingeniorum morositatem*, *animorumque asperitatem* fuisse, confirmat, vt publica quodammodo querimonia esset, eos, qui ar-

tes humanitatis profiteantur, humanitatem ipsam non præstare, ac reperiri multos, qui præter auctoritatem, quam ex professionis titulo vsurpent, nihil vitæ exemplis a reliqua turba differant. Fastuosos præterea homines *bene dicendi artes*, tamquam *minutias*, & *exilis pretii curas*, aspernatos esse, queritur. *Videas*, inquit, *natu iam grandes, & qui scire aliquid videri volunt, quum sua rebus tribuenda sunt nomina, vel turpiter obmutescere, vel res alias pro aliis puerorum more vsurpare, alios verba de vernaculo sermone mutuari, alios per ambages multa perplexitate circumscribere conari, quod significatum volunt, aliquos etiam non sine dedecore suo animi sensum digitis notare. Eos vero, qui sine discrimine, temere quibuslibet verbis vtuntur, neque quicquam pensi habent, quid bene Latine vel* καταχρηστικῶς *dicatur, aut quid artificibus, in sua cuique arte proprium aut permissum sit, aut qua vocum singularum & coniunctarum sit conditio, eos, inquam, videas, dictiones & phrases omnis generis in orationem suam comportare, easque in vsum suum pertrahere inuitas ac repugnantes, effundere verba sine sensu, vana specie turgida, vnde necesse est, exire orationem confusam, intricatam, obscuram, scatentem verbis malis, ad res minime quadrantibus, ineptis, otiosis, adfectatis, tumidis,*

midis, *tragicum & barbarum quid sonantibus, aut rursus nimis exilibus, & puerilibus.* Complures *pulcre Latinos* visos sibi esse, addit, si iuxta præcepta & analogiam locuti, nullam artis regulam violarint, si barbarismis non fœdarint suam orationem, denique si vitarint solœcismos manifestos. Iuuentutem enim de sermonis studio otioso animo fuisse, nec de stilo sollicitam, nec in bonis auctoribus cognoscendis diligentem, nec in cognitione vetustatis aliarumque rerum scitu dignarum occupatam amplius, moderate coarguit (ss). Quid vero tandem futurum esset, reputare iussit Germanos, si iuuentus negle-

(ss) Quam difficulter iuuentus ad *stili vsum* compelli tum potuerit, quam ægre adolescentes animum peregrinantem ad intentionem aliquam reuocarint, & manus ad scribendum admouerint, rectoribus iuuenilium studiorum notius fuisse, scribit, quam voluerint; vtpote quibus cum eiusmodi cessatoribus perpetuo rixandum fuerit. Si omnino impetratum sit, vt scriberent aliquid, oscitanter eos hoc fecisse, adfirmat, *tumultuariam* effundentes *verborum congeriem*, sine delectu, sine ordine, sine cura, vt interdum nulla esset verborum & sensus congruentia. *Refrixit enim*, ait, *in animis discendi ardor, successit pigritia, impatientia curæ & laboris, crescit indies negligentia, vt plurimis nunc degustatio saltem studiorum tumultuaria & ieiuna allubescat, eaque non ex bonis auctoribus comparata, sed ex summariis, collectaneis, rhapsodiis, indicibus & centonibus decerpta & mendicitate collecta.*

neglecto elegantis & culti sermonis studio, abiecta omni inuentionis cura, omissa diligentia inquirendi res vetustatis, actum agere perrexerit. ne similis negligentia ad cetera studia vitæque officia adferretur, veritus est; res saltem, quarum explicatio exspectata fuerit, *barbaro* & *inculto sermone* obscuratum iri, collegit, quum barbara omnia obscura ac incerta iam esse, cœpissent.

Ex his satis, vt opinor, apparet, quam facile Germanos Romanæ, siue puræ atque ornatæ, linguæ fastidium ceperit; & quam longe ii breui admodum interuallo ab Agricolæ, Reuchlini, Buschii, Goclenii, Melanchthonis, Camerarii, & ceterorum optimorum popularium vestigiis discesserint. Longius, credo, ab his discessissent, & omnis forsitan eiusdem linguæ cultus periisset inter Germanos, nisi extremo sæculo Duumuiri, omni omnium laude maiores, irruenti barbariei sese obiecissent; impetum huius strenue sustinentes: alter in superiore Germania, in inferiore alter: quorum vtriusque grauissimis toties hactenus vsus sum testimoniis. *Io. Sturmium*, &, qui ei ætate quidem, sed minime eruditione, inferior fuit, *Io. Caselium*, a me intelligi, facile coniici poterit. De quorum excellentissimorum virorum præclaris in bonas litteras, & Latinum præsertim sermonem

far-

ſartum tectumque præſtandum meritis integri libri conſcrii i, & elogiorum, quibus non eruditisſimi ſolum ciues, ſed cordatisſimi etiam exteri vtrumque decorauerunt, grandes adferri poſſent cumuli. Satis in præſenti habebo, ſi pauca de laudatisſimo Sturmio attulero; & lectorem, quod ad Caſelium attinet, ad Commentarium, quem ego de ipſius *in litteras meritis* conſcriptum edidi (t), remiſero. Ambo amplisſimum, ac Latini ſermonis, omniſque humanitatis vindicem his noſtris temporibus in Germania ſummum, Io. Philippum Sleuogtium, dignum eximiorum ſuorum meritorum prædicatorem nacti ſunt. cuius elegantisſima verba, multorum inſtar elogiorum adſcripturus ſum (tt): *Ex qua tempeſtate litteræ meliores in Germania quoque renaſci cœpere, illud certamine quodam ſtrenue egerunt principes ac reſpublicæ, vt ad omne liberalium artium genus, non ex lacunis turbidis, ſed ex ipſis Græcæ ac Romanæ ſapientiæ fontibus hauriendum; in primisque ad eloquentiam & rerum geſtarum cognitionem erecta ingenia ducerentur. Ac ſingulari*

(t) Wolfenb. an. 1707. 4. qui non ita pridem, vtinam correctior, Roſtochii in Memoriis Philoſophor. a Reinh. Henr. Rollio collectis, Dec. I, p. 218, ſeqq. eſt recuſus.

(tt) ex programmate, in funere clarisſimi viri Georg. Schubarti an. 1701. ſcripto.

lari fato exoriebantur, post communem illum Germaniae praeceptorem, Philippum Melanchthonem, *duo maximi viri, sapientia, eruditione, omnique animi cultu cum optimis veterum comparandi*, Ioannes Sturmius, & Ioannes Caselius: *quorum alter in Argentoratensi athenaeo, alter Rostochii primum, deinde in inclyta Iulia, tam enixam, tamque felicem in scholis, ad scopum, quem laudauimus, conuenienter constituendis, operam posuere; tam salutaribus consiliis, tam indefesso labore praeiuere litterariae pubi, vt & principes summos accenderent ad petendum ex studiis humanioribus decus, & vicinas remotasque regiones hominibus solide doctis implerent: in hunc diem, quamuis iamdiu exempti rebus humanis, non parum iuuantes patriam; quodque alicubi adhuc locorum inceditur recto itinere, & ingruenti barbariei, quantum potest, aditus praecluduntur, vt id sibi, tamquam auctoribus adscribatur, promeriti.*

Luculentissima haec verba, si instituti ratio id concederet, aliorum eruditorum hominum de IO. STVRMIO iudiciis facile a me possent confirmari. Illorum tantum, qui optimi viri *incredibile Latinam linguam & eloquentiam subleuandi exornandique studium* praedicarunt, quosdam citabo. Qui primo loco ex horum numero nominandus mihi vide-

videtur, ipse Caselius est, qui in plurimis excellentis ingenii sui monimentis honorificentissimam Sturmii fecit mentionem, confirmans (u) neminem in Germania in eloquentiæ studium incubuisse visum tum esse, qui Sturmium non audiuerit: recte idcirco *dicendi magistrum in Germania principem* dici eum ab se posse, existimauit (v); qui eloquentiæ semina, nec illa inania Argentinæ sparserit, quum multiplicis doctrinæ magnique iudicii vir fuerit, & qui *Tullium* atque *Demosthenem* ita coluerit, vt nemo multis sæculis, si quis id omnino fecerit, tanto, quanto Sturmius, studio coluisse visus sit: qui denique haud infeliciter id fecisse sit iudicatus, quum veteres dicendi magistros didicisset, & hos auditoribus suis accurate quotidie explicasset. Inter auditores eius principes subinde erant, comites, barones, nobilissimique iuuenes quam plurimi, ex longinquis sæpius terris

(u) de Magistro dicendi, cap. 8, pag. 59, edit. Helmest. Melanchthon. Cris. p. 123 hoc iudicium de Sturmio legitur: *Qua sit nominis celebritate, qua eruditione, auctoritate apud doctissimos quosque Ioannes Sturmius Germaniæ lumen, vel pueris prima litterarum elementa in scholis nostris meditantibus notum est. Hic vir publicis monimentis profitetur aperte, quicquid in stilo suo aliqua dignum laude videri possit, id omne ex frequenti & assidua librorum de Oratore lectione a se haustum.*

(v) in orat. funebr. I. G. a Leisten hab. B. 2.

terris Argentinam a parentibus missi, vt *Sturmianam eloquentiam* coram admirari, & sub tanto magistro, quem *Germanorum Aristotelem* atque *Ciceronem*, *saeculi*que *sui Varronem* recte putari, sciebant, proficere possent (x). Non enim Germani modo, sed Galli etiam, Angli atque Itali virum sunt admirati, quorum quidam fateri non dubitarunt, *nullum inter recentiores ad illam veterem Latinitatis puritatem propius accessisse, Sturmio.* Cuius doctrina, prudentia, fide atque industria singulari effectum est, vt exterae nationes, semente in Argentinensi solo facta, vberem admodum messem atque laetissimam vindemiam domum potuerint referre (y). Cuius por-

(x) vid. M. Crusii Annal. Sueuic. P. III, lib. XI, c. 21, pag. 664. & lib. XII, c. 36, p. 828. vbi Crusius praeceptoris huius sui hanc quasi effigiem dedit: *Fuit mediocriter procerus, facie fusca & viuida, barba nigra: in senecta totus canus: in religione cum Caluino sentiens.* Quantopere *Argentinensis academia* Sturmio rectore floruerit, eximia huius ipsius praefatio, Theophil. Golii Onomastico praemissa, edocere nos potest, qua adfirmauit, an. 1578, quo praefationem conscripsit, academiam suam *tres principes* habuisse, *viginti quatuor comites* & *barones*, *nobiles prope ducentos*, ex diuersis Galliae & Germaniae partibus eo missos.

(y) Melch. Iunius in oratione de vita Sturmii B. 8, b. quae in libello reperitur, hac insignito inscriptione s titulo: *Manes Sturmiani: siue Epicedia, scripta in obitum summi viri D. Ioann. Sturmii: vna cum*

porro *docendi rationem* in plurimis ſcholis conſtituendis cynoſuram quaſi obſeruarunt Germani; quam vt perpetuo ſecuti eſſent, dudum exoptarunt eruditi (z): quum nemo ſanius quidpiam rectiusque eo in genere docere poſſe videatur, quam Sturmius docuerit: vtpote quo nemo diligentius ad *ſummum eloquentiæ* adhortatus eſt adoleſcentes *faſtigium*; vt faſtidium ſimul, quod ex difficultate naſci videbatur ætatis ſuæ hominibus, de ſcholis depellere ſit conatus (a). Licet vero de Latina lingua recte addiſcenda, dicendique ratione recuperanda, veterum veſtigia ſecutus, nobilia præcepta litteris conſignata cum poſteritate communicauerit, a doctis atque intelligentibus exiſtimatoribus maximi, vt par eſt, æſtimata: vt tamen de

Parentaliis, eidem memoriæ & gratitudinis ergo factis, a diuerſis amicis atque diſcipulis Argentorati MD. XC, 8. non *Effigies* modo optimi viri, quæ in pluribus eius lucubrationibus comparet, adiecta eſt libello, ſed *Cenotaphium* quoque, adfabre æri inciſum, calci huius ſubiunctum cernitur.

(z) Morhof. Polyh. litter. lib. II, c. 2, § 22.

(a) quod vt pleriſque, quibus poſteritatem beauit, ingenii monimentis præſtare ſtuduit: ita in libris II de *Amiſſa dicendi ratione, & quomodo ea recuperanda ſit*, ſemel iterumque editis, & illo, quem de *Exercitationibus rhetoricis* ad Philippum Comitem Lippianum an. 1577 ſcripſit, curæ id ſibi habuit quam maximæ.

Latine loquendi ac ſcribendi ratione libris, quos inchoauerat, vltimam manum adhibere potuiſſet, complures vehementisſime expetierunt (b). Enimuero poſtquam Romani ſermonis euehendi cupidisſimus vir animaduertit (c), ſæculi ſui hominibus nihil tam faſtidioſum eſſe cœpiſſe denuo, quam *ſtili exercitationem, declamandique conſuetudinem*; & hæc duo eſſe, quæ pleroſque ab eloquentiæ ſtudio deterrere viderentur adoleſcentes: rem initio miratus eſt, præſertim quum ingens iſto tempore *Lexicorum* exſtiterit *copia*, Græcæ & Latinæ linguæ theſauri (d); & quum eadem præterea ætas *Ciceronem per ordinem alphabeticum prope digeſtum*, *Laurentii Vallæ Elegantias*, *Linacrum*, *Hadrianum Cardinalem*, & multos commentatores habuerit alios: donec *faſtidii* ac *contemptionis* iſtius *cauſſam* hanc reperit, quod Latinæ linguæ ſtudioſi non ſolum *vocabulorum copia*, verum etiam *puritate* deſtituerentur. inde porro factum, credidit, vt illi ipſi, qui tum eruditi vel fuerint, vel ſibi viſi ſint, ab *immunditie Latinæ linguæ* vindicare ſe haud potuerint

(b) vid. M. Iunius in cit. orat. de Vita Sturmii C. 2, b.

(c) Linguæ Latinæ reſoluendæ Rat. cap. I.

(d) cuiusmodi ſubſidia ipſo puero diu multumque deſiderata fuerant, ita, vt ad ea comparanda principes quosdam viros non exigua præmia propoſuiſſe, ſcribat, præfat. Lexico trilingui præm.

rint (c). quandoquidem illa, quæ ad iſtud vsque tempus edita erant hac in re, imperfecta exiſtimauit, iuſto etiam ordine deſtituta. Quare diu in hac cogitatione verſatum ſe eſſe, fatetur, qua ratione incommodum hoc de Germaniæ ſcholis tolli poſſet: quumque demum perſuaſiſſet ſibi, *verborum*, quamuis infinitam, *materiam*, non minus, quam rerum copiam, in *orbem* & ad *diſciplinam* redigi poſſe; tale Lexicon vt quis perficeret, exoptauit, in quo alius, ac litterarum, inſtitueretur ordo; vt vna cum verborum cognitione humano animo per rerum contemplationem commeare liceret. Opus videlicet ſecundum *naturæ ordinem* ita diſtribuendum iudicarat, vt *integram Latinæ linguæ ſupellectilem* accumulatam & artificioſe diſpoſitam atque inſtructam haberent eloquentiæ Romanæ ſtudioſi; *rerum diuinarum, naturalium, ſtirpium & plantarum, animantium* & *bellua-*

(c) in lib. de Exercitationib. rhetor. C. 8, a, adfirmat, *impuritatem* in pleraſque ſcholas & gymnaſia prope omnia, multos iam annos inuectam tum fuiſſe; quæ neque a diligentibus quidem magiſtris potuerit eruncari: & vſque adeo radices eam egiſſe, querebatur, vt pleriſque fere probari videretur. *Non loquor*, pergit, *hic de verbis plane barbaris: quibus ſcatebat ſuperior ætas; ſed de illis & vocabulis, & modis loquendi, & adagiis, & poetarum floſculis: quæ ſpecie elegantiæ etiam mediocriter magnos viros in ſcribendo deceperunt.*

rum, *artium* atque *doctrinarum*, *hominis* etiam atque *humanitatis*, nominibus & verbis & vocabulis, omnibusque sententiarum formulis digestam; iis omnibus, quae a Romanis vsurpata, a scriptoribus relicta sunt. Quod si opus ita distributum fuerit, fore tum, censuit, vt aliquis mediocri ingenio praeditus, postquam grammaticos audiuerit, quod animo complexus esset, idem posset Latine pronuntiare, pure, varie, copiose, ornate, vt ipsa res requirere videretur; idque ipsum inuenire non aliquo litterarum ordine, sed in *rerum compage:* vt, quae rerum inter se necessitudinem coerceret, eadem ratio verba quoque ac sententiarum formulas, quae ex verbis conficiuntur, naturali & perpetua quadam consecutione colligata teneret. Opus eiusmodi quum meditari se declarasset Sturmius, auidissime id exspectare coepit Germania (f): dum eo iam perductum hoc ab se esse, confir-

(f) Mich. Neander in praefat. in Erotemata Gr. Linguae p. 119, postquam grammaticos, aut varii generis scriptores, ex quibus vocum ac phraseon interpretationes sumptae sunt, & veteres & recentiores, recensuit, addit: *Sturmius quoque vel similem, vel hoc praestantiorem linguae Latinae thesaurum adornare dicitur: adiuuantibus eum laborem, quem hactenus longo tempore frustra exspectamus, magnis impensis ac sumptibus, nobilibus doctrina ac virtute & eloquentia praestantibus, Wolfgango, Philippo & Antonio a Werter.*

firmauerat, vt omnia fere huius generis domi ſuæ digeſta haberet; Principibus viris, tantum fiebat etiamnum apud Germanos Latinæ linguæ ſtudium! contra Sturmii excuſationes de laboribus & de ſumptibus asſidue pugnantibus. At quum ſtupendæ plane induſtriæ vir conſideraſſet, quam *difficile* ſuſcepisſet *opus*, & expertus eſſet, quam *arduum* id poſtero tempore foret, non vnius hominis hoc eſſe, ſenſit, etiamſi auctoritate præditi; ſed requirere id *iudicium*, *litteratisſimorumque hominum conſenſum*, quorum auctoritati docti etiam viri refragari haud vererentur. Enimuero iſtiusmodi rationem primum inuenire difficile putabat: deinde etiamſi inuenta eſſet, dubium ei videbatur, an ſatis multa rerum exſtarent indicia, quum *plures exſiſterent res*, *quam verborum notæ*. poſtremo arduum iudicabat opus, propterea quod multa pro Latinis barbara tradita eſſent, & multa ſordida & fœda, puris & elegantibus permiſta, & multa vetuſta, vſitatis meliora. *Immoderato igitur huic modo modum difficulter præſcribi poſſe*, colligebat. Sed tamen confici opus poſſe, non deſperaſſe plane Sturmium, declarauit, quando *omnia digeſta ſeſe habere*, publice ſpopondit, quotidianis cogitationibus vniuerſam operis formam, eiusque ſingulas partes, complexus: quamquam

 ab

ab aliis anteuerti se in eo cupiebat; veritus, vt, a morte ipse præuentus, operi colophonem imponere posset; rationem ideo ac consilium suum passim exposuit (ff), vt studiosi coniungerent operas laboremque dispertirent, quo facilius, si fieri posset, aliquid hac in re absolueretur. Neque vero temere quid veritus est præclarus doctor: nam imperfectum reliquit vtilissimum opus, magna diligentia curaque ab se inchoatum. statim quoque vsu tum venit, quod eruditi metuerant (g), ne, quod Veneri ἀναδυομένῃ accidisse scribunt, vt inchoata ab Apelle, sed propter obitum eius minime absoluta relinqueretur, quum nemo pictorum inueniretur, qui manus operi admouere auderet; ita nullus esset, qui summe necessario Sturmii instituto satisfacere, & inchoatum ab ipso opus absoluere valeret.

Quum

(ff) in linguæ Latinæ resoluendæ Ratione; Præfatione in *Theoph. Golii* Onomasticon, & illis Præfationibus, quibus *Ant. Schori* Thesaurum, siue Apparatum verborum linguæ Latinæ Ciceronianum, ac *Steph. Doleti* Phrases & Formulas linguæ Latinæ elegantiores adornauit; alibi: veluti in Libris de amissa dicendi ratione, & quomodo ea recuperanda sit, & in Libro de Exercitationibus rhetoricis, supra allegatis.

(g) Melch. Iunius in vita Sturmii C. 3, a.

Quum tamen eius discipuli re ipsa compertum habebant, ad pure, eleganter, atque copiose dicendum scribendumue, nullam facile expeditiorem viam inueniri posse, quam quæ a summo isto in hoc rerum genere artifice ostensa esset; eam sibi habuerunt commendatissimam, velut longe pulcerrimam methodum, qua aurea quasi catena inter se contexta, consertaque omnia hærerent, & qua, *natura duce*, *certis*que *locis* vberrima rerum, verborum & probatorum loquendi modorum copia ad facilem delectum sese exhiberet. Talem in primis eam esse credidit IOANNES BENTZIVS, *Bruxellensis*, siue *Bruchsaliensis*, genuinus Sturmii nostri discipulus: qui optimi huius præceptoris sui, vti in reliquis, ita in hac etiam re, vestigiis insistens, præter *Oratoriæ Elocutionis Thesaurum Græco Latinum*, in LXXVI locos secundum naturæ ordinem distinctum (h), duo *Puræ Latinitatis Thesauri* compendia edidit: quorum priore simplicia vocabula per gradus aliquot distributa continentur: in altero simplicibus verbis modi quoque loquendi Ciceroniani adiunguntur, breuiter, & rerum actionumque naturali ordine comprehensi (i).

(h) Basil. an. 1581 in fol.

(i) Argent. an. 1596, 8. antea iam, an. 1578 *Theoph.*

Quantopere *florentissima Sturmii schola*, cuius ordinem atque instituta *Classicae* & *Academicae Epistolae*, ab ipso Sturmio emissae, exhibent, in illo studiorum genere, quod Latinae orationis puritatem atque ornatum sequitur, elaborarit, praeter hos ipsos Bentzii, & reliquos, quos viri industria nobis dedit, libros, & *Trilingue* istud a Sturmii discipulis collectum & cum luculenta huius praefatione editum *Lexicon* (k), ceterosque complures Sturmiani ingenii foetus (l), affatim testari possunt *Ant. Schori* (m) & *Steph. Doleti*

Golius Onomasticon suum ad Argent. scholae rationem a Sturmio praescriptam accommodatum ediderat. vid. Morhof, Polyhist. litterar. III, c. 2. § 14, seqq vbi Sturmii institutum vehementer probatur laudaturque.

(k) Argent. an. 1586, & 1609, fol.

(l) huc praeter commemoratos paullo ante, pertinent inprimis eius de *Imitatione oratoria* lib. III, Arg. an. 1576, 8. de *Vniuersa Ratione Elocutionis Rhetor.* lib. IV, eodem tempore, loco, eademque forma ed. item de *Periodis* liber, Angliae Reginae Elisabethae inscriptus an. 1550. quem *Valent. Erythraeus* scholis explicatum an. 1567 emisit.

(m) *Apparatus verborum linguae Latinae Ciceronianus*, primum Argentorati an. 1551, 4. editus: quam editionem plures deinceps in 8 form. secutae sunt, *Thesauri* titulo insignitae, auctorisque nomen prae se ferentes; vtpote qui in priore ista editione nominari se noluerat. ibidem saepius etiam impressi sunt eiusdem Schori de *Ratione discendae docendae*

ti (n) libri, cum eruditisſimis eiusdem *Sturmii præfationibus* paucorum admodum luſtrorum ſpatio *ter quaterue* Riheliorum typis exſcripti; hodie paucis oppido cogniti. Licet enim nemo ex ſolis lexicis eloquens fieri queat, aut doctrinæ alicuius opinionem vulgo ſibi conciliare; *memoriam* tamen ſubſidiis huiusmodi *iuuandam*, cenſuit prudentisſimus Sturmius. nec minus hoc librorum genus hominem dialecticis atque rhetoricis præceptis exercitatum adiuuare poſſe, arbitratus eſt, quam Romæ olim forenſis ſcriba ciuem aliquem ex Vmbria aut ex Brutiis, ſi in illis locis, aut ex Græco rhetore aut ſuæ linguæ homine eloquentiæ præcepta didiciſſet, ipſe parum Latinus. Iſtiusmodi igitur libris commode iuuentutem omnesque Latinitatis ſtudioſos vti poſſe, dum, aliis deſtituti, perfectiora exſpectauerint, auctor iis fuit Sturmius. nam *etiamſi formularum ſiue phraſium indices puerilem aliquam ſpeciem haberent, hanc tamen ad puritatem & loquendi ac ſcribendi commoditatem neceſſariam eſſe*, oſtendit. Quamobrem Iulio Cæſari

Hh 5 Sca-

que linguæ Latinæ & Græcæ lib. II, alibi quoque, & in Germania & Batauis, excuſi.

(n) *Phraſes & Formulæ linguæ Latinæ elegantiores; Hub. Suſſanæi Connubio Aduerbiorum* adiuncto: prima Argentoratenſis editio prodiit, ſi recte memini, an. 1576, 8.

Scaligero *ineptire* visi sunt (o), qui ex probatis auctoribus, Cicerone cum primis, *obseruationum formulas* aetate sua *irriserunt*: quales iis, quorum memoria infirmior paullo est, *thesauri* loco putandas, adfirmauit.

Plura de egregiis Sturmii in Latinam linguam meritis proferre nihil attinet: multae eaeque exquisitissimae ipsius lucubrationes satis de istis testantur. de singulari tantum fortuna pauca addam, qua in eo vsus est, quod non solum viuus eruditissimos habuerit *collegas*, sed excellentissimum etiam nactus sit *successorem*; voti sui compos factus, quo expetierat, vt ne deessent, qui decedente se, in locum suum possent succedere. Inter praeclaros collegas, qui ex Classicis & Academicis Epistolis cognosci possunt, primo loco qui nominetur, dignissimus videtur VALENTINVS ERYTHRAEVS, *Lindauiensis*. praeter quem & Sturmium Germaniam nullos *rhetores* habuisse, Andr. Schottus olim existimauit (p). Vtrum aequum hac in re iudicem sese praebuerit Schottus, alii diiudicent: nemo certe, si vtriusque viri merita considerauerit, laudi huic inuidebit, spero. Erythraei merita Caselius tanti quoque aestimauit,

(o) orat. I pro M. T. Cicerone contra Erasmum p. m. 29.

(p) ap. Mohof. in Polyhist. litterar. lib. VI, c. 1, § 5.

mauit, vt eum *ſecundum a Sturmio* prædicarit; ita tamen, vt is ex hoc creuerit, magiſtro pen : par (q). Succeſſor Sturmii fuit MELCHIOR IVNIVS, *Wittebergenſis*; cui, velut idoneo ſucceſſori, claram quaſi facem de manu in manum tradidiſſe optimum virum, idem Caſelius gauiſus eſt (r). nam etſi is orationis facultate Sturmio inferior videri potuit: *præceptis* tamen & *artificio dicendi* minime poſtponendum ipſum eſſe, arbitrantur eruditi (s). Singulorum in academia Argentinenſi, tum, quum Sturmius deceſsit, & docentium & diſcentium, in præſtantisſimum ac fidelem hunc ſuum magiſtrum animum, & bene de litteris demerendi voluntatem, diſerte admodum ipſe hic Iunius expresſit; ita eos allocutus (ſ). *Non, relictis fontibus limpidis, lacunas turbidas ſectemur: non de ædificii inducendo tecto ante cogitemus, quam probe iacta fundamenta fuerint: non aut ordinis inverſione, aut præteritione importuna, aut feſtinatione præpropera ad eruditionis conſcendere culmen atque faſtigium conemur. Ita, ita ſummi illius viri diſcipuli vere grati erimus: ſimul quoque & Deo, qui hoc*

(q) in vita Valent. Mylii B, 1, a.

(r) de Magiſtro dicendi cap. 8, p. 59, edit. Helmeſt. 8.

(s) Morhof. Polyh. litterar. lib. VI, c. 1, §. 14.

(ſ) extrema oratione de vita Sturmii.

hoc nos in vitæ genere viuere voluit, & præceptoribus, quorum labores & industriam videmus quotidie, & amplissimis dominis Scholarchis, totique Senatui inclytæ huius Reipublicæ placebimus.

Quamquam de IO. CASELII in meliores litteras meritis prolaturum me quicquam negaui, Lectorem ad meam de ipso hoc argumento lucubratiunculam delegans : non possum tamen, quin pauca, quæ ad excellentissimi viri in *Romanum sermonem* merita spectant, inde repetam. Caselius enim, magni Scaligeri iudicio (sſ), cum paucis de aureo illo sæculo, quo Italia, Gallia & Germania honestis artibus floruerunt, reliquus, in illis, quos melior natura formauerat, familiam ætate sua sic duxit, vt *sermonis elegantia* atque *doctrina* omnes valuerit prouocare: equidem orationis eius pura casta atque Romana indoles tam luculenta eidem Scaligero visa est, vt eum, qui *Ciceroniani sæculi genium in Caseliana oratione non cognosceret, quid sit Latine scribere ignorare*, duceret. Quum suarum partium esse crediderat præclare de patria merendi cupidissimus vir, vt & docendo & scribendo viam discentibus monstraret, & declinantes in rectam reuocaret viam; nihil plane, quod ad languescendam popularium suo-

(sſ) ep. 270, p. 561 : & ep. 272, p. 566, edit. Elzevir.

ſuorum induſtriam excitandam pertinere putauerat, reliqui fecit. Quamobrem, quum ætatis ſuæ negligentiam doleret, & ſedulo cogitare cœpiſſet, vnde iſta eſſet, & numne aliquibus, vt plus in linguis addiſcendis ſtudii ponerent, perſuaderi poſſet, *trium* iſtarum *linguarum*, quibus diuinæ humanæque leges ac diſciplinæ conſignatæ ſunt, *vſum* diligenter in quam plurimis ſuis eruditisſimis lucubrationibus (t), commendauit; & præter elegantem iſtam *ad Latinæ linguæ ſtudioſos adoleſcentes præfationem*, quæ *Aldi Manutii Phraſibus* præfixa eſt (tt); atque eam, quam *Gram-*

(t) id præſertim fecit in eximio de *Ludo litterario recte aperiendo* libro, & in *Rhetore*, ſiue de *Magiſtro dicendi* : nec non in lucubratione, quæ Νέος καὶ Προδιδάσκαλος inſcribitur.

(tt) in mea de Caſelii meritis lucubratiuncula, modo citata, confirmaui, me præter Aldi Manutii Phraſium editionem *Colonienſem* an. 1593, & *Pariſienſem* an. 1594, quibus ſolis cl. Crenius elegantisſimam iſtam Caſelianam præfationem præmiſſam putauerat, (in Animaduerſ. philol. & hiſtor. P. I, p. 4, ſeq.) *Lipſienſem* editionem an. 1613, vidiſſe, cui præfatio iſta addita reperiatur. Iam vero adfirmare queo, plures *Lipſienſes* exſtare editiones, quibus eamdem præfationem præmiſſam eſſe, poſthac cognouerim: prima earum, quas adhuc conſpexi, Lipſiæ impreſſa eſt an. 1571, 8. cuius titulus adſeuerat, tum primum Manutii Phraſes in Germania prodiiſſe: inter hanc & illam, quæ an. 1613 ibidem lucem adſpexit, duæ, ni fallor, editiones interceſſere, quas Caſe-

Grammaticæ Latinæ, cuius auctor non nominatur, ad *Grammaticodidascalos* præmisit (u), & præter nouum de *Pronuntiatione Latini sermonis* libellum; perdoctam *ad Latinum sermonem accuratius discendum Cohortationem* conscripsit (v): qua pluribus verbis grauissimisque argumentis demonstrat, *Latinum sermonem fastidire & negligere, non solum extremæ negligentiæ, sed dementiæ quoque esse*: quò videlicet in vniuerso Christiano orbe nihil vtilius sit, nihil magis necessarium; id quod neminem inficiari posse, censet, nisi qui omnem vitæ humanæ nesciret vsum. ea re in illos, qui in bonos scriptores debacchari veriti tum non sunt, ne vel ipsi discere necesse haberent, vel vt discentes deterrerent, vel

liana præfatio comitatur: vna istarum prodiit an. 1603. Integram præfationem allegatus modo Crenius Variorum Auctorum Consiliis & Studiorum Methodis an. 1692, Roterodami in 4. editis, adiecit, p. 150, seqq.

(u) Helmest. an. 1609; hoc anno præfatio est scripta: ipsa grammatica an. 1610 præscriptum habet, quartum tum emissa. & hanc præfationem idem Crenius notis, quas varior. Auctor. Consiliis addidit, particulatim inseruit. vide contentorum in volumine seriem, quæ in fronte libri comparet.

(v) Adr. Turnebi libello de *Vino*, an. 1605 Helmest. ab se edito, eam præfixit: an. 1617. cum aliis Caselii scriptis Christoph. Heidmanus Goslariæ eamdem imprimendam curauit in 4. separatim non ita pridem eam in 8 edidit cl. Iustus a Dransfeld.

vel bene consulentium honori obtrectarent, inuectus est; declarando, si eorum opinionibus cederent ætatis suæ adolescentes, fore, vt paullatim in vitam barbaries irreperet, boni mores, virtutis cultus, præclara facta, & erga patriam merita iacerent. Pluribus denique, iisque haud obscuris, rationibus allatis adolescentum & ludorum puerilium magistros magnopere cohortatus est, vt disciplinæ suæ alumnos secundum informationem ad elegantes eosdemque bonos mores in *intelligendo* potissimum *Romano sermone* satis diu tenerent, & quantum quisque posset capere, confirmaret. Tales adhortationes commemorata ad studiosos adolescentes præfatio, viginti amplius annis ante conscripta, etiam continet: qua nimirum sermonis huius discendi *rationem* ostendit, amplissimo eius *vsu* summaque *necessitate* commonstrata. Operæ enim pretium esse, existimarat summo iudicio præditus vir, eos, qui in studiis viuerent, recte fideliterque moneri, vt, quum *Latinam linguam magni faciendam*, *amandam* atque *recte discendam* intellexissent, in ea deinceps addiscenda multum operæ, idque non infelicis, ponerent: quamuis sibi persuaserat, fore, vt monita ista sua vel non legerentur, vel oscitanter percurrerentur, vel fore, vt nemo ea sequenda sibi existimaret,

maret, vel, si quis omnino eiusmodi sibi regulam sequendam putauerit, is ab aliis viua retraheretur voce, aliamque regulam, quam vel retrahentes secuti essent, vel excogitassent, nullis fundatam rationibus, sequi iuberetur. Tanta de recta via deflectendi ferebantur Germani cupiditate!

Paucis, quos Scaliger Caselii ætate ex aureo sæculo reliquos fuisse iudicauit, merito suo adnumerandus videtur GREGOR. BERSMANVS, *Annæbergensis*. Is certe fuit, qui sedulo elaborauerat, vt barbaries & morum & verborum, magno impetu Germaniam inuadens, ac potius plerisque in locis oppressam iam tenens, profligaretur (x). quandoquidem hominum vita ea esse cœperat, vt, quemadmodum quisque aliquid culpabat, aut desiderabat in alterius moribus atque studiis, ita hoc vel illo cognomento insigniretur; & parum aberat, quin vtriusque linguæ auctores euoluere, & iis legendis otium terere, criminis siue hæreseos loco haberetur denuo. Qualem temporum suorum faciem quum considerasset *Andr. Ellinger*, haud obscuri nominis in Ienensi academia tum

(x) id testimonium Hieron. Wolfius Bersmano impertiuit in epistola, quæ inter multas alias claror. virorum ad hunc epistolas reperitur, P. I Poematum ipsius, p. 350.

tum professor, Bersmano amicissimus, ad hunc scripsit (y): *Barbaries tantum non limen pulsat aedium, quas Musae incolunt: imminentem vereor vt arcere possit Apollo & Mercurius.* Si quis de reliquo de Bersmani eruditione ac meritis numquam inaudiuisset, ipsum per se facile de iis coniecturum tum, puto, quum cognouerit, dignum eum habitum esse, qui optimo praeceptori suo *Camerario* in Lipsiensi academia *succederet*; postquam singulari cum laude in Wittebergensi academia iam docuerat, & Portensem scholam prudentissime administrauerat. Quantae eruditionis vir fuerit, & quanti a praeceptoribus suis, *Georg. Fabricio*, atque *Hiobo Magdeburgo*, *Camerario* porro, *Wolfio*, *Langueto*, *Sturmio*, *Caselio*, & plurimis aliis grauissimis inter Germanos humanitatis propugnatoribus, sit aestimatus Bersmanus, epistolae, quas singuli hi ad ipsum scripserunt, & quae typis exscriptae exstant (z), abunde declarant. ex quibus simul apparet, virum ea fortuna, qua eruditio eius digna fuerat, vsum non esse. *Io. Posthius*, praeclarus eiusdem aetatis poeta, Bersmanum nostrum *omnium in Germania tum viuentium poetarum suauissimum censuit*,

Ii atque

(y) ead. Poematum P. p. 342.

(z) Duabus ipsius Bersmani *Poematum* Partibus Lips. an. 1592, 8, ed. subiunctae.

atque doctisſimum. Caſelius vehementer lætatus eſt, quum eumdem exſpectationi, quam de ipſo conceperat, non tantum ſatisfeciſſe, ſed eam ſuperaſſe perſpexerat: quippe quem doctisſimum iuuenem cognouerat (a), qui ea, quæ in patria didicerat, in Italiam profectus, in omnibus confirmauerit, ac mire ea auxerit. vbi *inuſitata* quadam *dicendi facultate* de obſcuris dilucide, de confuſis ac perturbatis ordinatim ac diſpoſite, de dubiis euidenter diſſerentem admirati ſunt *Itali* (b). Quamuis vero indigna ſatis ceteroquin Berſmanus in Lipſienſi academia vſus eſt fortuna; vnde inuidia in Serueſtanum gymnaſium ipſum abegit: minus tamen infelix hac in re is exſtitiſſe videtur, quod non indignum in academia hac ſortitus ſit ſucceſſorem, MATTH. DRESSERVM, *Erfordienſem*, rhetorem atque oratorem celeberrimum, nec vulgarem hiſtoricum, magnum Romani ſermonis aſſerendi patronum, ſupra eo nomine a me laudatum.

Talem eidem ſermoni patronum iſto tempore ſeſe præſtitit REINERVS REINECCIVS, *Steinhemius*, non minus iam a me laudatus *Glandorpii* diſcipulus. Nam etſi is de *hiſto-*

(a) in Νέῳ καὶ προδιδασκ. E.

(b) vid. vita Berſmani in M. Adami vitis Philoſopher. p. 503.

historia excolenda illustrandaque tam diligenter cogitauit, quam qui maxime: sermonem tamen Latinum vt amare & vsum eius commendare cessarit vmquam, tantum abfuit, vt *putida atque insulsa oratione fœdius nihil in rerum explicatione* statuerit: *verba* enim *rerum notas* esse, & *orationem* iisdem *lumen adferre* debere, Germaniæ iuuentuti sedulo inculcauit (c). quam ideo tum ad eloquentiæ studia, tum ad principis & magistri illorum *Ciceronis* scripta, atque in his rursus vel in primis ad *epistolarum* lectionem diligentissime ætate sua alliciendam duxit:

 quan-

(c) in elegantibus præfationibus, Io. Glandorpii Adnotationibus in Ciceronis epistolas ad familiares adiectis, & extremo capite V a me pluribus collaudatis. tertia earum, pag. 510, scholarum, quæ, adolescente ipso, *stili exercitia de epistolarum Ciceronis imitatione auspicari* ferme solebant, receptum morem prædicat; postquam secunda præfatione p. 360, docuit, quam necessaria sit eloquentiæ & elegantiorum litterarum studiosis, vt reliquorum *Ciceronis scriptorum*, ita, & *epistolarum lectio*; & quanta inter Erasmum & Longolium de *recta Ciceronis imitatione* fuerit contentio: subiungens: *Interea hoc nos de Cicerone teneamus, quicquid Latina lingua ornamentorum ac diuitiarum, quicquid neruorum habet, ea tamquam de Tantali, aut Pelopis talentis, opulentissimaque gaza, peti ac decerpi e scriptis illius posse*: & quæ de *admirabili atque inexhausta Ciceronis dicendi vi*, qua omnes facile superarit, sequuntur.

quando nimirum earum artium studiis, quæ ab humanitate nomen tulere, passim denuo ruentibus, hoc ferme omnes satagere, cognouit, vt, posteaquam modice initia horum degustarant, ac ne quidem plane degustarant, mox ceu illotis manibus ac pedibus in grandiorum illarum disciplinarum tractationem inuolarent: licet experientia magistra satis quemque edocere potuerit, *absque artium & linguarum præsidio talem conatum felicem numquam esse solere.* Quapropter grauiter doluit, quum partim *indiligentiam*, partim *petulantiam*, nouas rursus tenebras intentare iam tum animaduerterat: postquam proximæ ætati e benignissimo cœlestis numinis respectu, peculiaris quasi felicitas, peneque diuina, obtigerat, Reineccii sententia, vt eruditæ antiquitatis studia e superiorum temporum fœda barbarie egregie eruta, atque in lucem sint reuocata.

Priusquam ad sequens XVII sæculum progredior, duorum eximiorum Germaniæ *poetarum* mentionem faciendam arbitror, extremo sæculo XVI florentium, quorum alter funestissimum vitæ exitum habuit, alter magnorum principum ad vitæ vsque finem beneuolentia ob præclaras dotes suas vsus est. NICODEM. FRISCHLINVM intelligo, & NATHAN. CHY-

THRAE-

THRAEVM (d), exquisitissimæ eruditionis homines. *Bellum* istud *grammaticale*, quod inter *Frischlinum* hunc & *Mart. Crusium* conflatum est, indicio forsitan esse potest, *Concordiam* aureo isto Melanchthoniano sæculo tantopere inter eruditos adamatam; & quam

(d) Chytræi laudes Caselius passim in scriptis suis est persecutus: in Laudat. Io. Alberti D. Megap. D. 1, b, scribit: *Qui ad incrementum academiæ* (Rostochiensis) *præ aliis aliquid & eximia eruditione, & singulari opera contulerint, sunt fratres Chytræi, maior theologus, alter poeta, vterque vir doctissimus, versati plurimum in scriptis veterum, ille quoque præ omnibus in omni historia:* quibusdam adiectis, pergit: *habui proximum collegam Nathanem, qui e tenebris protraheret artem poetarum, & poetas diuinitus interpretaretur, non ad oblectationem, sed ad vsum ciuilem.* Conf. Io. Petri Lotichii Bibliothecæ Poeticæ Part. III, pag. 140 seqq. & Ol. Borrichii dissertat. de Poetis Latinis IV, § 148, seqq. vnde plures elegantissimos *Germaniæ Poetas*, Frischlini atque Chytræi æquales, cognoscere potes, per se quidem celebres satis; inter quos *Io. Schafferus, Paul. Melissus Schedius*, clara vtique nomina, & digna, quæ in felicissimorum Poetarum referantur numero *Bergmani* quoque atque *Posthii*, paullo ante commemoratorum a me, merita, & laudes Poetica arte acquisitas recenset Lotichius: de *Frischlino* agit pag. 152 seqq. cuius vitam conscripsit *Georg Pflügerus*, quæ orationibus insignioribus Frischlini, coniunctim Argent. an. 1618, 8, editis, adiecta est, separatim antea vna cum R. Agricolæ, Io. Reuchlini, & D. Erasmi vitis ex Melanchthonis Declamationibus depromptis, emissa.

quam meliores litteras in Germania propagandas mirum in modum adiuuisse, supra vidimus, vergente sæculo coli sensim desiisse, *maleuolentia, inuidia* atque *obtrectatione* locum paullatim occupantibus, penitus enim vnoque impetu concordiam profligatam esse, nemo dixerit: id quod conciliationem, qua ipsi isti doctissimi viri coniuncti sunt iterum paullo post, comprobare quodammodo posse, arbitror. Notatu omnino digna mihi videntur, quæ ipse Crusius de *reconciliatione* hac memorauit (e): *Anno cIↃ IↃ LXXXVIII Bello Grammaticali finis contigit: scribente ex nundinis Francofordianis Nicodemo Frischlino, præter longas etiam litteras, in libello, quem dono mittebat, his etiam verbis: D. Mart. Crusio suo Præceptori, indignus discipulus, in signum futuræ reconciliationis.* Placidam

(e) Annal. Sueuic. P. III, lib. XII, c. 34, p. 810. p. 796 scripserat Crusius: *Hoc tempore* [*an.* 1586] *usque in an.* 1588 *bellum grammaticale in M. Crusium & Nic. Frischlinum exsulantem flagrabat.* Quanta cum acerbitate id gestum sit a Frischlino, Dau. Chytræus nos docet, vbi p. 603 epist. ad Pancrat. Crugerium scripsit: *Grammaticum bellum inter Frischlinum & Crusium geri sinamus, quorum ille tanto animi impetu in aduersarium fertur, vt Græcis non magis curæ fuerit Troiam capere, quam ipsi aduersarium omnibus probris deformatum conculcare: Indigna profecto ingenii Frischlini excellentia est, quæ in tali argumento tempus & operam perdat.*

cidam vicisſim manum dediſſe Cruſium, facile ex his verbis (f) colligi poteſt: *Anno cIↄ Iↄ XC, Nouemb. XXIX, nocte ante diem S. Andreæ proxima Nic. Friſchlinus, conans ex Hohenauracenſi captiuitate effugere; a perfido fune, quem ex pannis confecerat, deſertus, de celſo muro (heu heu) in aliam atque aliam petram ſubiectam præcipitauit: partibusque corporis miſerabiliter confractis interiit. quem vtinam brachio extento excipere potuiſſem. Quæ enim laus maior conſeruatione iſtius mihi contigiſſet? Miſertus vero ſit animæ eius clementisſimus pater cœleſtis.*

Verumenimuero tantam *animorum* ad litterarum decus tuendum *conſpirationem* atque *concordiam* non exſtitiſſe amplius eo tempore inter Germanos, quantam aurea iſta ſuperiori ætate cultam eſſe, cognouimus, vel ſola hæc Caſelii verba edocere nos poſſe mihi videntur (ff): *Quum, proh pudor, contra humanitatis leges inimicitias exerceri, & officium violari, iniuſtene dicam, an impie? a certo hominum genere tum indoctis tum inſanis ſcriptionibus hodie videamus; quid dubitemus, beneficio litterarum amicitiam pulcre*

Ii 4 *coli,*

(f) Annal. Sueu. Cruſ. p. 834.

(ff) in epiſtola quadam ad G. Berſmanum, quæ inter illas eruditor. viror. ad Berſmanum epiſtolas reperitur, quæ P. I huius Poematum ſubiectæ ſunt, pag. 355, ſeqq.

coli, & multa, quæ officii sunt, præstari? Nos igitur siue eam ipsam, siue eius vmbram non negligemus, & magnum esse decus arbitrabimur in hominum eruditorum concordia, quam qui non tuerentur, & litteratos tamen se haberi vellent, optaui sæpe, vt tam honesto nomine carerent, quod illis nulla ratione debetur, ne essent ordini nostro dedecori: sed idcirco scilicet contendunt, vt tyrannide honestissimum locum occupent, atque doctrinæ & virtutis veluti arcem vi teneant. Ipse hic *Caselius* etiamsi concordiæ pacisque fuit studiosissimus, in magno tamen *inuidiæ* pelago postmodum grauiter est iactatus (g). Acerbissimam etiam fortunam bonum *Sturmium*, quum senectute prope iam confectus erat, expertum esse, nemo ignorat. Eorum scilicet, qui *Melanchthonis* (h), *Erasmi*, *Camerarii*, primorum

(g) vid. mea de Caselii meritis commentat. p. 60.

(h) grauiter inprimis Casp. Hofmanus cit. orat. silu. de Barbarie imminente D. 7, a, conquestus est de *furiosi sæculi barbarica prorsus ingratitudine*, aduersus tanti nominis virum, optime de studiis & studiosis meritum; cui omnem humanitatem, omnemque Germanorum ingeniorum cultum acceptum referre debeamus. intolerabilem plane, flagrisque dignam audaciam putauit Hofmanus, adolescentulos vix tenui eruditionis vmbra tinctos, & Latine adhuc balbutientes, beatos tanti præceptoris manes illoto sermone allatrare ausos esse; & in eum,

rum Germaniæ nostræ signiferorum, *memoriam damnatam velle* videbantur, eam fuisse impudentiam, nonnemo conquestus est (i), vt optimo Sturmio molestissimi exsisterent, maximos principes in caput eius concitantes (k). Quorum scriptis nisi docti, coita societate, certatim sese obiicerent, verendum iis esse, idem iste eruditus vir existimabat, ne capitis velut caussa ipsis aliquando dicenda esset, qui omnis eruditionis parentes & principes deseruerint. Et *Sturmius*, qui Germa-

cui studiorum suorum fundamenta & profectum debebant, ingratas acuisse linguas,

(i) Georg. Obrechtus, vti videtur, epistola ad Bersmanum, P. I Poematum huius p. 348. *Non minimum confusionis doctrinæ & barbariei in studiis secuturæ indicium* Hofmanus cit. l. censuit, quod summos istos rei litterariæ duces in scholis loco mouere, & de gradu deturbare conati sint, homines, qui viuentibus in conspectum prodire, eius sententia, non sustinuissent, aut certe confusi, vt ranæ Seriphiæ, obmutuissent.

(k) Memoratu digna sunt verba, quibus Landgrauius Hassiæ (*Wilhelmus* IV, ni fallor, *Sapiens* cognominatus) postquam ex Hochfeldero de *Sturmio* diligenter inquisiuerat, iniqua huius fata doluit: O *Gott, o Gott, wie ist man mit dem Mann umgangen!* Monimentor. Pietatis & litterar. P. II, p. 99. Remedia, quæ Sturmius doloribus suis adhibuit, ipse in epistola ad Bersmanum scripta, P. II Poematum huius, p. 279, indicauit, scribens: *His me consolor clementis, religionis, conscientiæ & innocentiæ.*

norum, de quibus egregia ingenii, doctrinæ, virtutis, ſapientiæ *pietatis*que fuerat exiſtimatio, princeps antea habitus erat (l): & *Caſelius*, de quo nihil tam magnificum prædicari poſſe, viſum fuerat exteris (ll), quod ſummæ eius virtutes non exſuperarint; quum vir fuerit *probitate* & eruditione inſignis, candore Germanus, ſtilo Romanus. optimi, inquam, hi duumviri *hæreſeos crimine* viui accuſabantur: controuerſia huic a nonnullis mota, an *bonæ litteræ atque philoſophia*, quas aureo Melanchthonis æuo *firma rei Chriſtianæ præſidia* eſſe, crediderant eruditi, *eccleſiæ atque ſacrarum litterarum cultoribus ornamento ſint, vtiles, nec non neceſſariæ:* quod iſti negare videbantur (m). Quæ omnia de *mira humani iudicii varietate* abunde teſtantur; qua ea, quæ priori ſæculo probauit, & auide maxime arripuit, altero damnet atque reſpuat (n). Quod ſi Eraſmi ætas in tale ſolidæ eruditioni inimicum ſatis tempus incidiſſet,

(l) Camerarius in vita Melanchthonis, p. 146.

(ll) Ioſ. Scaliger Confutat. fabul. Burdon. p. 410, ſeq. edit. Elzeuir. an. 1617, 12.

(m) Comment. mea de Caſelii meritis p. 60.

(n) id dilucide demonſtrat cel. Perizonius in orat: ſuperiorib. capitib. cit. de *Doctrinæ Studiis, nuper poſt depulſam Barbariem diligentiſſime denuo cultis & deſideratis, nunc vero rurſus neglectis fere & contemptis.* Lugd. Batau. an. 1708, 4.

diſſet, minus forſitan mirandum fuiſſet, ſi tum ſcripſiſſet: *Vbi Lutheraniſmus, ibi litterarum eſt interitus : per Lutheranos languent, frigent, iacent, intereunt bonæ litteræ.*

Accedit, quod in tanto ſtudiorum contemptu, *Mæcenatibus* non, vt ante, ſe offerentibus, & ingenia *honore* ac *munificentia* exſtimulantibus, eruditorum *animi deiecti* ac *torpidi* eſſe cœperint. In qua ipſa *Mæcenatum paucitate* Caſp. Hofmanus non leuem *imminentis Barbariei cauſſam* reperiſſe ſibi viſus eſt. Pauci videlicet tum in Germania numerabantur amplius *Friderici*, Saxoniæ Electoris, ſimiles Principes: paullo etiam ante, quam Hofmanus querimoniam iſtam ſuam inſtituit, *Io. Albertus*, Dux Megapol. ſummus Muſarum Patronus, diem ſuum obierat. *Pflugii* porro ſenſim deſiderabantur atque *Carolouicii.* Eo ætate ſua rem perductam fuiſſe, oſtendit Hofmanus, vt, quum plerique, quos in primis decebat auctoritate ſua apud principes honeſtos cœtus tueri & ornare, ſtudia promouere, & diſcentes beneficentia ſua pro viribus iuuare, aut exiguum, aut nullum ſtudiorum habebant vſum, locum ſuum tueri ſe poſſe diffiderent, ſi adhiberentur ad negotia *peritiores* & *exercitati.* Eos igitur maluiſſe, addit, *pauciores eſſe eruditos*, & ſuis

ſuis tantum conſiliis ſtare Rempubl. ſeque primos eſſe apud reges, *deiectis de gradu ſapientibus*. atque ob hoc ipſum & *ſtudiis* & *litteratis* fuiſſe eos *iniquiores*. Hinc accidiſſe, concludit, vt *eruditi*, quum tenuitatem ſuam docendo vtcunque ſuſtentare vellent, *ſe in alias ignobiliores curas mergere ſint coacti*; *operariis* diurna mercede conductis ſimiles redditi, qui penſo abſoluto, ad nullam vltra numerum operam adigi queant, quod *ſuperuacaneam eſſe defatigationem* putent, *quæ operæ pretio careat*. Atque ita, *deſidia inualeſcente*, penſum numeris exigi cœpiſſe, adfirmat, poſtquam *diligentiæ præmium* conſtitui deſierit. tum enim, quum hoc fieri conſueuerit, alacriter ad operas ſubeundas procurriſſe homines eruditos, probat, ad *palmæ honores* contendentes, decore atque laude excitatos. Eodem tempore homines, doctrinæ felicitatem auditorumque commodum magis in eo verti, exiſtimaſſe, comprobat porro, ſi *quisque ſua æſtimaretur virtute*, *& expenderetur profitendi peritia & dexteritas*; magnæ eruditionis hominibus, *frequens auditorium & doctrinæ auidum pro calcaribus eſſe*, ratos. Proinde non minimam *ſcholarum* ætatis ſuæ *infelicitatem* in eo reſidere, perſuaſit ſibi eruditiſſimus Hofmanus, *quod*

non

non omnia suo æstimata sint pretio, nec cuique locus, quem merebatur, tributus.

Commemorata hactenus magnopere confirmant: *honorem alere artes, omnesque incendi ad studia, gloria; & iacere ea semper, quæ apud quosque improbentur. Improbatum* autem fere esse *Romani sermonis*, ac *uniuersæ humanitatis studium* apud Germanos, exeunte sæculo XVI, Sturmii testimonio insuper comprobabo, verboso satis vehementique; quo illis, quæ capite hoc a me prolata sunt, ponderis aliquid addatur; in extremum caput ideo a me reseruato (o). *Si vmquam alias, nunc opus habemus eruditis hominibus, quorum raritas & iam magna est, & maior impendere videtur in hac* neglectione *vel potius* contemptu: *nulla* laus, *nulla* præmia *digna tantis laboribus sunt constituta. quos enim* patronos *habent? & vt sua tuentur patrocinia? nemo est, qui non* medicus, *&* iureperitus *esse malit, quam hoc genus studiorum sequi, quod nos colimus; liberum quidem, nullisque alligatum rerum legibus, tamen laboribus ingens, immensum, infinitum: aut illud* Theo-

(o) ex eius & gymnasii Argentorat. Luctu ad Ioach. Camerarium E. 6, seq. B. 6, b conquestus etiam erat: *Hisce nostris temporibus formidabilis est caritas doctorum virorum, & corruptissimi mores sunt, & spes nulla est melioris disciplinæ, nisi ad eam grauioribus calamitatibus attrahamur.*

Theologorum, *quod tametsi omnium sanctissimum sit, tamen tum demum perfectum deprauatis hominibus, qui vbique nimis multi sunt, esse videtur, quum* contemptui *est, quum* eget, *quum* mendicat. Magistris litterarum *& diaconis non centum aurei dantur, & quum dantur nimium esse putant,* liberis plena domus *est, artem nullam exercent, vt ne a suis scilicet auocentur, interea dum* æs alienum *eos cruciat, dum* vxorum *&* liberorum egestatem *metuunt, dum in* creditorum *conspectum venire erubescunt, dum circumeunt per plateas, vt in eam non veniant, in qua creditor habitat : o honestatem! o dispensationem bonorum! o conscientiam! non dedecus, non disperditio facultatum, non Dei iudicium neque commouet, neque commonet eos, quorum in potestate res versantur.* adolescentulos pauperes *excludimus, mendicitatem & impudentiam metuimus, nec cogitamus, aut admittendos hos esse aut alendos ex ærario, ant magna pecunia comparandos aliunde, qui sint eruditi, aut profligationem exspectandam esse litterarum & religionis. Sed hanc non metuimus, immo* litteras non amamus, religionem negligimus, *& in coaceruandis non distribuendis facultatibus officium nostrum positum esse, existimamus. Hoc* vitium non in nostra religione natum est, sed e pontificum consuetudine

tudine ad nos defluxit. *vbi ad paucos pleraque omnia seuocantur, multo minima pars ad vicarios horum peruenit: & hi ipsi, qui pauci sunt, Ecclesiæ facultates intercipiunt. Verumtamen etiamsi nihil ex his recuperamus, nihil etiam exspectaremus, tamen prouidendum esset, vt hi ne aliquando deessent, quorum industria nobis esset necessaria & salutaris.*

CAP. VII.

Quibus fatis Latina lingua in Germania sæculo XVII *vsa, & qua ratione iuuentus in scholis ibi instituta sit, singularum artium disciplinis eruditissimorum virorum testimoniis declaratur: & quemadmodum Germanorum linguam istam addiscendi ardor magis magisque deferbuerit, ostenditur;* stili *formis, siue* characteribus *aliquot, velut* Philippico, Lipsiano, *commonstratis, atque* Iesuitarum *Latinæ linguæ studio, non minus sensim diminuto, memorato. Eorum, qui ipsum hoc studium inter Germanos conseruatum voluerint, popularibus laudabili præeuntes exemplo, numero, primo loco nominatur* Gerh. Io. Vossius, & Gasp. Scioppius: *quorum huius præclara in Romanorum sermonem merita pluribus prædicantur verbis, & illorum, qui apud Germanos operam nauarunt, vt optimis Latinis auctoribus*

ribus meliuſcule eſſet, nec non Oratorum, Poetarum, Rhetorum, atque Grammaticorum *nonnulli nominantur. Neque* Mæcenates *proximo ſæculo penitus defuerunt Germaniæ.*

Qualia demum per hoc ipſum ſæculum, quo viuimus, fata Latinæ linguæ imminere videantur, præſtantisſimorum virorum iudiciis oſtenditur; & pauca de eius dignitate, *a quibusdam acriter ſatis hodie impugnata, adduntur.*

AD *proximum ſæculum* vsque progreſſus; quibus fatis eo ineunte Latina lingua in Germania vſa ſit, Caſelii iterum verbis eloqui conſtitui: vtpote cuius extremum vitæ tempus initium ſæculi attigit; & cuius teſtimonia eo libentius me adducere, profesſus ſum, quo exquiſitiorem ipſius eruditionem exſtitiſſe, & quo maiore prudentia, vſu, atque exercitatione præditum eum fuiſſe, cognouimus, de elegantiore litteratura optime meritum. Hic quidem, vt ludorum magiſtri diſciplinæ ſuæ alumnos in *intelligendo* potisſimum *Romano ſermone* ſatis diu tenerent, confirmarentque, magnopere exoptauerat, & vt facerent id, prudenter admodum data occaſione, qualem ſæpisſime, prout rei ſcholaſticæ apud Germanos recte conſtituendæ

dæ cupidissimus fuit, captauit, admonuerat. At secus a plerisque per totam suam, eamque longam satis, ætatem factum, doluit: siquidem hos fidei ac disciplinæ suæ commissos, & humanæ vitæ, & ceterarum rerum rudes adhuc, statim ad *declamandum* & *disputandum* inepte prorsus, inutiliter atque perniciose rapuisse confirmauit (a). *Hodie*, inquit (b) alicubi, *quod merito reprehendendum est, in quibusdam ludis puerilibus* (c) *Latinæ & Græ-*

(a) ad linguam Lat. accuratius discendam Cohortat. extr.

(b) an. 1612, in orat. funebr. Ioanni Niuinio script. B. 4, b. circa idem tempus, in orat. funebr. Andr. Mylio scr. D. 2, a ita locutus est: *De educatione prima in litteris exstare aliquid plenius hodie non abs re esse videatur, quod scholas inferiores ex eo tempore* (quo Georg. Fabricius Misenensi scholæ præesse desierat) *non pauci magis corrupere, hi præsertim, qui eas instar academiarum esse voluerint.*

(c) in orat. funebr. Wilhel. ab Heimburg ab se scr. D. 2, a mentem suam de istis ita explicauit: *Nec adfirmare dubito, præceptores de prima ætate non rectius mereri, quam si vtriusque linguæ scriptores ita interpretentur, vt faciebant veteres, qui nobis præiuerunt ad intelligenda scripta Græcorum & Latinorum: quos secuti fuere, & æquauere nostra ætate multi, in quibus prælucent, Scaliger, Manutius, Lambinus, Turnebus, similes. Hunc etiam terminum statuo ludorum puerilium, nec multo vlterius promouendum.* Hæc vberius in eleganti suo de *Ludo litterario recte aperiendo* libro exposuit: cuius di-

cæ litteræ; & quædam artium principia accommodatarum pueritiæ & adolescentiæ geniis, contemnuntur, petulantia nouatorum, & magna ex parte negliguntur, & philosophantur, vt aiunt, qui præter sapientiæ nomen nihil auribus acceperunt, opinionem, haud scio quarum, cultores, & loquacitatis magistri insolentes admodum. Alibi eorumdem temporum hanc instituit descriptionem (d): *Linguas, in quibus omnes ingenuæ disciplinæ & omnes partes sapientiæ, siue philosophiæ, tamquam in scriniis continentur, ita negligimus, vt Græcam pauci discant, pauciores intelligant: altera ita quoque iacet*, vt pleræque academiæ Latinæ vix balbutiant: *nec ad rem facit, etiamsi quotannis tota plaustra nouorum librorum prodeunt, non boni nulli, ferendi aliqui, plerique male feriati, vbi chartæ pluris sunt, quam quæ iis labore multo & graui sumptu impressa sunt. Non aceruos, sed montes, ante pedes exstructos videre licet, Θέσεων, de quibus absque rebus passim litigatur: sunt* orationes, *infantiumne dicam, an intelligentium, nihil supra remiges:* poetarum volumina, *quæ saburram fœteant: hinc noui acrostichistæ, eteostichistæ, anagrammatistæ:*

uersas editiones in meo de Caselii meritis Commentario recensui p. 48, seq.

(d) in Νέῳ καὶ Προδιδασκ. E. 2, a.

ristæ: inane studium, quoniam de sexcentis vnum vix micam in se salis habet: comici *item sine lingua, sine arte, sine mente:* historici, *sine vita, sine consiliis: quidam in nugis, & fabulis anilibus occupantur: alii millies scripta recoquunt: ἑωλοκρασίας dicas, nisi quod plerisque nemo frui potest, vt hesterni epuli reliquiis: non dicam de iis, qui vel se inter se vel innocentes conuiciorum luto conspergunt: denique vicus non est, quin scriptorem habeat. Igitur in plerisque merum rus, inscitia & barbaria. Quanti erat, prius doceri? eos præsertim, qui vno nutu & graui supercilio omnis vetustatis scripta iugulant: nec tamen vel ridiculum musculum, sed mera monstra pariunt. Non equidem ex hac iusta & necessaria reprehensione voluptatem ipse capio: res ipsa magnum mihi dolorem inurit. Adficit namque me iactura veritatis, & oppressio siue diminutio salutis publicæ, quam inde consequi video. Nec vero quemquam his sagittis peto, nisi inscitiam & malitiam.* Quid vtraque effecerit demum, his verbis (e) edocere etiam voluisse, videtur publicæ salutis studiosissimus vir: *Videas huius praua opinionis eos, qui sibi omnia prima tribui volunt: magistros linguarum, quibus abolitis omnes litteræ concidant, in-*

(e) in Laudatione Io. Alberti D. Megap. G, 2, b.

interpretes veterum, quos cognoſſe in vita hominum primum operæ pretium eſt, profeſſores philoſophiæ, qua exacta barbaries omnia occupet neceſſe eſt, tenuiter, & vix aliquo loco eſſe habendos.

Quando vero diſputando declamandoque, bene, vt ſibi quidem videbantur, exercitatos adoleſcentes, at falſa ſimul eruditionis opinione inflatos, & multarum, earumque ſublimium, ſi diis placet, rerum ſcientia onuſtos quaſi, in academias a philoſophantibus ſuis magiſtris miſſos eſſe, cognoſcimus: quid, quæſo, mirum, ſi euenerit inde, quod Frid. Taubmanus eodem ferme tempore, quo Caſelius de praua iſta inſtitutione conqueſtus eſt, accidiſſe, adfirmauit? cuius ipſa verba ex eleganti eius de *Lingua Latina* diſſertatione (f) proferam; quum temporum iſtorum facies, & Romani ſermonis contemptio ita aperte iis declarentur, vt nihil poſſit ſupra. Eo enim in Germania rem iterum perductam tum fuiſſe, monſtrat Taubmanus, vt ſi quis elegantiæ ac proprietati ſermonis paullo accuratius ſtuduerat, non modo a iuuentute, ſed interdum

(f) p. 116, iteratæ editionis, an. 1602, 8. quantopere eruditis placuerit libellus, inde coniicere poſſumus, quod prior eius editio XIV dierum ſpatio eſt diuendita.

dum ab iis ipsis, qui iuuentutem erudiebant, per contemptum *Philologus* nuncuparetur, *Criticus*, *Grammaticus*, atque vno verbo *Verbalis*; ipsi vero nouo nomine *Reales* sese appellarent, quasi ipsi quidem meras res tractauissent, ceteri, in sermonis cultu tantum occupati, rerum cognitionem non perinde curassent. Quid, quod de sartore aliquo aut cerdone honestius loqui tum cœpisse homines, quam de *Poeta*, adfirmat porro Taubmanus: quum *laurus*, quam Germani Cæsares non aliqua vicaria, sed sua manu, Celtæ, Hutteno atque Melisso, id honoris ingenii virtute consecutis, imposuerant, non vulgo tantum *ludibrium* esset, sed & *pretio* aut *versu aliquo scabioso venatis*. Illa autem Taubmani verba, quibus languidius in academiis commorantium iuuenum Romanam linguam excolendi studium describit, sunt sequentia: *Creduntur hodie in hac Witteberga versari studiorum gratia ex omni fere gente orbis Europæi, quasi mille quingenti, vel, quod nonnulli vero propius existimant, bis mille: eorumque partem bene magnam me iam dicentem audire arbitror. Si tamen in concione ista densissima reperiatur, qui spondere mihi ausit, se tempore hoc non ita longinquo posse discipulum erudire, vt Orationem faciat bene Latinam, quaque non,*

 vt

vt oues Aegontis Virgiliani, vix osſibus hæreat, *ſed quæ, vt illa Chærea Terentiani Pamphila* ſucci plena ſit: *ei ego me omnium primus ex hac hora, & vt primum ex hac cathedra deſcendero, diſcipulum tradam cum cera & ſtilo, cum auribus & lingua, atque adeo cum omnibus inteſtinis. Et quamuis nunc quidem morbo Poetarum vernaculo, hoc eſt inopia argentaria, laboro: tam bono tamen magiſtro pro ſingulis horis, (quos Capnio Romæ olim pro addiſcenda Hebræa lingua Iudæo dediſſe ſcribitur) ſingulos aureos* διδακτρον *ſiue minerual clara voce, & tamquam ſtipulatu, vltro ſpondeo. Spero enim me poſſe adhuc, ſi curioſius arculas meas excutiam, centum aureos pro tam pretioſa merce alicunde euoluere; vel certe ab amico in hunc vſum mutuari.*

Plura quin ex eadem perdocta lectuque iucunda Taubmani diſſertatione proferam, temperare mihi vix queo. Sed ſatis habebo in præſenti, me eam citaſſe, dignisſimam ſane, quæ ab omnibus Latinæ linguæ, cuius amantisſimum ſeſe præbuit *Taubmanus*, ſtudioſis diligenter verſetur: & quum ea noſtro etiam ſæculo ſcripta videatur, neminem ſemel iterumque eam legiſſe, pœnitebit, ſpero. *Laſciuientium* quorumdam ætatis ſuæ *ingeniorum temeritatem*, potisſimum caſtigan-

ſtigandam ea decreuit clarisſimus vir: quæ videlicet, quum vberrimam ſelectisſimarum vocum ac phraſium copiam habere potuisſent, exoletis tamen & ab vſu remotis verbis vndique conquiſitis, *febriculoſam* quamdam & *vix Sibyllæ intelligendam orationem* conſectabantur, eruditionis famam ex eo adfectantes, vt quædam ſoli ſcire viderentur. Opportuna admodum ſic oblata occaſione, plurimis argumentis *Latinæ linguæ ſtudium neceſſarium* omnino eſſe, demonſtrauit Taubmanus, clarisſime ſimul oſtendit, *accuratam* quidem eius requiri *cognitionem*. Aliquot porro *ſtili formas*, ſiue *characteres*, & *auctorum* quaſi *ſectas* recenſuit, quæ iuuentutem maxime tum exercuerint. Primum miratus eſt (ff), exſtitiſſe ſua ætate, qui *Phil. Melanchthonem* vt *ducem & anteſignanum ad eloquentiam* eligere ſibi, ac orationem eius pro *Latinæ orationis exemplo* citare haud dubitarint, quos ipſum Melanchthonem, ſi reuixiſſet, miraturum fuiſſe, credidit: quum is iuuentutem & voce & calamo ad vetus iſtud Romanum exemplum vnice duxerit. Omnium vero minime illorum audaciam æuo ſuo tolerandam putauit, qui, ſi per imperitiam vel ſupinam etiam negligentiam *plebeio* ac *ſordido* ſer-

 mone,

(ff) diſſert. cit. p. 34.

mone, qui vix grammaticus visus, nedum Latinus haberi potuerit, vsi sunt, illo se tueri haud erubuerunt, quasi orci galea, se *genus dicendi Philippicum* amare, simplex quasi & populare. Quod si meminerimus (g), viuo Melanchthone repertos fuisse, qui eum *alterum humerum in incedendo nonnihil detorquentem*, & *balbam* ipsius *vocem gestus*que imitari studuerint; non adeo mirabimur, puto, tales etiam exstitisse, qui dictionem eius Latinam imitandam sibi proposuerint. Plerisque enim curæ tum fuisse, dignissimus eiusdem discipulus adfirmauit (h), non quomodo communem præceptorem imitarentur, & doctissimi optimique euaderent, sed quomodo ex eo quædam acciperent, quibus instructi facilius se ad honores emersuros, & diuitias comparaturos, considerent: quum tamen ipse neque his de rebus docuerit, neque, quæ quotidie docuerat, ad illos fines referre quemquam passus sit. Iis, qui Melanchthonis dicendi genus imitando exprimere videri voluerunt, aliam subiungit Taubmanus ætatis suæ imitatorum speciem: eorum scilicet, qui *Lipsianam dicendi formam* sequi gestiuerunt. in qua defendenda atque laudanda multus est

(g) Camerarius in Vita Melanchth. p. 69.

(h) Caselius Secund. Luhiad. C. 1, a.

eſt (i); demonſtraturus, Lipſii ſtilum viuum aliquid habere, alacre, eruditum, & quod ſæpius repetitum placeat. quem alii ex aduerſo per ſe minus laudabilem putarunt (k), ineptisſimis ſuccenſentes mortalibus qui eum imitandum ſibi exiſtimarint; idque tam præpoſtere, vt vitia eius expresſerint plerumque, virtutes haud adſecuti. Inde labem iſtam, quam exteri in *Belgis* improbarunt, Lipſio magna ex parte adſcribendam eſſe, crediderunt eruditi (l); perſuaſisſimumque ſibi habuerunt, niſi magnus Scaliger iuuentuti peſſum eunti ſalubrioribus ſuccurriſſet monitis, futurum fuiſſe, vt

 tan-

(i) diſſert, p. 42, ſeq.

(k) vid. Morhof. Polyhiſt. litterar. lib. I, c. 24, § 65. & Henr. Stephani librum hoc titulo inſignitum: *De Lipſii Latinitate (vt ipſimet antiquarii antiquarium Lipſii ſtilum indigitant) Palæſtra I, Henr. Stephani, Pariſienſis: nec Lipſiomimi, nec Lipſiomomi, nec Lipſiocolacis; multoque minus Lipſiomaſtigis,*

Libertas volo ſit Latinitati,
Sed licentia nolo detur illi.

Hic multa non vulgaria vulgi litteratorum linguis de Latinitate illa antiquaria tantum non digladiantibus opponuntur.

Moleſtia huius litis eſt ſermonibus
Implicita multis, auferunt qui tædium,
Et liticulas tibi ad alias qui conferunt.

Francofordii an. 1595. 8.

(l) Nic. Heinſius ap. Morhof. c. l.

tantam excellentisſimorum ingeniorum meſſem inter Belgas haud inueniſſent exteri, quantam merito deinceps ſint admirati. Nec vero labes iſta ſolos Belgas atque *Germanos*, ſed *Gallos* quoque, infeciſſe iisdem eruditis viris viſa eſt: quamuis eam non tam ipſi Lipſio imputarunt, quam *peruerſis* eius *imitatoribus*: quos ipſe Lipſius non modo ridere conſueuit, verum etiam, quum *verba* & *abſtruſiores aliquot phraſes emendicare* eos conſpiceret, iram in ipſos vix tenuit.

Vt pauca etiam de fauore, quo *Ieſuitæ* Latinam linguam ſunt proſecuti, ſubiiciam. & hic quoque non perpetuus fuiſſe videtur. Nam quum Matth. Dreſſerus ſub ſæculi XVI exitum ſcripſerat (ll): *Quotusquisque Ieſuitarum eſt, qui non ſtudio magno nitorem & elegantiam Latini ſermonis ſectetur? Quotusquisque eorum eſt, qui obſoletum, ſqualidum horridumque genus dicendi non reſpuat & oderit?* Caſp. Scioppius inſequentis ſæculi XXXVI anno ita de iisdem locutus eſt (m): *Quum Ieſuitæ glorientur, ſe in Europa circiter ducenta diſcipulorum millia habere*

(ll) in orat. de Libris, quos legere, & de Orationis genere, quod imitari ſtudioſos decet. C. 2, b.

(m) Conſultat. de Scholarum & Studiorum ratione p. 74, ſeq. edit. Amſtelod.

habere, ex tanto numero quotus tandem quisque continuis septennii laboribus apud eos exhaustis plebi se exemit , ac virorum Latinarum litterarum laude clarorum cœtui inseruit? Nimirum in ipsa quoque Societate non temere decem Patres inuenerint, quibus operæ in scholis aliud fuerit pretium , nisi vt Grammatice scriberent, & barbarismis ac solœcismis potius dictio eorum vacaret, quam vllam Elegantiæ commendationem adferre deberet. Famianus *certe* Strada, *cui suffragiis suis Iesuitæ in Latine scribendo primas sine controuersia deferunt, nihilque nisi mellitos verborum globulos & omnia dicta sesamo ac papauere, vel potius cœlitum nectare & ambrosia in scriptis eius sparsa & imbuta inueniri contendunt, nondum fœdas barbarismi & solœcismi notas sibi impressas eluit ; ac fortasse non de nihilo veretur, nc mox Historiæ suæ idem ipsum vsu veniat, quod nuper* Maffeio : *cuius stilum vitiis ne in linguæ quidem tirone ferendis scatere* , *in* Scioppii Rhetoricæ fragmento *Mediolani edito demonstratum vidit.* Equidem facile ego, quod complures comprobauerunt, concedo, Scioppium odio ductum, & in vniuersum ordinem, & in Stradam, acerbe nimis, non his solum verbis , sed aliis etiam scriptis suis, inuectum videri. nam nemo forsitan præ-

ter

ter Scioppium temere negauerit, Societatem hanc XVII saeculo praeclaros viros, optime de humanioribus litteris, Romana in primis eloquentia, promeritos, in singulis Europae regionibus habuisse. Cui enim *Andr. Schotti*, *Ludou. Cresollii*, *Nic. Caussini*, *Wolfg. Schœnslederi*, *Bohusl. Balbini*, *Iac. Masenii*, *Martini du Cygne*, *Franc. Vauassoris*, *Ren. Rapini*; & *Petr. Io. Perpiniani*, *Horat. Tursellini*, XVI saeculo florentium, aliorumque, merita incognita sunt? Sed tamen de maxima Iesuitarum parte non iniuria statui posse, quod Steph. Doletus de vniuersis Germanis olim iudicauit, ego mihi persuadeo: vbi Germanis *nimiam* illam *Latine loquendi cupiditatem*, & quotidianum vsum, hoc attulisse vitium, censuit, vt *multo doctius ac elegantius loquerentur, quam scriberent.* accedere eo, quod inter grauitatem, quae scriptis ac lucubrationibus inesse debeat, & familiare colloquium nullum facerent discrimen (n). Neque vero etiam intelli-

(n) dialog. de Imitat. Ciceron. p. 95, edit. Lugd. an. 1535, 4. Quantum mali ex quotidiano Latini sermonis vsu cum iis, quibus studia litterarum non maturuerunt, proueniat, G. I. Vossius fuse in doctissima sua praefatione in lib. de Vitiis Sermonis monstrauit. Nam *assidue*, inquit, *tales audiendo, simili adsuescimus sermoni: ipsi, perperam loquentes, perperam discimus scribere. Vt mihi prope-*

telligentes isti veterum monimentorum existimatores auctoritate sua prohibere valuerunt, quo minus Societas ingentem superiori sæculo *nouatorum*, vetera fere improbantium, habuerit prouentum (o).

Qualis scholarum in Germania nostra ineunte sæculo status fuit, talis progrediente eo etiam exstitit: tantum enim abest, vt Germanorum in Latina lingua accuratius addiscenda industriam postero tempore adauctam confirment nobis ævi istius monimenta, vt rem in deterius datam esse, adseuerent. Et quemadmodum rerum intelligentes præcipuam inclinantis, labescentis, & magis magisque ad interitum vergentis apud Germanos eruditionis caussam superiori sæculo existimauerunt, quod *tenera ætas in scholis triuialibus minus recte sit instituta*; ita Georg. Calixtus, magnus Ecclesiæ nostræ theologus, centum circiter abhinc annis vehementer doluit (p), pueros illo ætatis tempore,

modum caussam suam probent, qui arbitrantur, Latine loquendi morem, qualis quidem obtinet vulgo, non minus officere linguæ castimoniæ, quam prodesse. quantum incommodi mos iste sibi attulerit pluribus verbis commemorat simul, * * 4, b.

(o) vid. Morhof. Polyh. litter. l. VI, c. 1, § 17, 18. conf. Melch. Inchofer lib. VI histor. f. Latinit. c. 8, de *Societatis Iesu circa linguam Latinam instituto.*

(p) de Solidæ eruditionis indies apud Germanos de-

pore, quo solidæ eruditionis fundamenta in scholis ponere debuissent, ex genuinis auctoribus Latinam linguam ita addiscentes, vt optimorum scriptorum mentem adsequi, suamque sententiam commode ac perspicue exponere sensim valuissent; præpostero plane ordine, iisque, sine quibus successum frustra quis sperauerit, præteritis, ad sublimiores disciplinas transilire coactos esse a magistris; qui sibi perquam docti, Calixto id de iis testante, visi erant, quando ea docuerant, quæ ipsi numquam didicerant, & quæ discipuli nec ceperant, nec capere per ætatem potuerant. huiusmodi enim ætatis suæ pædagogos illorum auctorum, qui ab omni retro antiquitate politioris litteraturæ & sermonis magistri habiti erant, scripta ex manibus iuuentutis excussisse, & sua commenta, tamquam maiora & præclara magis, iis substituisse, idem Calixtus coarguit: cuius iudicio is, *qui citra solœcismos & barbarismos, citra sordes, & dictionis inquinamenta Latine loquendi ac scribendi facultatem sibi haud compararit, immerito inter eruditos nomen suum profitetur* (q).

Medio

crescentis causis Orat. pag. 137. orat. an. 1660 coniunctim Helmest. editar 4.

(q) de Recta iuuentutis informatione & præceptorum officio, orat. p. 41.

Medio circiter sæculo res eo in Germania, quod ad litteras attinet, perducta erat, vt Bœclerus scribere haud vereretur (r), *ne in academiis quidem*, quas Deus & respublica non huius, aut illius, sed omnis doctrinæ, custodes & magistras esse voluerit, *varia eruditioni aut politioribus Musis impune operari tum licuisse*; & bonos auctores, apud eos, qui studiorum titulos prætulerint, ne vocabulo quidem notos fuisse, quereretur; immo Ciceronem cum omni eloquentia ad pueriles nænias damnari, Cæsares, Liuios amare in probro haberi cœpisse: vnde factum esse, addit, vt *altiora omnia intelligendo nihil satis intellexerint homines.* Viginti annis post, quam Bœclerus ita conquestus fuerat, Germanos non leuis socordiæ, & inscitiæ dignæ notari optimus Bœcleri discipulus Io. Ludou. Praschius quam disertissimis his insimulauit verbis (s): *Illud dicam, si vlla gens habeat caussas poliendi stilum Latinum, Germanos vtique habere, qui & Romani imperii dignitate fulgeant, nec vernaculæ linguæ cura distringantur. Semper equidem cum imperio illo & lingua Latialis viguit: eamdemque, ac non illatinam, iuxta Teutonicam exigunt leges nostra*

(r) in præfat. de Rebus sæc. IX & X Commentar.
(s) initio Roscii s. Præceptor. stili Latini.

ſtræ (*). *Interim, quam rarus hodie per terrarum orbem hic cultus ſit, vix auſim dicere, vix perſuadere valeam. Exſulat enim non ab aulis modo, & cancellis publicis, quibus etiam ſordere ſolet, vt ſcholaſticus : ſed a ſcholis quoque cesſit, a virorum doctisſimorum, & alia omnia præ ſe ferentium, ſcriptis. Nec mirum: pendent enim ſcholæ ab imperantium cura atque exemplo: a quibus vident auctorari, neſcio quod, ſcribendi genus barbarum, vide, verboſum ac moleſtum, quum quidem ibi regnare debeat ſtili breuitas & elegantia, aut magnificentia ac ſplendor. In hoc parando nulli ſumptui parcendum eſſet.* Vergente ſæculo de Romani ſermonis in Germania neglectione Val. Henr. Voglerus grauiter etiam queſtus eſt, quando de ſtudiorum ætatis ſuæ corruptelis prudenter admodum commentans, ſcripſit (ſ): *Latina lingua longe infra multorum officium, longeque ſecius, quam decet, ac par eſt, & ad eruditionem promouendam ſiue commoditas ſiue necesſitas expoſcit. Ita quippe puritas & elegantia ſermonis eius pasſim negligitur, vt pro-*

(*) Conf. Melch. Inchofer. hiſt. S. Latinit. lib. IV. c. 2, de *lingua Latina Lingua Imperii.*

(ſ) differt. V, de Naturali in bonarum doctrinarum ſtudia Propenſione, Delectu ingeniorum, Studiorum corruptelis earumque cauſſis, Helmeſt. an. 1672, 4, pag. 36.

propria quoque vocum ſignificatio a quam plurimis ignoretur. Et quidem hac fiunt etiam ab illis, quorum ductum alii tamquam caprum grex ſequuntur, quorumque loquendi ſcribendique rationem proinde velut in exemplum ſibi propoſitam non dumtaxat imitantur & exprimunt, ſed etiam, quantum in ſeſe eſt, augent atque in maius promouent. Non parum quoque lingua eius ſtudio derogatum eſt, poſteaquam qua antehac illa deſcribi ſolebant, hinc inde vernacula multorum tradi cœperunt.

In tanto domeſticorum teſtium conſenſu nemini de languidiori Germanorum Latinæ linguæ proximo ſæculo colendæ ſtudio dubitationis quicquam ſupereſſe poſſe, arbitror. Plura quidem eadem de re non minus firma teſtimonia in promptu fuerant. at quum magnæ ætate ſua auctoritatis theologum, grauisſimum iureconſultum, haud obſcuri nominis medicum, & celeberrimos philologos ex diuerſis latisſime patentis Germaniæ regionibus teſtes adduxerim, omnibus reliquis teſtimoniis facile ſuperſedere poſſe, ego mihi videor; præſertim quum res ipſa ſuapte luce perſpiciatur, & relicta nobis ingeniorum monimenta id, quod demonſtratum volo, quam maxime ſimul teſtentur. Non poſſum tamen; quin de Lati-

nitate & vniuersa elegantiore litteratura impense meriti Cellarii iudicium, auctarii quasi loco, adiiciam; conditionem, qua Romanus sermo extremo sæculo in patria fuit, summi philologi verbis descripturus, qui grauissimi meliorum litterarum vindicis verbis elocutus sum, qua idem sermo ineunte sæculo vsa ibi sit fortuna. ipsum optimi Cellarii, præceptoris mei post fata etiam diligentissime colendi, iudicium est (ss): *Laborat sæculum illorum multitudine, qui ex doctrina nomen ferunt; sed, quæso, fac periculum, & excute diligentius, quotusquisque ex tanto numero sit puræ Latinitatis conscius; quotus par epistolæ eleganter scribendæ?* Quorum paucitatis caussam alibi hanc tradidit idem excellentis doctrinæ laude præstantissimus vir (t): *Non desunt, qui epistolæ scribendæ artem, aut compingendæ orationis a nobis expetant: quibus si proponuntur, quæ opus sunt comparandæ facultati; aut recusant laborem illum subire, aut si ægre subeunt; tamquam canis ex Nilo bibens ocius opinione recurrunt. Labore opus est, & lectione multa, & excerptis variis ac crebra imi-*

(ss) in programmate elegantior. litterar. collegio aperiendo adf.

(t) orat. de meliorib. litteris restituendis B. 2, a. quam an. 1697, sub initium Collegii elegantioris litteraturæ, in academia Fridericiana constituti, habuit.

imitatione. Laborem hunc reformidasse litterarum studiosorum nomine appellatos iuuenes, saeculi initio Taubmanus pluribus verbis declarauit (tt); eamdem taedii istius caussam iisdem ferme verbis prodens, quibus Cellarius eam centum annis post exposuit: *Reperiuntur quidem in iuuentute, qui videntur intelligere, quantum in viro sapiente ornamentum sit oratio elegans: adeunt interdum etiam publicum professorem, petuntque viam ac rationem sibi tradi, qui illud, quod in aliis admirantur, ipsi etiam consequi valeant. Paret magister; & viam, quam insistant, quamque decurrant, praeceptis nouitiorum iuxta ac veterum dicendi magistrorum, alba (quod dici consueuit) linea, signat. docet quotidie aliquid in classico auctore cum cura legendum; aliquid prudenter seligendum: quotidie aliquid scribendum, & in ista scriptione accurate ad exemplum perfecti illius saeculi respiciendum: omnesque ingenii ac iudicii neruos intendendos: nec facile remittendum, etiamsi annus in hac cura iam abeat, vel etiam alter, immo in duriori ingenio vel tertius. quippe pulcra quae sunt, eadem & difficilia. neque ipsa rerum natura quicquam voluit magnum effici cito, sed praeposuit pulcerrimo cuique operi difficultatem. At haec*

 quum

(tt) differt. de lingua Lat. p. 114, seq.

quum candidatis istis Latinæ linguæ præcipiuntur ; nempe legendum quam diligentissime, scribendum quam diligentissime, legendum item quam plurimum, scribendum quam plurimum : illi tantum, tamque pertinacem laborem pertæsi resiliunt, & mirantur, aut etiam indignantur, aliquem e priuatis istis doctoribus, si singulos dies binis dumtaxat horis occupet, posse trimestri spatio, hoc est, horis centenis, & quod excurrit, hanc illamue partem philosophiæ ita explicare, vt auditor non valde negligens doctrinam illam satis intelligat : quum nostrum aliquis tantum & temporis & studii requirat, vt oratio saltem probabilis scribatur.

Verumenimuero inter Germanos non defuisse proximo sæculo, qui Latinæ linguæ studiosi, bonas litteras sartas tueri, & iuuentutis industriam excitare contenderint, ex ipsis istis eruditorum virorum querelis quodammodo patet. Nam quemadmodum, eloquentia Ciceronis tempore obmutescente, exstiterunt, quos *non tam dicendi fructus & gloria, quam ipsum studium exercitatioque* delectauit (u) : ita humanitatis studiis ex Germania nostra aufugientibus, nonnulli subinde prouenerunt, qui *non quæ-*

stu

(u) Cicero in Brut. cap. 6.

ſtu & lucro, ſed ipſorum ſtudiorum, vti par erat, *iucunditate vſuque* adducti, egregio popularibus præire perſeuerarunt exemplo; vt extruſas ab ingratis quibusdam hominibus litteras remoratum irent ; Sturmii atque Caſelii veſtigia potisſimum ſecuti. Et *bono* quidem *fato* potius, quam *conſilio*, *induſtria*que *hominum*, omni fere ætate exſiſtere, idem hic Caſelius perſuaſum ſibi habuit, qui ſapientiam omnibus rebus poſthabitis colendam propagandamque ſibi putent: eodem fato heroum indole adoleſcentes exoriri ſubinde, credidit, qui quum, quæ alii tractent, nec ipſi negligant; attamen diuinitate ingenii ad altiora & prima illa ſtudia adſpirent (v). Illorum, qui in melioribus litteris propagandis proximo ſæculo elaborarunt, numerus, licet ingens primo videri queat: ſi quis tamen hunc cum eorum, qui XVI ſæculo iisdem litteris operati ſunt, numero comparauerit, exiguus ſine dubio videbitur: qui infinitus exſiſtere omnino potuiſſet, ſi magnis firmisque ſubſidiis, quæ indefeſſum maiorum ſtudium comparauerat, recte vti voluiſſent poſteri. Hos idcirco ſummus Vosſius non iniuria inertiæ deſidiæque condemnauit, vbi verisſime ſcripſit (x): *Solum*

(v) in orat. funebr. Andr. Mylio ſcr. C. 4, a.
(x) præfat. in libros de Vitiis Sermonis ** 4, a.

Solum iuuentutem moneo, ne vna orationis parte sic studeat ornatui, vt alia contrahat sordes. atque hoc eo iustius facio, quia si iam sesquisaeculo, & vltra, necdum satis sit profectum salubribus & praeceptis, & exemplis: difficile sit videre, quid, sine multorum monitu, deinceps sit sperandum, succedentibus aliis temporibus, quae sensum non tam ad sermonis applicent castimoniam, quam inanes argutias, ac mox etiam ad veterem barbariem paratura esse viam videantur. Vsque adeo sordere coepit omnis litteraturae honos. Spem quidem, quod ad Latinitatis studium pertinet, Ol. Borrichius suo etiamnum tempore fouisse videtur, eamque haud obscuram: quam his verbis exposuit (y): *Quamquam diu post Petrarcham barbarum illud dictionis abominatae cacoethes linguis & calamis perfunctorie doctorum insederit, nobiliores tamen animi ea constantia, & alacritate vbique, ingerenti sese stribligini opposuere, vt magnis nunc passibus ad metam, ad rediuiuum Augusti & Vespasianorum saeculum contendatur. Quicquid autem hactenus desiderari visum est, si vatum praesagio locus, temporum succedentium felicitas supplebit. Et praelusere iam pridem, praeter ingenia alia clarissima, duo fulgentissima litterarum humaniorum*

(y) de Variis linguae Latinae aetatib. p. m. 24.

rum lumina, Caspar Scioppius, & Ger. Io. Vossius, *quibus immortales gratias debet eruditus orbis ob nauatam propagandis litteris operam, ob vigilatas in omnium emolumentum noctes, ob seruatos ciues Latinos*. Vtrum triginta septem annorum interualli, quod interiectum est inter Borrichii præsagium & nostram ætatem, tanta fuerit iam felicitas, vt id, quod desideratum est, suppleuerit, est, quod valde dubito: vtrum vero posteritas tantæ spei satisfactura sit, alii vaticinentur. Ipsius quidem Borrichii, quam conceperat hac in re, exspectationem septem circiter annis post extenuatam iam quodammodo fuisse, vel ex his eius verbis (z) coniicere quis forsitan posset: *Quo plures hodie videmus scriptorum Latinorum recentium genio suo obsequi, hoc est, barbariem infelicium temporum castæ Latinitati permixtam seculo obtrudere, adeoque cum Mezentio corpora viua iungere mortuis, hoc illi merito laudatiores nobis æstimandi sunt, qui oculos aduersus inficetum illud genus attollunt, & pro virili sordes dictionis e stilo inquinate scribentium laborant abstergere.*

Quomodocunque se res habeat, elegantissima ista Borrichii verba, quibus iniectam

 sibi

(z) Analector. ad Cogitationes de lingua Lat. pag. 1.

ſibi ſpem explanauit, eo libentius adſcripſi, quo ampliorem *Germanis* tribuere ea videntur laudem, multo pluris faciendam, quod ab extero eſt profecta. GERH. IO. VOSSIO (a) laudem iſtam nemo inuidebit, ſpero, quum tanta eius in litteras, Latinam cum primis linguam, exſiſtant merita, vt a nemine ſatis laudari poſſe videatur incomparabilis plane vir; præclarum conſummatæ in iſto genere eruditionis, & ſtupendæ induſtriæ exemplar, merito a celeb. Perizonio appellatus (b). quo neminem poſt Ariſtotelem orandi artem vberius & accuratius tradidiſſe, cenſent eruditi. At GASP. SCIOPPIVM nonnulli laude iſta indignum forſitan iudicabunt: quamquam inuidenda magis viri elogia exſtare, ſcio. Cuiusmodi plurimi illud etiam habebunt, quod Octau. Ferrarius ei impertiuit (c): qui Scioppium virum in omni litterarum genere *eminentisſimum*, ſed in ſacrarum interpretatione ſine æmulo natum

(a) ipſe ego talia ſcripta vidi, in quibus *Heidelbergenſem* natione ſeſe nuncupauit: hoc fecit in oratione, quam an. 1597 Lugduni Batauor. de *Felici expeditione Belgici exercitus ductu D. Mauritii*, viceſimo circiter ætatis ſuæ anno, habuit, in cuius fine nomen eius apparet, altero prænomine omiſſo: *Gerardus Vosſius Heydelbergenſis*.

(b) in præfatione Sanctii Mineruæ præm.

(c) Proluſ. XII, p. 113, edit. Patau. in 4.

tum nuncupauit, qui non vrbem modo Antenoris, sed *sæculum illustrarit*; cuius incredibile studium atque inauditam animi contentionem vix credere potuerint, qui oculis non vsurparint. alibi solum Scioppium *irruentem barbariem profligare valuisse*, censuit Ferrarius (d). Equidem quum in re bona mali auctoris, Seneca dudum ita iudicante, pudere nos non debeat, ac in ingeniorum monimentis non tam considerandum esse videatur, quis scribat, sed quid scribatur: æqui iudices Scioppium ob *summa in Romanum sermonem merita* debita laude haud priuandum censebunt. quæ si patria considerauerit, talis ciuis memoriam minus abominabitur; de quo prudentissimi viri iudicarint, non facile alium a multorum annorum memoria tantam rationem intelligentiamque antiquæ & vrbanæ Latinitatis habuisse; & neminem inter omnes, qui linguæ tradendæ operam profiteantur, inueniri, quem in Latinis studiis Scioppio anteponere queamus (e). Dum hæc scribo, Campani minus honorificorum de Germanis iudiciorum denuo recordor, solius Scioppii, in Bauariæ,

(d) Prolus. XIII, p. 126: vbi Ferrarius Scioppii laudes aliquot paginis persequitur.

(e) illustr. Marq. Gudius in præfat. Scioppii Grammat. philosoph.

Campano tantopere detestatæ, confiniis nati, exemplum sapientissimam Thom. Bartholini adfirmationem (f) comprobare potest: *Nulli nationi nouercam naturam esse, si ingeniorum diligentia acuatur, si latitantes igniculi bonarum rerum assidua ventilatione suscitentur.* Tantopere suscitauit Scioppius igniculos, vt ipsi Itali miram atque exactam eius in aliorum scriptis æstimandis, & ad Latinæ orationis censuram exigendis iudicii vim non satis suspicere potuerint (ff). siquidem eam reconditæ eruditionis partem, quæ Latini sermonis aut caussam exigit, aut munditiam obseruat, omnium perfectissime explicasse iudicatur (g); *Francisci Sanctii, Brocensis*, vestigia secutus. Huius *Mineruæ*, siue de *lingua Latina caussis* libro, omnem accuratiorem suam eiusdem linguæ cognitionem vltro debuit Scioppius. Nam postquam in puerili sua ætate nullam grammaticam Latinam didicerat, sed octo iam annos natus post nominum verborumque declinationes memoriæ mandatas ex quotidiana Latine loquentes audiendi, loquendique consuetudine tantum profecerat, vt quicquid ætatis illius vsus posceret, Latina lingua enuntiare

(f) differt. II de Libris legendis p. m. 35.

(ff) Oct. Ferrarius Prolus. XIII, p. 127.

(g) ill. Gudius cit. l.

tiare posset; & postquam adultior factus assidua optimorum auctorum lectione eam Latini sermonis intelligentiam consecutus sibi visus erat, vt, cur cognoscendis grammaticorum præceptis quicquam operæ consumeret, rationem nullam esse, putaret: in Sanctii demum Mineruam, quum in Hispania commoraretur, incidisse se, scribit (h); qua eo adactum se fatetur, vt per otium *veterum*, compluriumque *recentiorum grammaticorum* libros euoluerit, diligenter exploraturus, quo iure isti Sanctio vapulassent: in cuius videlicet libro *aliquot errorum millia* grammaticis istis impingi, acriterque exagitari, compererat. Quum iure a Sanctio tot exagitatos cognouisset errores, eius grammaticam tanti fecit, vt hanc ex Salmanticensi academia Romam ab se allatam esse, mirifice semper sit gloriatus (i): quippe quam tantam facilitatem, & tam certam regularum rationem habere, censuit, vt *rem prodigii similem* omnibus videri necesse esset. Sanctii huius

(h) in præfat. grammat. philosoph. de *veteris & nouæ Grammaticæ Latinæ origine*.

(i) cel. Perizonius in præfat. in Sanctii Mineruam refert, ipsam hanc Mineruam ab Duce *Alcaleo*, Hispanici Regis legato, Romam deportatam, in Scioppii peruenisse manus, qui eam multis ornatam laudibus, notulisque suis auctam Patauino iterum prelo subiecerit.

huius, qui ob immensam operam molestiamque, in purgandis grammaticorum doctrinis, ceu sordidissimo Augiæ stabulo, deuoratam, *alter Hispaniæ* suæ *Hercules* nominandus quibusdam videtur (k): Huius, inquam, Sanctii vestigiis inhærens Scioppius, quum ea, quæ acceperat, passim in *grammatica* sua *philosophica*, aliisque acerrimi ingenii sui monimentis, illuminasset, multa præterea monstra confecisset, multa grammaticorum somnia explosisset, inueteratam plurimorum verborum peregrinitatem exterminasset, ac plures alias veterum frustrationes, & varia commenta, quæ ne Sanctius quidem olfacere potuerat, ostendisset, in *grammaticis nugari tandem desiisse passim homines*, prudentes arbitrati sunt. Summi certe viri viuo Scioppio gratiam habere numquam cessarunt, quod ipsos opera ista a timore vindicasset, quo manum prius, quoties Latine scribere aggressi essent, contremiscere sibi sensissent (l). Maiores, & immortales plane gratias habuissent Scioppio Latini sermonis studiosi, si *Thesauro* suo, siue *Romanæ eloquentiæ Promptuario*, cuius summam cunctæ Europæ excitauerat exspectationem, eos beasset. at

The-

(k) ill. Gudius in præfat. Scioppii grammaticæ philosoph. præf.

(l) vid. cit. Scioppii præfat. in grammat. philosoph.

Thesauri huius exspectationem æque inanem fuisse, ac illius, quem Sturmius promiserat, dolendum sane (ll). Ex sua de reliquo communicata grammatica arte tanto gaudio Italorum quosdam elatos esse, ipse Scioppius adfirmauit, ut eam vulgatam propemodum nollent, qui se non alia magis re, quam *caussarum linguæ Latinæ tot sæculis ignoratarum scientia*, a litteratorum turba secerni, longeque ceteris anteire, sibi persuaserant.

Vtinam vero Sanctii atque Scioppi præclara in Latinam linguam merita tali exstitissent

(ll) in Indice librorum Gasp. Scioppii, quos de Latinæ linguæ, & litterarum præsertim humaniorum studio conscripsit, Grammaticæ eius philosophicæ præmisso, hæc de Thesauro isto leguntur: *Thesaurus Scioppianus, siue Romanæ eloquentiæ Promptuarium. Auctores quibus in hoc promptuario Sciopp. perpetuo vsus est*, M. Tullius Cicero, M. Accius Plautus, P. Terentius. *Quibus frequenter vsus est*, T. Lucretius Carus, Cornelius Nepos, Titus Liuius. *Quibus rarius vsus est, omnes Philosophi, Medici, Oratores, Iurisconsulti, Historici & Poetæ Latini: ex his enim nomina & omnium fere rerum appellationes excerptæ heic leguntur. Cuius operis quia summa est omnium litteratorum hominum exspectatio, ne nimis facili spe ducantur, monere visum est, hactenus nihil certo promitti posse, sed exspectari & quotidianis votis expeti ab humanitate celeberrimi viri Io Michaelis Pierruccii antiquum ius Patauii magna cum laude publice docentis.*

tissent sæculo, quale, quod ad flagrantem discendi cupiditatem attinet, illud in Germania nostra fuit, in quod Reuchlini atque Melanchthonis ætas cecidit. Hanc firmioribus istiusmodi destitutam subsidiis eo per incredibile studium adscendisse, quo ætatis nostræ, quæ talibus omnino adfluit, paucissimi peruenisse se, gloriari queant, omnem posteritatem miraturam, puto. Quo minus vero Germani tot subsidiis instructi eo peruenerint superiori sæculo huius prohibuit genius; quo nempe *boni homines*, amplissimi Gudii testimonio, iterum *vapulabant*, & *nomen Grammaticus malum* denuo *putabatur*: qua labe dum complures alii mox inficiebantur, *omnis adolescentiæ virtus* eidem amplissimo viro *sensim exstincta* visa est. Sæculi sui genium ipse Scioppius nobis adumbrauit (m), quo merito ambigi potuisse, credidit, *an tanti esset, multum temporis ac laboris in Latinæ linguæ studio impendere*: neque vero illi, cui res angusta domi fuerat, ad id faciendum hortator & auctor exstitit Scioppius: nisi illorum haberi is voluerit numero, qui *gloriam* ac *nominis claritatem* lucro potiorem ducant. caussam vero, cur politiores litteras interius docti cum rei familiaris an-

gustiis

(m) Consultat. de Scholarum & studiorum ratione p. 44, edit. Amstel.

gustiis luctati sint suo tempore, hanc tradidit (n): *Principes nullum litterarum gustum habent, neque quicquam cuiquam temere largiuntur, nisi quo vel voluptatis suæ, vel vtilitatis administro vti queant.* Palam tum fuisse, audacter porro pronuntiauit Scioppius, maiorem eorum partem, qui vel maximis in ecclesia dignitatibus præfuerint, & vnctissimis episcopatibus atque sacerdotiis vsi sint, quantulacunque iuris ac legum notitia tincti, ad amplissimos honores opesque peruenisse: ceterum Hebraice, Græce, ac Latine indoctissimos, tum sacrarum litterarum non magis, quam Scythici, aut Iaponici sermonis intelligentes eos fuisse. In *Italorum* cum primis ætatis suæ mores sic forsitan inuectus est Scioppius. apud quos *satis doctum* isto tempore iudicatum esse, Ferrarius commemorauit (o), *qui longa atraque tunica indutus, sacris destinatus, vel initiatus fuerit:* nam licet vix litteris tirocinium quispiam posuerit, nec canones grammaticos cognitos satis habuerit, *magistrum* tamen eum visum esse, & quidem *venerabilem maxime.* An vero Germani graui iniuria adfectos se conqueri potu-

(n) ibid. Se igitur exploratum habuisse, adfirmat, *quomodo bonæ mentis soror sit paupertas*, quod senex ille apud Arbitrum scire se, negauerit.

(o) Prolus. VIII, p. m. 77.

potuissent, valde dubito, si Scioppius de ipsis nominatim intellectum voluisset, quod de sæculo suo generatim scripsit. *Plerorumque omnium iudicio opes cumulare, hoc demum est scire litteras, & quemadmodum est apud Platonem: Multi in hoc consentiunt, sapientem in primis sibi ipsi sapere oportere: huius autem hæc summa est, vt argenti quam plurimum acquiratur.*

Quando tamen Scioppius Germaniam eruditis ciuibus non plane ætate sua orbatam, *probos* quosdam & *eximiæ doctos iureconsultos* habuisse, confirmauit, *Ob. Gifanium* atque *Conr. Rittershusium* in primis intelligi ab eo, autumo, viros de Romana lingua, veteres auctores emendando eruditisque obseruationibus illustrando, optime meritos, tum quidem, quum Scioppius illud adfirmauit, iam defunctos: vtpote quos extremo XVI sæculo, & ineunte XVII floruisse, nouimus. Vestigia eorum secutus est *Georg. Richterus*, alii Gifanius *Belga* quidem natione fuit, at in diuersis Germaniæ academiis bene multos annos docuit. cuius in *Lucretium Carum Collectaneis* se primum ad *studium criticum* ita perductum esse, professus est Scioppius, vt, quicquid in hoc deinceps viderit, isti potissimum Indici acceptum referre necesse habuerit

rit (p). Germaniam præter duumuiros istos, & ipsum *Scioppium*, atque laudatum supra *Taubmanum*, ingentem plane numerum, si sæculi XVII conditionem, bonarumque litterarum contemptionem intuemur, hominum, qui eo studiorum genere industriam suam exercuerunt, habuisse, negandum non est. quæ antecedente sæculo *Ian. Guilielmium* in ætatis flore amiserat; cuius ingenium exteri etiam suspexerant: siquidem hoc præclarius & elegantius quodquam æuo suo exstitisse, negauit Scioppius (q). Neque de

(p) de Arte Critica p. m. 11. de Gifanii *Obseruationibus singularibus in linguam Latinam*, an. 1624, 8, editis, consule Phil. Parei binas ad D. Tossanum epistolas an. 1643 scriptas, Monumentor. Pietatis & Litterar. P. II, p. 458, seqq vnde ego multa de integro Gifanii *de lingua Latina Commentario* didici, antea mihi incognita: quem Scioppium cum Ingolstadii Gifanii domesticus fuerat, summa industria compilasse, eoque nomine varie a viris doctis plagii arcessitum esse, ostendit Pareus, & quem miro quodam fato ad manus suas peruenisse, scribit; *incomparabile opus*, vt ipsum Commentarium vocat, in lucem editurus: se enim tantum thesaurum apud se solum defodi passurum non esse, spondebat; quem tum, quum obseruationes emitteret, exstare nesciuerat, omnia Gifaniana se protulisse tum ratus. quid prohibuerit, quo minus promissis suis steterit hac in re Pareus, & vbi thesaurus absconditus denuo lateat, ignoro.

(q) de Arte Crit. p. 17.

Valente Acidalio in eodem litterarum genere paruam conceperat tum Germania exſpectationem; *Frid.Sylburgii* induſtriam atque iudicii vim magnopere admirata. Illis, qui eodem ſæculo, de quo ſermo mihi eſt, diligenter inter Germanos nauarunt operam, vt *optimis Latinis auctoribus meliuſcule eſſet*, ſequentes adnumerandi ſunt, viri varia ſua eruditione magnam nominis conſecuti celebritatem: *Marq. Freherus, Io. Wowerius, Ian. Gebhardus, Matth. Berneggerus, Io. Weitzius, Chriſt. Ad. Rupertus, Thom. Reineſius, Caſp. Barthius, Io. Freinshemius, Io. Henr. Bœclerus, Chriſtian. Daumius, Io. Andr. Boſius*, atque præclare de huius ſcriptis, & bonis ſimul litteris, meritus *Georg. Schubartus*, elegantiſſimi ingenii ac ſtili vir; & ſi qui fuerunt inter Germanos alii eruditione haud inferiores homines: omnes enim enumerare in animo mihi non eſt. Iis, qui merito ſuo addatur, longe digniſſimus vnicuique videbitur *Chriſtoph. Cellarius*, paullo ante laudatus: quem Ol. Borrichius dudum in eorum retulit numero, qui oculos aduerſus inficetum hominum, barbariem infelicium temporum caſtæ Latinitati permixtam ſæculo obtrudere conantium, genus ſuſtulerunt, & pro virili dictionis ſordes e ſtilo inquinate ſcribentium abſtergere elaborarunt. Latinitatis certe

ſuble-

ſubleuandæ tam cupidus fuit optimus vir, quam qui inter Germanos maxime.

Criticum horum virorum ſtudium licet cum exquiſitisſima ac ſtupenda *Scaligerorum*, *Turnebi*, *Salmaſii*, *Heinſiorum*, *Grotii*, *Gruteri* & huiusmodi ſummorum ingeniorum eruditione comparandum forſitan non videatur. non tamen ignoro, complures inter exteros fuiſſe, & etiamnum eſſe, qui, quum *pauca oppido*, quibus bonis ingeniis ſubueniri ſolet, conſiderarunt in Germania noſtra *ſubſidia*, mirifice mirati ſint, inter huius ciues tot minus contemnendæ in iſto litterarum genere eruditionis exſtitiſſe nihilominus adhuc viros; qui ſatis exemplo declararint ſuo, neque *ingenio*, neque *induſtria* deſtitui Germanos: quum alioquin, *vbi malos præmia ſequantur, haud facile quisquam gratuito bonus ſit:* & quum

Haud facile emergant, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Germani etiam *genere*, qui *in terras*, neceſſariis iſtis ſubſidiis abundantes, *translati* ſunt, vbi fœcundi ſui ingenii vires, tamquam nobiliores plantæ alieno ſolo inſitæ, adaugere potuerint, popularium gloriam contra inuidos vindicare, atque magnopere amplificare poſſe videntur. Id quod *Voſſii* abunde præ-

ſtiterunt, *Gronouii*, *Grauii*, inſignia inter Batauos, qui *Perizonios* etiam Germaniæ noſtræ debent, lumina: idem præſtitit *Lucas Holſtenius* clarisſimum *Italiæ* ſidus ex Germania ortum. De ipſorum *Batauorum eximiis* in Latinitatem, omnemque elegantiorem litteraturam, *meritis* ingens confici poſſet liber: ſolis eorum, qui humanitati proximo ſæculo ibi quam diligentisſime operati ſunt, nominibus totæ paginæ impleri poſſent. Quod vero ſuperioribus capitibus & Batauorum & Belgarum inter Germanos mentionem fecerim, cauſſas habere mihi viſus ſum non ita leues. primum enim Agricola, Eraſmus, ceterique gloriam inſtauratis litteris exſpectandam libentisſime cum Germanis communicatam voluiſſe videntur: deinde omne Belgium iisdem tum Dominis paruiſſe nouimus, quibus Germania paruerit.

In patriam hanc meam vt redeam: hæc proximo ſæculo præter *Freinshemium*, *Bœclerum*, & alios, *diſertos* nonnullos coluit *oratores*, in quorum numero habendi, *Theod. Adam. Siberus*, *Aug. Buchnerus*, *Chriſtoph. Schraderus*, *Dan. Georg. Morhofius*, *Conr. Sam. Schurzfleiſchius*, viri eleganti variaque eruditione excellentisſimi, polyhiſtores inſignes; quorum gloriæ exteri inuidere viſi ſunt. *Poſtremi duo* vna cum *Buchnero* præter reliquas libe-

liberalis doctrinæ atque humanitatis ſtudia *Poetica laude* floruerunt qualis etiam *Frid. Taubmano, Henr. Meibomio, Vincent. Fabricio, Frid. Rappolto, Ioach. Fellero, Io. Ludou. Praſchio* debetur. Quorum hic eorum, qui Germaniæ iuuentuti ad *ſtilum exercitandum* auctores exſtiterunt, ipſi rei neceſſariæ quam peritisſimi, adſcribendus eſt numero; quem *Buchnerus* atque *Io. Scheſſerus* præclaris meritis ſuis auxerunt: magnum quoque academiæ Iuliæ ornamentum *Chriſtoph. Schraderus*, in diſertisſimorum Germaniæ oratorum numerum paullo ante a me relatus, ſingularem plane laudem eodem merito ſibi vindicare poteſt vtpote quo neminem diligentius in Ariſtotelis de Rhetorica Arte libros III commentatũ eſſe, nouimus. Inter eos vero, qui *grammaticorum* Sanctii atque Scioppii præceptorum vſum edocti, Germaniæ iuuentuti viam ad ea rectius cognoſcenda monſtrarunt, haud poſtremi ſunt *Io. Ern. Bythnerus*, & *Georg. Henr. Vrſinus*; quorum hic Obſeruationum Philologicarum libro dudum edito diligentis ac periti *Philologi* nomen promeruit. Quemadmodum de reliquo cl. Morhoſius fieri poſſe, negauit (r), vt quis omnes Poetas, aut multo magis Poetarum vmbras, in ordinem cogat; & citius Iouis imbres ad numerum vocari

 poſſe,

(r) Polyh. litter. lib. VII, c. 3, § 18.

poſſe, credidit, quam innumerabilem Poetarum copiam, quæ litteratum orbem intempeſtiuis ſuis ſcriptis vexarit : ita ægre quis *ſæculi XVII grammaticorum*, *rhetorum* atque *oratorum* numerum iniuerit. quorum ſingulorum *ingens* eodem ſæculo *in Germania* fuit *prouentus*; tantum enim abeſt, vt omnes nominarim hactenus, vt vix decimam eorum partem nominaſſe egomet ipſe mihi videar. Equidem de eorum, quos prætermiſi, fama atque gloria nihil plane detractum volo : neque illi, qui forſitan exiſtimauerit, me ciues præteriiſſe, quos commemoratis ipſe anteponat, vehementer repugnaturum me, ſpondeo. accuratum ſæculi eruditorum indicem dare non conſtitui, nedum cuiusque merita digne perſequi inſtituti mei eſſe, perſuaſerim mihi : neque is ſum, qui præſtare id poſſe ſibi videatur. Accedit, quod, quum plerorumque memoria recens etiamnum ſit, eam renouandam, & laudes ac merita nominatorum pluribus teſtimoniis iudiciisque, quemadmodum in ſuperioribus a me factum eſt, prædicanda haud putauerim. namque ſcripta eorum in omnium verſantur hodie manibus: notiora ſaltem ſunt, quam Agricolæ, Melanchthonis, Camerarii, Fabricii, Sturmii, Erythræi, Iunii, atque Caſelii, præclara atque pulcerrima monimenta : quorum nomina

magis

magis magisque obscura fiunt Germanis; eo diligentius ab obliuione vindicanda; & pluribus idcirco verbis a me supra commendata. Tantum addam, me vereri, ne Germania tam ingenti ac innumerabili fere scriptorum numero XVII saeculo sciolos quosdam & pseudocriticos habuerit, de quibus vere dici queat, quod magnus Rittershusius de nonnullis aeui sui Aristarchis pronuntiauit (s): *Quum ingenii sui acumen in alienis operibus recensendis ostentare vellent, saepe adnotarunt, quid melius ab auctore dici potuisse videretur: quum fortasse* Χάλκεα ἀντὶ χρυσείων *substituerent, ea certe in auctores intruserunt, quae numquam ipsis in mentem venerunt. quo in genere sunt ludorum magistri, verbum verbo permutantes in interpretatione ad discipulos, & padagogici iudicii homines: in quos saepe grauissime, sed & meritissime, inuehitur princeps litterarum Iosephus Scaliger.*

Caselii adfirmationis, supra a me prolatae, veritatem demonstrasse hactenus mihi videor: omni fere aetate homines prouenire, qui sapientiam ac litterarum studia omnibus posthabitis rebus colenda ac propaganda sibi putent; siue bono quodam fato, siue consilio atque industria mortalium, id accidere, sta-

(s) in Commentario in Oppianum ap. C. Scioppium de Arte Critica p. 88.

ſtatuerimus. *Heroum indole adoleſcentes* eodem fato exoriri etiam ſubinde ſolere, qui, quum ea, quæ alii tractent, nec ipſi negligant, attamen *ingenii diuinitate ad altiora ac prima illa ſtudia adſpirent*, (quod idem Caſelius exploratum habuit,) ipſum XVII ſæculum non minus comprobat : quo Muſæ non ſolum magnos in ſummorum *Principum aulis patronos* habuerunt atque *Mæcenates* ; inter quos *Friſii*, *Seckendorfii*, *Pufendorfii*, illuſtres maxime viri, primas facile tenebant ; ſed in nonnullorum etiam *Principum* ſingulari triumpharunt clementia. Quanta benignitate LEOPOLDVS, *Imperator Pius*, *Felix vereque Auguſtus*, litteras, harumque cultores fouerit, & quanti Romani ſermonis, quo Legatis ſcite litteratisſimeque reſpondere conſueuit, cultum fecerit, pluribus teſtimoniis confirmare nihil attinet, quum tot vbique reperiantur teſtes, qui optimi Imperatoris eloquentiam coram admirati ſunt, eius in litteratos fauorem vehementer venerati. CAROLVM LVDOVICVM, *Electorem*, *Comitem Palatinum*, ſæculum velut *Muſarum Herculem* coluit, & aulam eius grauisſimorum Senatorum prudentisſimorumque Conſiliariorum ludum merito ſuſpexit. Serenisſima *Comitum Palatinorum Domus* Carolo Ludouico æqualem fere, at triginta circiter annos

ſu-

superstitem habuit CHRISTIANVM AVGVSTVM, optimum Patriæ meæ Patrem, *Germaniæ*que *Nestorem*, litteratisſimum multarumque, orientalium adeo, linguarum peritisſimum Principem; in quo Germania quam plurima præter ſingularem eruditionem admirata eſt. Magnopere lætor, & magnum ſtimulum ſentit animus meus, quoties optimi Principis ſermones reputo, quos de bonarum litterarum ſtudiis mecum habuit, quum adeundi eius copia mihi facta eſſet, in academiam tum cogitanti. Nam poſtquam ex me ſciſcitatus, quod ſtudiorum genus in primis excolendum decreuiſſem, me in humaniores potisſimum litteras incumbere conſtituiſſe, cognouerat; conſilium hoc meum admodum probauit, & hortatorem ſe mihi pro incredibili ſuo in ſubiectos clementia præbuit, vt in eo manerem, adfirmans, fore, vt conſilii huiusmodi me olim haud pœniteret. litterarum enim ab humanitate nomen habentium, Latinæ præſertim linguæ, vtilitates ſummas eſſe, tot verbis demonſtrauit, vt ferreus fuiſſem, ſi litteras iſtas colere adhuc non perſeueraſſem, a tanto ac tam ſapiente Principe collaudatas. *Alium* præterea AVGVSTVM Germania medio ſæculo venerata eſt, *Brunſuicenſium & Luneburgenſium Ducem*, rarisſimi exempli, & diuinæ plane ac incredi-

 bilis

bilis virtutis Principem. cuius adolescentis mirificum in litteris proficiendi ardorem quum complures Germaniæ academiæ coram antea cognouissent, stupuerunt: & cuius dotes summo Principe dignissimas omnis posteritas, quam celebratissima ab se condita *Bibliotheca* in perpetuum sibi deuinxit, mirabitur: nam nihil ferme de magno quodam Principe prædicari potest, quod Augusti virtutes non longe exsuperasse videantur: qui amplissimis monimentis acerrimi ingenii sui memoriam ipse consecrauit: in eo quoque felicissimus, quod *heroicæ indolis Filios* reliquerit, qui Paternas virtutes iuxta atque summam in Musas beneuolentiam imitati sint, & quorum alter præclare eas imitari adhuc perseueret. Quis vero de ERNESTI, *Saxoniæ Ducis*, singulari cura, quam in scholis, quibus vna cum vera pietate litteræ fideliter traderentur iuuentuti, constituendis suscepit, non inaudiuit?

Ipse hic fauor, quo summi eiusmodi Germaniæ Principes, serenissimorum maiorum vestigia laudabili exemplo secuti, Musas complecti perrexerunt, fuisse videtur, qui has Germania excedentes retardarit; efficiens, vt non omnis litteris ademptus sit honor, & pretii aliquid iis sit relictum. Nam actum forsitan fuisset de litteris, si omnes Principes

tales

tales exstitissent, quales Scioppius & Ianus Gruterus ætate sua fuisse, adfirmarunt (f), qui

(f) vbi Scioppius hoc adfirmarit, supra indicaui: Gruterus id fecit in Trochaico in Casp. Hofmanni Galenum, nondum editum, an. 1627 scripto; quod reperitur in Mantissa II Epistolar. selectior. G. Richteri epistolis adiect. pag. 534, seqq. & cuius initium est:

Qualis heu, morum sinistra temporumque tristitas!
Quisque laurum Apollinarem, quisque oliuam Pallados
Censet esse laude dignam splendidoque encomio.
Plebs, Eques, Senatus omnis, litteratorum gregem
Innocentem honorat ore, fronte, voto, plausibus:
Ordinum sed ecquis horum est, qui teruncio iuuet
Vel Camœnarum clientes, vel Mineruæ antistites?
Languet eruditio omnis, friget omnis dignitas
Artium bonarum; optimæ nuncupatæ Inertiæ,
Tamquam habenas ciuitatum temperare nescia,
Nec rei tractare digne munus vllum publicæ.
Præmia interim omnia horum transeunt ad simias.

& quæ sequuntur: p. 536 pergit Gruterus:

Regium est quidem, esse largum consulenti publicis
Commodis, nedum orbi vtrique seruienti perpetim.
Sed quid? est mos huius æui, nil ad vsus nobiles
Erogare. Heic arca clausa, clausa cunctis dextera est.
Pauperem se quisque iurat, largiendum vbi probis.
Sin benignus esse forsan vnus aut alter velit;
Munera eius in merentes non cadunt, sed in malos:
Moriones ac Thrasones, scorta denique ac fera
Sortiuntur largitates debitas solertiæ.

qui nullum litterarum habuerint gustum, nihil cuiquam temere largientes, nisi quo vel voluptatis suae, vel vtilitatum administro vti potuerint. Priusquam XVII saeculo exeam, Germaniae *Musarum*, de quibus tantopere laetatae sunt, *delicias* silentio praeterire non queo: *Marquard. Gudium* intelligo atque *Ezech. Spanhemium*, illustres viros, qui meliorum litterarum caussam Frisiorum atque Seckendorfiorum exemplo apud Principes summa sua, qua pollebant, auctoritate egregie defenderunt, studiose operam dantes, vt studiis decus suum atque debita laus conseruaretur. Quod *Frid. Benedictus Carpzouius*, maximum Saxoniae suae, immo cunctae Germaniae ornamentum, curae etiam sibi habuit cordique: honorum quidem titulis prioribus inferior, eruditione autem ac in liberalis doctrinae studia amore nemini prorsus Germanorum concedens.

Commentariis vsque ad *saeculi XVII exitum* perductis, ipsos cum hoc commode finire possem: quae enim fata nostris temporibus in Germania sint Latinae linguae, cognitum quisque

Talis haud fuit priorum Principum ignorantia
Talis haud fuit priorum Seculorum scaeuitas,
Eruditos eruditi subleuabant, qui bono
Publico sese applicabant: & talentis pluribus
Munerabantur reperta vel rei vilissima.

que habet atque perſpectum, habere ſaltem poteſt; ſic, vt res longa narratione ac demonſtratione haud indigeat. Quando porro nonnullos litteratos ac elegantioribus ſtudiis deditos ſæculi eius viros dumtaxat nominaui, quum plerorumque memoria ita recens mihi videretur, vt hanc pluribus verbis renouare neceſſe habere me, haud crederem: multo minus eorum, qui vita etiamnum fruuntur, commemorationem quis a me exſpectauerit: adulationis notam, ſi iſtam inſtituerem, facile ſubire poſſem: qualem in omni vita mea diligenter adhuc euitare ſtudui. Tantum, vt narrationem a capite ad calcem quaſi continuaſſe videri queam, pro inſtituti ratione clarisſimi viri verbis, *quænam fata Romano ſermoni* per ſæculum, quo viuimus, *impendere* videantur, exponam (ſſ): quod non ita multorum annorum ſpatio celeberrimos viros, ſummo rei litterariæ malo e viuis ſublatos iam doluit: quorum numero, *Georg. Schubartus, Chriſtoph. Cellarius, Conr. Sam. Schurzfleiſchius*, grauisſimi Latinæ linguæ, omnisque humanitatis, aſſertores: quum Germania noſtra, proximo ſæculo exeunte, *Henr. Meibomium etiam, Caſp. Cœrberum*, claris-

risſimos

(ſſ) Gunth. Chriſtoph. Schelhameri, quæ leguntur in orat. de *Augmentis & Decrementis Scientiarum, ſuperiori præſentique ſeculo*, an. 1708 Kilon. hab. pag. 30 ſeqq.

rissimos itidem viros, & summas suas delicias ac singulare ornamentum, *Frider. Bened. Carpzouium*, paullo ante laudatum, luxerat. Ipsum nostrum sæculum funera præterea, *Georg. Henr. Vrsino, Io. Christoph. Wagenseilio, Ottoni Menckenio, Wilhelm. Ernesto Tentzelio, Magn. Dan. Omeisio*, viris clarissimis, ab exteris etiam ob eruditionem adamatis, ducta, conspexit. Ipsa autem clarissimi viri istius, quibus expositurum me dixi, quænam fata Romano sermoni per sæculum hoc impendere videantur, sunt: *Germani Latini sermonis nitorem insuper habent, in inuidiam friuolis ratiunculis adducunt, si quis paullo diligentius eum colat, nouo conuicio* Pædantismum *vocant, & qui sectatur,* atramenti cacatorem. *Hic enim mos est quorumdam, vt quod ex veris caussis impugnare non possint, scommatis & cauillis peruertere tentent, & apud imperitos calumniose traducant, barbariei, quæ iis auctoribus ingruit, sub noua eruditionis ad sæculi gustum adornatæ palliolo latibula quærentes. Quæ vt facilius inueniant, nihil antiquius habent, quam antiqua omnia, tamquam obsoleta, & veteris æui deliramenta reiicere, hodiernos contra supra illos longe extollere, tamquam nouam cœli progeniem, nouis ingenii viribus instructam.* Testimoniis aliquot allatis, pergit: *Et tolerari quidem hæc talia*

vtcun-

vtcunque in imperitis possent, nisi ipsi quoque, quæ aliis prælucere, & ad scientias artesque viam præire cupiunt, passimque iubentur, quos vtique hæc ornamenta conseruare par erat, & ex quorum ore nihil nisi mella fluere debebant, & sesamo ac papauere conspersa oratio, non modo ignorarent ea, verum & tumido fastu superciliose contemnerent, ac traducerent palam: non esse opus in his tempus consumere, iuuentuti oggannientes, nec operæ pretium, de verbis sollicitos esse: res ipsas sectandas! Tam incondito sermoni exemplum addunt, & vel scabra asperaque dicendi, scribendique ratione vtuntur, vel patrio sermone potius audire disciplinas adsuefaciunt auditores, quo, vt illi quidam putant, solo licet solœcismos & barbarismos facere. Ecquis enim puro Germanico idiomate artes a Græcis & Latinis inuentas in tanto patriæ linguæ neglectu profiteri & propagare queat? Itaque, dum neutram rite linguam didicere, vtramque corrumpunt. Hinc, quales doctores, tales habemus discipulos, qui hac indulgentissima licentia eo procedunt temeritatis, vt si quid Latina oratione proferatur, auersentur veros doctores, e conspectu subducant sese, ac dilabantur. O Professores! quis infaustus genius ita vos exagitat, vt relicto Pieridum Choro, ad siluestres Musas deficiatis, ac veluti mendici cuiusdam lacero pan-

no obueletis studiorum Maiestatem? quum praesertim manifestum sit, cum ornatu isto coniunctum esse, quod vnicum est omnis eruditionis fundamentum.

Quum clarissimus *Medicus* sit, qui hæc adfirmarit, eo minus, non dicam falsitatis, sed *queruli doloris*; nomine suspecta esse posse, arbitror: non enim ignoro, esse his temporibus, qui *Grammaticos*, *Criticos*, *Philologos*, contemptim ita ab ipsis vocatos, *querulos homines* nuncupent, qui quum artes suas despicatui haberi videant, omnia *queribundis vocibus* impleant. Verum igitur, si non omnibus, plerisque tamen videbitur istud eruditissimi viri pronuntiatum: cuiusmodi plura in promptu fuerant: sed prolatum instar omnium esto. *Temporum nostrorum eruditionem* scite etiam nuper admodum adumbrauit celeberrimus in academia Iulia Professor (t): luculenter satis declarans, quid euenerit, ex quo veteres auctores ex academiarum cathedris explicari desiti sint, & bonæ litteræ, Romanus cum primis sermo, & in scholis inferioribus, & academiis, contemni cœperint; atque

(t) Herman. von der Hardt in epistola ad illustrem virum an. 1712 scr. cuius inscriptio, s. titulus: *Priuati praeceptores vnde?* Nobilium scil. iuuenum praeceptorem expoposcerat illustris vir, cui epistola ista cel. von der Hardt respondit, nomen quidem suum reticens.

atque ludorum magiſtri diſcipulos ſuos ſine pennis volare voluerint. Neque igitur mirum eſt, celeberrimum Perizonium, de Germaniæ noſtræ ſcholarum academiarumque conditione cogitantem, in ſpem non veniſſe, bonas litteras hoc ſæculo præſtanti admodum florentique apud nos vſuras eſſe fortuna: quo ineunte ad clarisſimum Cellarium ſcripſit (tt): *In anguſtum oppido coguntur dudum magis magisque communia nobis litterarum ſacra, vt adeo pauci iam ſuperſint caſti eorum ſacerdotes, & hi ipſi, vt ſaculum eſt, vtque in eo vileſcunt vbiuis bonæ artes, etiam pauciores numero breui videantur futuri: nam quis facile laborioſum prorſus, ſed ſibi ferme inutile ac ſpretum publice; tentauit deinceps ſtudium? in veſtra tam latum patente Germania quis iam nunc per omnes pene Academias, vbi abs te & paucisſimis aliis diſcedimus, exſiſtit amplius, qui ſedulo & bona fide humaniores illas tueatur litteras, & fugientes inde Muſas morari ſtudeat, ac priſtinam retinere antiquæ domus gloriam? Floruit illa, quum Agricolas haberet, Rhenanos, Bœcleros, Reineſios, & plures id genus, qui nihil publice profuturum negligebant, ſiue ex vetuſtis id auctoribus, quos diligenter lege-*

(tt) epiſtola, qua ei de Dictye Cretenſi & eius Interprete diſputationem, Dictyos editioni Amſtel. an. 1702 præfixam, inſcripſit.

legebant ipsi, & aliis magis explanatos dabant, repetendum, siue ex rerum natura & vsu quotidiano nunc demum eruendum foret. At o quam dispares illa nunc passim seu Dominos habet, seu inquilinos, qui ab antiquitatis studiis, per quæ sola, superioribus sæculis iterum exorta, certissimum est ex caligine densissima omnes etiam sacras profanasque disciplinas emersisse continuo in serenissimam lucem, reuocant tamen academicam pubem ad vnum illud & recentissimum Germaniæ ius publicum, hoc est ad meram barbariem, si solum academiis incubet, nec scire quicquam aliud, nisi suas & sui temporis res desideret, quod barbariei proprium est, & semper fuit.

Cum horum quidem clarissimorum virorum querimoniis parum profecto conueniunt verba, quibus nonnemo biennio abhinc in scripti cuiusdam, patrio sermone confecti, præfatione acerrime in linguæ Latinæ cultores inuectus est; perinde ac si ætas nostra in sæculum incidisset, quo Bembus, Sadoletus, Longolius, Agricola, Sturmius, Caselius, Romani sermonis rudes plane videri queant. In Germaniæ certe academiis complures hodie *historiæ* ac *iuris publici professores* inueniri statuit, qui Latinam linguam, ceu *idolum*, adorent, & ne verbum quidem admittant, nisi quod *Cicero*, & alii eiusmodi *mucidi causidici,*

ci, vt loquitur, ſemel atque iterum in monimentis ſuis vſurparint: quum ex aduerſo tales ſcientiarum iſtarum requirerentur doctores, qui parum curarent, an aureæ, argenteæ, ferreæ atque plumbeæ ætatis vocabula loquendo ſcribendoque proferrent, de rebus modo ſolliciti: vt videlicet vere *Reales* viderentur. ſiquidem *bene atque ornate dicendi artificium*, ſiue elocutio, idoneorum verborum & ſententiarum ad inuentionem accommodatio, leuisſimorum Pædagogorum, ſiue *Pedantium*, ſit *inuentum*; qui multo mallent, *conſecratæ* ſuæ *Latinitatis*, vt loquitur porro cenſor, *martyres* eſſe, quam pati, vnicam inferioris ætatis voculam ex ore ſuo exire. & ſi dicendum, quod res ſit, *Latinæ linguæ vſum Papatus reliquias*, easque non minimas, vere dici poſſe, idem cenſor arbitratur, ita, vt *amorem*, quem Germani *erga Latinam linguam* per tot ſæcula præ ſe tulerint, *ridiculum* ac *ineptum* prorſus ſibi videri, confiteri haud erubuerit. Multis hanc in rem adiectis, quibus adfirmationem ſuam comprobari poſſe, ſibi perſuaſit, iudicii acerbitatem quaſi mitigaturus; veritus ſcilicet, ne illud cenſorium nimis quibusdam videretur, tandem addidit: ſe de Romani ſermonis dignitate nihil detractum velle, ſe tantum eum *condimenti inſtar* habendum iudicare; cuius

modicum vſum nec cuiquam nocere, nec cibum perdere, at immoderatum nihil niſi nauſeam excitare, ac exitium parere, ſciamus. Vtrum tales ſeſe præbeant hodie in academiis hiſtoriæ ac iuris publici profeſſores, quales cenſori noſtro viſi ſint: an hic Germanos nimiæ in excolenda Latina lingua diligentiæ eodem iure, quo Otfridus olim, inſimularit, diſputare nolo. Cenſuram certe hanc eiusmodi eſſe, iudico, vt id, quod celeb. Perizonius adfirmauit, ſatis comprobare poſſe videatur: illos videlicet, qui academicam iuuentutem ad *vnum* illud, & *recentisſimum Germaniæ ius publicum*, inuitent, ad meram illam reuocare *barbariem*.

Equidem, ſi omnes Germaniæ eruditi idem de Latina lingua ſtatuerent, quod cenſorem perſuadere aliis auſum eſſe, cognouimus, nulla plane ſpes mihi relinqueretur, meum Commentarios hoſce edendi conſilium cuiquam probatum iri. At grauibus acerrimo iudicio præditorum virorum de eiusdem linguæ, & purioris quidem atque copioſæ, in vita communi vſu ſententiis, quarum nonnullæ ſuperioribus capitibus a me ſunt inſertæ, facilius concedendum puto. Si vero *Agricolæ*, *Reuchlini*, *Eraſmi*, *Melanchthonis*, *Camerarii*, *Dreſſeri*, *Sturmii*, *Caſelii*, *Scioppii*, plurimorumque aliorum eruditorum *iudicia*

tanti

tanti non fuerint censori, & iis, qui in eadem sunt opinione, velut *Padantium*, vt honorifico titulo vtar, quem isti litteratis hominibus, humaniorumque litterarum vindicibus impertiri consueuerunt: *Peutingeri, Pirckheimeri, Hutteni, Zasii, Heresbachii, Carolouicii, Langueti, Peiferi, Mylii, Gudii,* & similium illustrium maxime virorum, grauissimorum *iureconsultorum,* iudicia, paullo pluris faciant, spero: quibus *Auentini*, *Sleidani*, *Reineccii,* excellentissimorum *historicorum*, *Boecleri, Praschii, iuris publici peritissimorum* hominum, iudicia addant velim. quod si praeterea *patrii sermonis*, cuius eximio amore solus fortasse flagrantissimus sibi visus est censor; quem vero tantum abest, vt laudati viri, Latinae linguae cupidi, contempserint, vt neglectum eum doluerint: huius, inquam, sermonis *studiosissimi* cuiusdam *viri*, eiusque celeberrimi, iudicium si desiderauerit censor; tale quoque ei subministrabo; nempe *Christiani Hoffmanni ab Hoffmannswaldau*, magni sane inter Germanos nominis viri, & summi poetae (u): *Ad sermonem Latinum*, ait, *quod attinet, me nihil hic monente, istum non tam in scholis, quam vbique apud nos negligi, sed sera tandem poenitentia hanc negligentiam sequitur.*

(u) ex Commentatione eius epistolica ad generosum iuuenem de *Curriculo Studiorum vitae ciuili profuturorum*, Gorl. an. 1700, 8.

tur. Sin autem neque horum auctoritate admodum mouebuntur; tot *Imperatorum*, *Electorum*, *Principum*, *Comitum*, *generosissimorum*que *virorum*, quos Latinam linguam ac bonas artes summo suo patrocinio dignas diiudicasse, commonstraui, *iudicia* leuia, falsa atque corrupta existimare, & *amorem*, quo Romanum sermonem prosecuti sunt, ridiculum & ineptum appellare, non iniquum solum, sed nefarium plane duco atque impium.

Nec vero solis *auctoritatibus*, sed *argumentis* quoque, si liberet, ac *rationibus*, disceptare possem: sed actum agerem, si id tentarem: firmissimis argumentis contra præstantissimæ linguæ inimicos dudum præter complures alios disceptarunt *Peiferus*, *Hofmanus*, *Taubmanus*, dissertationibus nominatim supra a me citatis: & inter Italos *Romulus Amasæus*, *Vbert. Folieta*, *Quint. Marius Corradus*, viri eloquentissimi, non minus in præfatione iam a me laudati. Quos singulos euoluisse, bonos ac discendi cupidos adolescentes, qui mentem falsis & insitis penitus opinionibus nondum deprauatam senserint, haud pœnitebit: omnem dubitationem, si qua ipsis fuerit; *an Latina lingua digna sit, in qua addiscenda multum temporis collocetur*, eruditissimos viros euidentibus suis probationibus sublaturos, spondeo: quarum nonnullas transcribe-

re

re nihil attinet; etiamsi me non fugit, lucubrationes eorum in paucorum esse manibus. Puram & elegantem Latinitatem minori opera, æque facile saltem, perdisci, ac impuram & barbaram, IV & V capite, allatis ea de re eruditorum testimoniis, a me iam demonstratum, breuiterque simul ostensum est, *permagni* omnino *interesse reipubl. Romanam linguam sartam & tectam conseruari*; idque in transcursu tantummodo a me monstratum est: instituto enim meo alienum videbatur, Latini sermonis laudes celebrare, atque contra impugnatores eum defendere. ipse quam optime sese defendit; dum contemptores eius inscitiæ suæ pœnas subinde dant graues satis, nec iniustas; haud exiguo certe habentur interdum ludibrio (v). Nam licet non statuamus, *beatos in cœlo Latine locuturos*; & licet difficulter quis probauerit, *Christum Latine interdum locutum esse:* quod vtrumque *Melchiori Inchofer* probabile visum est (u): am-

(v) id omnino fieri, Oct. Ferrarius aliquot, iisque perspicuis maxime exemplis in prolusionibus suis, præsertim Prol. VIII, de *Caussis pereuntium litterarum*, docet: qualia multa quotidianus vsus nobis subministrat.

(u) cap. 2, & 4, lib. V, *historiæ S. Latinitatis:* quam in *VI libros* distribuit: quorum I agit de *Origine, & vario Progressu Latinitatis.* II de *Caussis declinantis Latinitatis.* III de *Cultu linguæ vulgaris.* IV de *Maiestate linguæ Latinæ.* V de *Sanctitate linguæ*

amplisſimæ tamen laudes aliæ ſuperſunt, quæ Latinæ linguæ ab eodem, & reliquis, quos citaui, verisſime tribuuntur: inſigni ac illuſtri linguæ vſu demonſtrato. de quo ſi cui nondum certum fuerit, Inchoferum præter ceteros euoluat: addere ei poterit *Guil. Mechouii Antiphilam*, de *Natiua ac genuina Latinitate in ſcholis retinenda* (x): ne, teſtimoniis reique veritate conuictus quaſi, de linguæ innocentisſimæ decore detrahentibus aures præbeat; ſed conuicia, ac minus firma, & falſa plane atque corrupta iudicia flocci pendat. Quod prudens conſilium Melanchthon olim dedit, ad noſtra tempora non minus aptum: quo diſcipulos ſuos nihil curare iusſit, quod omnis eruditionis irriſores, ſi quem artibus operam dare viderent, irridentes dicerent: *Hæc eſt Platonica facundia:* nullius enim irriſiones huiusmodi momenti putandas eſſe, confirmauit. Eraſmus quoque artes extenuantibus, & dicentibus, *non opus eſſe facundia*, prudentisſime reſpondit: *Nec opus eſt ſolœciſmis & barbariſmis.*

Latinæ. & VI denique de *Variis variorum Inſtitutis circa linguam Latinam.* prodiit libellus Monachii an. 1638, 8. a Morhofio, Polyh. litterar. lib. IV, cap. 9, § 3, valde laudatus. optimus ibi vocatur liber, quo eruditisſima multa proponantur, & ſcitu maxime digna. (x) Cellis an. 1677, 8.

F I N I S.

Lipſiæ, LITTERIS IMMANVELIS TITII.

